OPUSCULUM DE MYSTERIO INCARNATIONIS IN COMMUNI. PER R.P. PHILIBERTUM...

Philibert Fesaye

Digitized by Google

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
14
32 L
20

M

X.V.A°.34.

OPVSCVLVM
DE MYSTERIO
INCARNATIONIS
IN COMMVNI.

Per R. P. PHILIBERTVM FEZAYVM Carmelitam, Doctorem Theologum Vniuerſitatis Borboniæ Aquenſis, & in eadem olim Philoſophiæ, nunc S. Theologiæ Profeſſorem Regium.

Adjunctus eſt in fine Opuſculi Catalogus Authorum, qui in eo citantur.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA



AQVIS-SEXTIIS,
Apud STEPHANVM DAVID, Regis, Cleri, atque Vrbis Typographum.

M. DC. XLI

Digitized by Google

AD

ILLVSTRISSIMVM, ET CLARISSIMVM DOMINVM,

D. IOANNEM BAPTISTAM FORBINVM,

DOMINVM ROQVÆ, GONTARDI, S. Andreæ Murenſis, &c. Secretioris de Imperio Gallico, & Majeſtate Conſilij Conſiliarium: nec non Infulatum in Supremo Prouinciæ Senatu Præſidem Ampliſſimum.

GENEALOGICA SVÆ IPSIVS GENTIS, Epiſtolæ Liminaris inſtar, pro præſenti Opuſculo, NVNCVPATIO.

PERANTIQVA tam Parthorum, quàm Perſarum conſuetudo fuit, vt nemo citra munus, quantumvis exiguum ad Regẽ reuerenter accederet. Cui duntaxat mori morem gerens Ruſticus quidam no-

mine Sinetas Artaxerxi Perſidem obequitanti aquam vtraque vola ex Cyro amne hauſtam: & Miſes quiſpiam gregarius Miles, vel vt alijs placet, Olitor malum punicum viſendæ magnitudinis in vanno eidem obtuliſſe perhibetur. Similiter ego non Parthus, aut Perſa, ſed Religioſi Carmelitarum ordinis teſſeram in orbe Chriſtiano geſtans, non Regem, ſed Patronum in Liliato venerandi Senatus Tribunali Iuſtitiam Chriſtianiſſimi ſimul, & orbis terrarum potentiſſimi Regis exprimentem, iuxta Perſicos, Parthicoſque ritus cum munuſculo, tametſi ex ſe minuſculo, verum voluntate magno, & e Theologiæ cenſu pretioſo adire non vereor: nempe, PRÆSES ILLVSTRISSIME, ego addictiſſimus tibi Cliens Opuſculum *De myſterio Incarnationis in communi* inſcriptum, velut Anathema quoddam, ſiue donarium ad tuæ Sacrarium Dignitatis ingenua deuotione conſecro: vt ſit quaſi Propylæum coruſcans iuxta, & ſtabile voluminis aliorum Opuſculorum de Myſterio Incarnationis in particulari, quæ iuxta ſeriem quæſtionum S. Thomæ, Diuini fauoris aura meis afflante votis, in apertum proferre conſtitui. Neque vero quicquam aut auſpicacius, aut optabilius mihi contingere potuit, quam vt iſtas diſſertationes omnino ſacras tibi

Plutarch. in Apopht. initio.

ſacratum tecum amantiſſimo conſecrarem.

Verùm ne prolixitati ſermonis, tametſi omnibus habita ratione tuorum meritorum acceptiſſimi, tædium aliquod adhæreſcat, haſce lineas non tranſiliam: te nimirum tergemino quodam radio emicantem, *Nobilitatis, Virtutis, & Doctrinæ* in iſto mei operis limine venerabundus prædicabo: ne Clientelæ tuæ decus pariter, ac præſidium parui exiſtimaſſe, vel debitum officium barbaro quodam faſtidio contempſiſſe videar, ſi tuæ clarę columen, & æternitate ſtipatum nomen nube taciturnitatis obduxero. Hanc igitur dum agito Trigam, ſpectent illi, qui falſæ nobilitatis fuco gloriantur; qui adulterata ſpecie virtutis incautos ludificant; qui demũ doctrina inani tumentes inſoleſcunt.

De Nobilitate primùm dico, & illis te maximè comparo; qui te nobis, ſæculo, poſteris dederunt, à fonte, & origine maximi: à ſtirpe, & radice inclyti: ſed fontem petere remotum eſt: radicẽ ſcrutari longum: claudit enim antiquitas tuæ Geſtis ad immortalitatem ſatæ principium: & quò occultius, eò eſt anguſtius. Itaque velut per alueum in amnem illabi: in proxima quaſi linea, ſiue ramo Genus tuum arbitrari mihi eſt animus. Omiſſis igitur Majoribus omni æuo ſiue belli, ſiue pacis munia ſpectentur, præſtantibus:

omiſſis etiam illis antiquioribus FORBINIS idem cum tuis ſcutum Gentilitium ferentibus, quos ex Anglia Maſſiliam veniſſe inconcuſſis hiſtoriarum monumentis teſtatum eſt, ſatisfactum mihi duco vnum in conſpectu ponere FRANCISCVM FORBINVM Auum PALAMEDIS FORBINI, quem ducentis abhinc amplius annis Venetiarum Patricij non minus authoritatis pondere, quàm iudicij grauitate commendabiles in ſuorum Ciuium iura receperunt. Poſtmodum plauſu, gratulatione, amplexu, alijſque id genus beneuolentiæ notis exceptum, in frequentiſſimo Senatorum conceſſu Nobilem Venetum vnanimi conſenſu declarauerunt: idque propter res in Adriatico mari præclarè geſtas: quas quidem ſummorum beneficiorum loco ponens illa Reſpublica, quæ nec parem, nec ſuperiorem vnquam ferre potuit, ſe ipſi æternùm deuinctam profeſſa eſt. Nec obſcurè idipſum multis Venetorum literis amicitiam, cultumque præferentibus ad IOANNEM FORBINVM, eiuſque filium PALAMEDEM miſſis comprobatum eſt. Dum PALAMEDEM nomino, vel ipſa memorabilem appellatione: *Multa viri virtus animo multuſque recurſat Gentis honos.* Is ex Aui exemplo plurima cum virtutis inuitamenta, tum laudis incita-

Virg. lib. 4. Æneid. verſ. 4.

menta depromens lucentem familiæ ſuæ ignem in otioſis penetralibus non abſcondit: ſed ſuæ fulgorem celebritatis longè, latèque diffudit. Nam apud Neapolitanos militiæ præfectos bellandi audacia, debellandique fiducia ita claruit, vt cognomento MAGNI fuerit inſignitus. Tum apud Salyos fandi opibus ſublimis, abundans eloquio, velut Herculis Ogmij catenulis aureis hominum ad ſe voluntates allexit: & tanquam Cineas, aut Orator ille pietate meritiſque grauis *regens dictis animos, & pectora mulcens*, tumultuoſas, atque turbulentas turbas æſtu ſeditionum ſedato compeſcuit. Progreſſu temporis doctrinam, prudentiam, animi magnitudinem, & probitatem eius perſpectam habens Renatus, qui tunc erat Rex Siciliæ, Ieruſalem, & Aragoniæ: Dux Andegauorum, & Barij: Comes Barcinonis & Prouinciæ, ſibi eum adſciuit Conſiliarium, & in ſuprema Rationum Curia Magnum Præſidem ſtabiliuit. Renato ſucceſſit Carolus III. qui tantum octodecim menſium ſpatio regnauit: tamque breui temporis interuallo priſtinam PALAMEDIS Dignitatem fecit ampliorem, vt eſſet etiam intimus, familiariſſimuſque eius Cubicularius. Mox idem æternæ memoriæ Rex afflicta valetudine ex mutatione loci medelam quærens, Maſſiliam ſe deportandum

Lucianus tom. 1. Plutarch. in Pyrro §. 7.

Virg. lib. 1. Æn. ver. 152

Ex Archiuiis Prouinciæ Regijs & ex Regiſtris. Pauonis fol. 75.

curauit: atque ibidem morbo acri, & difficili magis, ac magis inualeſcente, cum liberis careret, PALAMEDIS hortatu omnium Regnorum, aliarumque Ditionum ſuarum hæreditariam poſſeſſionem ad Ludouicum XI. Francorum Regem, eiuſque ſucceſſores vltimis tabulis tranſtulit. Quo factum eſt, vt Rex beneuola PALAMEDIS propenſione motus, quaſi beneficio beneficium compenſans cum Marticenſis Toparchiæ Procomitatu donauerit: & Salyæ regionis, ſeu Prouinciæ cum pleniſſima, eaque Regia poteſtate præfecerit: adeo vt integrum ei fuerit capitalis etiam noxæ reos abſoluere: quod nemini vſquam aliàs licuiſſe nec ſectum, nec intellectum antea fuit. Inſuper filio eius LVDOVICO FORBINO Primi Rationum Curiæ Conſiliarij: & Prouinciæ Iudicis majoris duo officia largitus eſt: quem poſtea Carolus VIII. Præſidem Magnum in eadem Rationum Curia inaugurauit. Interea Ludouicus XII. ex Francorum Regibus Comes Prouinciæ III. Aquis-Sextijs ſummæ iuriſdictionis Senatum ſtabiliuit: & in eo LVDOVICVM filium PALAMEDIS Magiſtratu priore abdicato Senatorij ordinis Decanum inſtituit: qui poſtea deſignatus Orator Regius duas, eaſque vt graues, ita honorificas obijt Legationes:

Copiæ teſtamentor. Regum fol. 28.

Coronæ fol. 75. ibid. fol. 75.

ibid. fol. 175 & 202.

Pelicani fol. 367. & 376.

Columbæ fol. 192. & Aquilæ fol. 186.

vnam in Germania, miſſus duntaxat ad Maximilianum Imperatorem pro publicis rebus procurandis, & expediendis: qua quidem in miſſione tam prudenter, quàm cumulatè ſuum munus expleuit. Alteram verò Romæ geſſit, ſcilicet Legatus ad Concilium Lateranenſe habitum ſub Leone X. Pontifice, vbi mandatis pro dignitate palam expoſitis tantam operam, ſedulitatemque tuendis Eccleſiæ Gallicanæ priuilegijs præſtitit, vt ea nullo refragante calculo confirmanda curauerit. Cæterum vtriuſque Legationis relationes in Archiuijs Fori Supremi publicis conſignatæ literis ad perpetuam poſteritatis recordationem Pariſijs aſſeruantur. Miſſos facio IOANNEM, & IACOBVM fratres PALAMEDIS: quorum poſterior Gardanæ Toparchiam quingentorum Florenorum pretio ab ipſo PALAMEDE tranſcriptam adeptus eſt; cui antea Carolus VIII. Laudemij tribuerat immunitatem. Prior verò Barbentæ Dominus, etiam Hebræorum Conſeruator fuit. Taceo quoque HONORATVM FORBINVM, qui ab vniuerſo conſultantium Maſſilienſium cœtu electus ad Carolum VIII. Regem cum magnifico apparatu ſe contulit, ab eoque multa, & magna priuilegia Maſſilienſibus impetrauit. O terque quaterque beatam familiam per titulos memores-

Ex actis Concilij Lateranenſis ſeſſ. 8. 9. 10

Pellicani fol. 405.

Galli fol. 25. Coronæ fol. 79.

quę faſtos celebrandam! ex qua velut ex equo Troiano plurimi Prouinciæ Proceres omni humana prædicatione majores prodierunt: videlicet Roquæ, Ianſoni, Gardanæ, Solerij, Barbentę, & Faræ Domini: qui per Auorum veſtigia gradientes, quaſi ſuccedaneo iure vel publicis communitatum donati fuerunt honoribus: vel ad ſuprema Senatus Aquenſis Tribunalia eucćti Themidis oracula pronunciarunt.

Ne verò quis ſexus laude ſua vacet: Ecce in conſpectum venit pari Generis claritate ſpectabilis CAMILLA DE GRIMALDIS tua mater Antipoli exordium naſcendi ſortita ex illa ſtirpe ſupra quam dici poteſt illuſtri, quæ ab inclyto Franciæ Mareſcalo DE GRIMALDIS Genuenſium Gubernatore ortum ducens per Galliam, Siciliam, totamque Italiam ſuos ramos inexhauſta fœcunditate propagauit. Siquidem ex ea pene innumeri Principes pullularunt: quorum alios partim Cardinalitio Galero: partim Epiſcopali Mitra ornatos præpotens omnium moderator, & arbiter Deus Eccleſiæ ſuæ ſacris admouit. Alios armorum gloria vel ipſi æternitati commenſuranda præſtantes, vtpote Duces, Marchiones, Comites, & Barones ad Trophæa Martis erigenda deſtinauit. Inter iſtos toto eminet vertice MARCVS AN-

TONIVS

TONIVS DE GRIMALDIS Frater Illuſtriſſimi Comitis Sancerræ in Niuernia, qui Regnante Ioanna Neapolis, & Siciliæ Regina ſoluens ex Genuenſi portu Maſſiliam appulit: Prouinciam incoluit: habuitque duos filios: Lambertum, ex quo Duces Monœci: & Nicolaum ex quo Dynaſtæ Antipolitani fuerunt oriundi. Nicolaus enim Antipolis, Cagnæ, Villæ nouæ, Salletarum, Lagneriæ, aliorumque locorum Dominus fuit. Tertius autem ab ipſo numeratur GASPAR DE GRIMALDIS Proauus tuus: qui à Chriſtianiſſimo Rege Michaëlitia torque ornatus, & in ordinem Equitum Regiæ Militiæ adſcriptus, illi parti Prouinciæ, quæ à Varo amne ad Siagnam fluuium terminatur titulo, & authoritate Rectoris præpoſitus eſt. Ecce igitur, VIR CLARISSIME, tuam ex parte Matris Genealogiam. Camilla fuit filia Renati: Renatus filius Gaſparis, Gaſpar Nicolai: Nicolaus Gaſparis, Gaſpar Nicolai: Nicolaus Marci Antonij, qui Mareſcali de GRIMALDIS, & Comitis Sancerræ frater fuit. An vero illaudatum ſilebo Auenionenſium Venerabilem Archiepiſcopum DOMINICVM DE GRIMALDIS, cuius prudentiam, & fidem, qua in bellicis motibus, qua in politica Eccleſiæ adminiſtratione

probatam, atque perſpectam ſibi vſui, & adiumento Gregorius XIII. & Sixtus V. Pontifices Maximi cognouerunt. Præfuit enim in Italia Militiæ Pontificiæ : & apud noſtrates poſt duram, & terribilem obſidionem, Minerbiam alioquin Vrbem inexpugnabilem, pactione cum hoſte facta de pretio, in priſtinam aſſeruit libertatem, ejectis inde Hæreticis vicinos agros Maſſiliam vſque depopulantibus: quos poſtea ex vniuerſo Comitatu Venaiſſino exterminauit. Is tandem Prolegatus Auenioni ex hoc communi diuerſorio in illud cœleſte domicilium tranſlatus eſt. Etiam nunc eius eminet ſepulchrum apud Metropolem ex nigro, & albo marmore fabrè factum.

Donatio facta duobus Carmelitarum Myſtis, quorum vnum eligendi optio tibi hæreditario iure conceſſa eſt, PRÆSES AMPLISSIME, Alterum vero GASPARI FORBINO Ianſoni Generoſiſſimo Marchioni, mentem, calamumque, manumque ſtimulat ad merita MARGARITÆ PONTEVESIÆ Ianſoni Dominæ debitis laudibus proſequenda: ſed mihi timenti, ne potius culpa ingenij mei ea deterere, quam extollere contingat, ſatis eſt poſteris notum facere ipſam vtriuſque veſtrum Auiam tanto animi ardore pietatem nobilitati, nobilitatemque

pietati coadunauiſſe, vt tanquam alterius Dorcadis, ita & eius præcipuas facultates pauperum manus in theſauros cœleſtes intulerint. Act. Apoſt. cap. 9

In hac Gentilitia tuorum recenſione ſibi eminentem locum iure vendicaret Perilluſtris DIANA DE SIMIANA: niſi ſoluta à lege viri ſibi Sponſum alium inueniſſet in cœlo. Hoc tantùm de eius Proſapia dixerim: prodijſſe duos Aptenſium Epiſcopos: duos etiam apud Allobroges Prouinciarum Moderatores. Quod ſi adhuc diuina diſpenſatione ſpiraret in terris: intueretur nunc Excellentiſſimum illum conſanguineum ſuum GVILLERMVM DE SIMIANA Gordarum Marchionem: Regiorum Ordinum Equitem Torquatum: & Regiæ Majeſtatis cataphractorum Somatophylacum Ducem Primarium, Prætorijque Præſidij Principem: ſicut olim viderat Patrem eius in Delphinatu Proregis officio functum. Rom. cap. 7. S. Amb. lib. 2. de Virgin.

Sed felix in cœlo nunquam moritura viuat, & cum Beatis mentibus Deum poſſideat immortalis, qui ex ea ſuo numine, cui natura paret, *Egregia fecit te prole parentem*: filium tuum intelligo MELCHIOREM FORBINVM maximæ ſpei adoleſcentem, de quo illud auſim dicere πεπλασμένον ἐκ Διὸς ἔρνος: quem in ætatis flore politioribus literis imbutum: Philoſophiæ fluentis Virg. lib. 1. Æn. verſ. 75 Eraſm. chil 4. cent. 10. Prouer. 18 5.

inundatum, ipſemet in Regia Vniuerſitate Aquenſi, coram Sereniſſimo Principe, Comite Aleſio, Salyumque Prorege, cum maximo Marchionum, Comitum, aliorumque Optimatum applauſu, & in tanto Doctorum concurſu, quantum me aliàs vidiſſe non memini, ea qua polles eloquentia, Iuriſprudentiæ Laurea coronaſti: quem qui aſpiciebant ſuſpiciebant, & admirabantur vocem in hæc verba ſoluentes: *Felices qui te talem genuere parentes.*

Virg. lib. 1. Æneid. verſ. 604.

Virtuti tuæ adſcribitur, quod tui ſplendorem Generis per tot Heroas, & Heroinas ductum nulla tantorum annorum ſeries deleuerit hactenus: imo tuipſe, PRESES AMPLISSIME, retineas tanti ſeminis Dignitatem, non modo pari, qua cepiſti gloria conſeruatam, ſed majore auctam. Cum enim homines vniuerſi animâ, & corpore pares, virtute ſola diſtinguantur: ſpreta ignauię dulcedine, ablegatiſque voluptatum illecebris, Herculis Prodicij ſemitam à primis annis ingreſſus in virtutis gremium te dediſti: eòque factum eſt, vt te literæ pulcherrimæ veſtiant, cogitationes Diuinæ paſcant, virtutes te mirifice exornent: Religio in Deum: deuota fides in Regem, amor in patriam, charitas in omnes, ſanctimonia in teipſo, prudentia in rebus agendis, & aliæ non vulgares, quas cum Ariſto-

Prodicus ex Cicer. lib. 1. off. 118.

lib. 7. ethic. cap 1.

tele S. Thomas vocat Heroïcas, quæ hominem Deo ſimillimum efficiunt: quæque in te ita præcellunt, ita clariſſimi cuiuſdam ſyderis inſtar fulgeſcunt, vt ad virtutis omnigenæ intuitum ſapientiſſimus quiſque perinde ac diurno ictus fulgore mentis aciem reuerenter admodum ſummittat. in 1. 2. q 68 à 1. ad 1.

Doctrinam vltimo loco propoſui, cuius theſauris, vt nobilitatem, virtutemque poſſideres perfectiſſimam, pectus inſtruxiſti: ſiquidem literarum ſtudio in deliciis habito primum eas Artes coluiſti, quæ ab humanitate nomen acceperunt: deinde Mythiſtoria, & Hiſtoria tam Diuina, quá humana mentem excoluiſti: tum Philoſophiæ triplicis arcana percepiſti: denique ipſe ad extremum Iuriſprudentię ſtrenuam operam nauaſti. Quæ cum ita ſint: quid eſt, quod à propoſito, in quo me ſemel firmaui dimouere poſſit? cur iſtius munuſculi nihil niſi Diuinum, & cœleſte redolentis oblatione meum erga te cultum, atque affectum teſtari deſiſtam? quidni in noua huius operis editione interponam nomen tuum, quod eſt illuſtre, & omnibus notum, ad gratiam, & fidem apud omnes huic ingenioli mei fœturæ conſiliandam? Ita ſanè ſi Licinium Imperatorem ſolus imitareris, qui vt refert Card. Baronius literis ita infeſtus fuit, vt per inſcitiam immodi- In Annalib. ad annum Chriſti 318

cam ſcientias omnes, præcipuè forenſem induſtriam virus, ac peſtem publicam nominaret. Nunc vero, vſurpabo illud Ciceronianum de
Lib. 1. de Orat. 118. Scæuola: Ego te ſcientia Iuris Ciuilis eruditiſſimum, ingenio prudentiaque acutiſſimum, oratione maxime limatum, Iuriſperitorum eloquentiſſimum, & eloquẽtium iuriſperitiſſimum aſpicio: Atque in illo Auguſtiſſimo Aquenſium Senatu purpura veſtitum, Inſula redimitum in Liliorum Tribunalibus ſedentem ſuſpicio: & quod Præſidis munus præcipuum eſt, inuariabili dextera trutinam verſas, & inconcuſſa firmitate legum ponderibus ſtatuenda omnia moderaris: nihil ad oſtentationem, nihil ad lucrum, ſed omnia ad conſcientiam referens iudicia promis, & iuſtitiam exerces: adeo vt iure merito dicaris Δίκης Ὀφθαλμὸς: quod à Chriſippo tam de Iudice ſyncero, & incorrupto, quam de ipſo etiam iu-
Lib. 14. noct. Attic. cap. 4. dicio dictum fuiſſe teſtatur Aulus Gellius. In ſumma quæcunque in literarum vindice, literatorumque aſſertore deſiderari poſſunt, ea in te vno ſumma ſunt omnia: quippe qui & majorum auguſta ſic eniteſcis amplitudine, & virtutum agminatim occurrentium tanto ſplendore fulguras, & altioris quoque notæ diſciplinarum
Horat. in Carm. ſæcul. tetraſtico 15. facibus ita præfulges, vt pleno, quod aiunt, cornu ſeſe tibi humana felicitas infudiſſe videatur.

Ad illos ergo natales tuos: ad illas, quæ te omnibus reddunt amabilem egregias dotes tuas accedo, PRÆSES ILLVSTRISSIME, eòque vt ita dicam confidentiùs, quod benignitatis tuæ fontes mihi, meiſque apertos eſſe permiſiſti, iam ab illo tempore cùm annos adoleſcentiæ primos attigiſſes: quorum riuulos ego adhuc accerſo, & ab ipſo capite duco, vt hoc Opuſculū, quod à meis auditoribus, alijſque noſtratibus Theologis rogatus in apertum confero, ſolitæ humanitatis tuæ laticibus irrigatum majoribus manare poſſit incrementis: quandoquidem eximio nomini tuo, tanquam obſequij mei monumentum, & debiti amplioris pignus dedicatur. Illud porro ſi à me in clientelam tuam exhibito exporrecta facie, vt moris eſt tui, ſuſcipias, paternoque affectu permittas, vt ſub tui nominis ſplendore prodeat in publicum, facies vtique quod dignitatis tuæ ratio, virtutiſque tuæ claritudo à te depoſcit. Nam ſicut Deus in prima rerum productione ſyderibus in cœlo conſtitutis ſuum cuique impertitus eſt ſplendorem: ſed vt vſibus mortalium inſeruiret: Lunam etiam quicquid habet luminis à Sole voluit, vt infero huic mundo refunderet: ita idem ſummus operum noſtrorum inſpector, & iudex te in cœlo Aſtrææ Liliorum apicibus decorato collocauit Heſpero

Gen. cap. 1

Apocalyp. cap. 2. in fine.

fulgidiorem: tibique pollicetur Stellæ matutinæ claritatem: ea tamen lege, vt quicquid lucis, magnificentiæ, poteſtatis ſuſcepiſti à Rege Chriſtianiſſimo, quo nullus vnquam bello major, & armis, & pietate fuit, hoc ipſum in ſupplices, maximè vero in fidem, patrociniumque tuum implorantes transfundere digneris, eò quidem prolixiùs & alacriùs, quod in te appareat cœlum Nobilitatis abſque nube, flamma virtutis ſine fumo, lux doctrinæ ſine vmbra. Adde quod vnica ſit ad æternam gloriam via mortali iuuare mortalem. Quam æternam gloriam, vt in ſolo, ſic in cœlo tibi ex intimis animi penetralibus vouet, & ritè apprecatur *Nobilitati, Virtuti, Doctrinæque tuæ*

PRÆSES AMPLISSIME

Indiſſolubili nexu obſtrictiſſimus Cliens,
Frater PHILIBERTVS FEZAYVS Carmelita.

IN OPVSCVLVM
DE MYSTERIO
INCARNATIONIS VNIVERSÆ
A. R. P. PHILIBERTO FEZAYO
ORDINIS CARMELITARVM, ET
in Auguſta Salyorum Vniuerſitate Regio
S. Theologiæ Profeſſore digniſſ.
recens editum

IOAN. ANT. IAVBERTI Rianſenſis
Eiuſdem quondam in S. Theologia per triennium
Auditoris, nunc iuris alumni;

EPOS.

Quis menti nouus ardor ineſt, F E Z A Y E *Medullæ*
Heliadûm, ſophiæque decus? Quis te ardua fandi
Feruor agit, tantoque ferit præcordia Thyrſo?
An Pietas? Quippe; ipſa tibi Penetralia Diuûm
Cernere, & auguſtos lucis dat viſere fontes:
Nam velut altiuolans mediâ Iouis ales in æthrâ
Phœbæos oculis radios explorat, & acrem
Intendens aciem, Iaculatos ſuſtinet Ignes;
Haud aliter, F E Z A Y E, *ſacras aſſurgis in auras,*
Diuinoſque petens directo limite tractus,
Cominus exploras animo, ſupremaque viſu,
Æternæ ſobolis, non caligante, tueris:
Tu ſiquidem Diuûm interpres, Tu quum ore profundo
Enthea verba ciens, V E R B I *ſublimia pandis;*
Pandis, & hinc Superûm circunſtat turba Miniſtrûm.

ĩ Et

Pendula, & orthologæ miratur dogmata linguæ:
Nec temerè, cum Magna ſubis Myſteria, MAGNO
Ordiris præeunte VIRO; ſic fauſtius omen
Surgit, & auguſto præludit Nomen Epodo
FORBINI, Quem ſi verbis extollere, Phœbo
Vel plaudente velim; magis haud præſtare potiſſim,
Quàm ſi tota tuo cupias Myſteria libro
Voluere, & immenſum verbis comprehendere VERBVM.
Illum etenim virtus animi, magnuſque vetuſtæ
Gentis honos, dudum Dijs Immortalibus æquat.
* Nec δολερός μὲν ἔπειν αἰσχρῶς ψευδόμενα πλάττω;
Vera loquor; quemcunque tuâ, FORBINE, requiram
Antiquâ de ſtirpe virum, COMITEMVE, DVCEMVE,
Aut populos æquâ rerum ditione prementem,
SACRIVE Inuenio decorantem Inſignia COCCI.
Te quis enim MAGNO, totus quem concinit orbis,
FORBINO PALAMEDE ſatum? quis & ardua tanti
Neſciat acta Viri? cui, quòd ſub principe IVSTO
Viuimus, & Franco Iuncta eſt PROVINCIA Regno,
Referimus. Quis conſpicuum Mauorte PARENTEM
GERMANOSVE tuos? quos per bella horrida Lethum,
Dum rapuit, * Lethe eripuit. Quem ſtemmata MATRIS
Prætereant? quæ Belligerâ de Gente GRIMALDVM
Progeniem trahit, Inuictis ac proinde MONÆCIS
Principibus; PROAVIQVE tui, qui præfuit oris
ROTHOMAGVM, factoque animi per crebra pericla
Prælia, conceſſis SALYOS, facto auſpice, rexit
Imperijs, quos occiduo vaga lympha SIAGNÆ
Cingit, & ortiuo, concludit VARVS, olympo.
Quid ſuperis æqualem animum? quid magna reuoluam
Iuſtitiæ monimenta tuæ, ter Maxime PRÆSES
Purpurei lux vna chori? vel ad extera Rumor
Arua tulit quantùm tua ſe ſe immenſa probarit

* Nec verbo fallax turpiter fingo mendacia.

* Heroas tenebroſæ Gloria Lethe Eripit.

Officij virtus, PATRIA *cum ſæpe labante*
Tentaſti Inſanos toties auertere caſus.

Te reus inſtantem ſceleri pauet; Aequa ferentem
Iuſtus amat; Tu FORBINVM *quacunque* SALVVI
Perdiderant Proauûm fato, virtute reponis.

O felix, cuius ſpirant SALLVVIA *flammâ*
Pectora; qui certo ſuperi ſunt fœdere nexi;
Dum * ζωὴν τεῒν ἀθάνατοι; *Tua dumque fauebit*
Lux patriæ ac pietas, alios diſcordia campos
Vel fato ringente petet; Sua Iura reponet
Inconcuſſa Themis; coniungent fœdera pacem;
Atque iter ad Superos tua pandet neſcia vinci
Iuſtitia, & poſitis ſurget PROVINCIA *curis.*

At tu Borboniæ lux ô FEZAYE *Paleſtræ,*
Quem Salyis in AQVIS *Iam terque quaterque* PRIOREM
Heliadûm ſacer ordo tulit, quemque omine dextro
Ter ſua Præpoſitum fecit PROVINCIA *votis,*
Arcana ductum ſophiæ meliore metallo
Profer opus; Tantis adſunt Dij Terraque cœptis;
Dumque Genij monimenta tui das auſpice Magno [illegible]
FORBINO, FORS BINA *tuis ſubnaſcitur auſis:*
Nam VERBO *cælos,* FORBINO *Nomine terras*
Luſtrabis, geminiſque velut tua pagina pennis
Summa petens, cæcas fatorum conteret Iras,
Nomenque æternis FORBINVM *Imitabitur annis.*

* Vitam tibi Immortales, *Subauditur* dabunt.

VIRO

NOBILITATE, DIGNITATE,

ET VIRTVTE MAXIMO,

D. IOANNI BAPTISTÆ DE FORBIN

DOMINO A ROQVA, GONTARDO, RACCO, S. ANDREA, &c. Sanctioris & Secretioris Regij Conſiſtorij Conſiliario, & in ſupremo Gallo-prouinciæ Senatu Honorario cudone Præſidi inſignito,

ΕΤΥΜΟΛΟΓΙΚΟΝ

ΦΟΡΒΗΝΟΣ, ΦΟΡΒΗ ΝΟΥΣ,

Hoc eſt

PABVLVM MENTIS.

Θέσπισόν τ' ὅτι νοῦς ἔργον, κύδιστε Πρόεδρε
Φημίζῃ πρῶτον τὸ κλέος Ἡλιάδων;
Οὐχ ὡς ἀθανάταις δέρκηται τ' ὄνομα χάρταις;
Ἡνίκα λέσσονται βέλτιον ἐν Σαλύσι.
Εἰ οὖν ποιῶ βίβλων ἔργον γ' εἰ θέντος τοσαῦτα
Βίβλια, τοῦ γε πόσα σήθεα τῶν Σαλύων.
Ἀλλ' ὅτι θεῖον ΕΠΟΣ, ΦΟΡΒΗ ΝΟΥΣ, τὰ γὰρ καὶ ἴσον,
Αὐτ' ἱεροῖ, φρενί ὡς ἀμφοτέραν τε πλέκῃ.
Εἰ δὲ τρέφῃς γνώμην, ΦΟΡΒΗΝΟΝ τ' οὔνομ' Ἀχαιῶς,
Πράγματα καὶ αὐτοῦ λαμπροτέρους δέχεται.
Κἂν γὰρ ἀεὶ Σαλυὶν δαίμων τείρῃ κακόποτμος,
Τὸν δὲ σέω δαίμων ἔρρεμψαι ἀπέχει;
Τοὺς Σαλυὶς ζᾷ, χλευάζων τῆς κῆλα τελευτῆς,
Δύστηνον, τε σέθεν φῶς διά, φῶς ἀπέχει.

Ζῆ; κ' ἐνθένδε βλέπει, ὅτι ὡ ΦΟΡΒΗΝΟΣ ἀλέξει.
Ἡ δὲ τύχη αὐτῷ ἐυνοέει ἀγαθή.
Ζᾳ; κ) ὀπέυσυσιν πέδιόν, τε πόλος τε.
Κὴρ ἀρχλῶ σεόθεν δεδέμεναι ΠΡΟΕΔΡΟΥ.

IDEM LATINE.

AVguſtæ quòd mentis opus, tibi Maxime PRÆSES
Conſecret Heluaci gloria prima chori;
Non tua vt æternis ſpectentur Nomina chartis;
Quum melius Salyis ſint ſita pectoribus
Nam ſi hac parte libris opus eſſet, tot tibi ſacros
Adſpiceres libros, pectora quot Salyûm.
Sed quoniam VERBVM, *Tuque eſtis* * PARVLA MENTIS;
Hæc vouet, vt mentis iungat vtramque dapem.
Quòd mentem paſcas, FORBINO *Nomine Graius*
Hoc docet, Ac melius Nomine facta probant:
Nam licet aſsiduò Salyum Fors Improba vexet;
Non tamen hunc tua FORS BINA *perire ſinit.*
Sic Salyus viuit, Libitinæ ſpicula ridens,
Amiſſumque, tuo lumine, lumen habet;
Viuit; Et hinc ſentit, virtus inuicta quod olli,
Cui FORBINA *fauet*, FORS BONA, *ſemper adeſt;*
Viuit; Et hinc meritò Cœlum, Mare, Terraque diſcent:
Fata ſubeſſe tuo PRÆSIDIS *Imperio.*

* φορβῆνὺς pabulum mentis vnde Nomen Forbini.

IOAN. ANT. IAVBERTVS
Rianſenſis Iuris Alumnus.

VIRO
NOBILITATE, DIGNITATE, ET VIRTVTE MAXIMO,
D. IOANNI BAPTISTÆ DE FORBIN
DOMINO A ROQVA, GONTARDO, RACCO, S. ANDREA, &c. Sanctioris & Secretioris Regij Conſiſtorij Conſiliario, & in ſupremo Gallo-prouinciæ Senatu Honorario cudone Præſidi inſignito,

ΕΤΥΜΟΛΟΓΙΚΟΝ

ΦΟΡΒΗΝΟΣ, ΦΟΡΒΗ ΝΟΥΣ,
Hoc eſt
PABVLVM MENTIS.

Θεσπεσίῳ τ' ὅτι νοῦς ἔργον, κύδιστε Πρόεδρε
  Φημίζῃ ἀρῶτεν τὸ κλέος Ηλιάδων;
Οὐχ ὡς ἀθανάταις δέρκηται τ' ὄνομα γάρ τοῖς
  Ἡνίκα λεύσσονται βέλτιον ἐν Σαλύοις.
Εἰ οὐκοῦν βίβλων ἔργον γ' ἐν θετοῖς τοσαῦτα
  Βίβλια, τοί γε πόσα σήθεα τῶν Σαλύων.
Ἀλλ' ὅτι θεῖον ΕΠΟΣ, ΦΟΡΒΗ ΝΟΥΣ, τύγα καὶ ἐσὸν,
  Αὖτ' ἱεροῖ, φρενί ὡς ἀμφοτέραν τε πλέκῃ.
Εἰ δὲ τρέφῃς γνώμην, ΦΟΡΒΗΝΟΝ τ' οὔνομ' Αχαιῶς,
  Πράγματα καὶ αὐτοῦ λαμπροτέρως δέχεται.
Κἂν γὰρ ἀεὶ Σαλύων δαίμων τηρῇ κακόποτμος,
  Τὸν δὲ σέω δαίμων ἐῤῥέμβυαι ἀπέχει;
Τὼς Σαλύες ζᾷ, χλευάζων τῆς κῆλα τελευτῆς,
  Δύστηνον, τε σέθεν φῶς διὰ, φῶς ἀπέχει.

Ζῇ; κ' ἐνθένδε βλέπει, ὅτιν ὧ ΦΟΡΒΗΝΟΣ ἀλέξει.
Ἡ δὲ τύχη αὐτῷ ξυνοίει ἀγαθή.
Ζᾳ; κὶ ὀπεύσυσιν πέδιόν, τε πόλος τε.
Κήρ ἀρχλιὼ σεόθεν δειδίμθμαι ΠΡΟΕΔΡΟΥ.

IDEM LATINE.

AVguſtæ quod mentis opus, tibi Maxime PRÆSES
Conſecret Heliaci gloria prima chori;
Non tua vt æternis ſpectentur Nomina chartis;
Quum melius Salyis ſint ſita pectoribus
Nam ſi hac parte libris opus eſſet, tot tibi ſacros
Adſpiceres libros, pectora quot Salyûm.
Sed quoniam VERBVM, *Tuque eſtis* * PABVLA MENTIS;
Hæc vouet, vt mentis iungat vtramque dapem.
Quòd mentem paſcas, FORBINO *Nomine Graius*
Hoc docet, Ac melius Nomine facta probant:
Nam licet aßiduò Salyum Fors Improba vexet;
Non tamen hunc tua FORS BINA *perire ſinit.*
Sic Salyus viuit, Libitinæ ſpicula ridens,
Amiſſumque, tuo lumine, lumen habet;
Viuit; Et hinc ſentit, virtus inuicta quod olli,
Cui FORBINA *fauet,* FORS BONA, *ſemper adeſt;*
Viuit; Et hinc meritò Cælum, Mare, Terraque diſcent;
Fata ſubeſſe tuo PRÆSIDIS *Imperio.*

* Φορβὴν νῦς pabulum mentis vnde Nomen Forbini.

IOAN. ANT. IAVBERTVS
Rianſenſis Iuris Alumnus.

DE PATRIA, ET INSTITVTO AVTHORIS HVIVS OPVSCVLI,

Ad eundem

TETRASTICHON.

AVenio dedit alma tibi primordia vitæ,
Atque tuum ſacro diluit amne caput:
Sed Carmelus AQVIS te albo decorauit amictu,
Iunxit & Eliadis per tria vota ſuis.

F. CLAVDIVS FEZAYVS Carmelita,
S. Theologiæ Doctor.

FACVLTAS REVERENDISSIMI PATRIS GENERALIS CARMELITARVM.

NOS Frater Theodorus Stratius Magiſter Generalis Carmelitarum Antiquæ Obſeruantiæ Regularis, Authoritate noſtra tenore præſentium tibi Adm. Reuerendo Patri Magiſtro Philiberto Fezayo noſtri Ordinis Prouinciæ Prouinciæ Profeſſo Sacerdoti, & in Regia Vniuerſitate Aquenſi S. Theologiæ Profeſſori, facultatem facimus typis mandandi *Opuſculum de Myſterio Incarnationis in communi* à te elaboratum, & compoſitum, atque à viris doctis noſtri Ordinis examinatum, & approbatum, tanquam publicâ luce dignum: quippe quod nihil contineat, quod orthodoxæ fidei vel bonis moribus aduerſetur. Horum fide, &c. Datum Romæ, die 2. Septembris 1640.

Fr. THEODORVS STRATIVS Generalis Carmelitarum Antiquæ Obſeruantiæ Regularis.

Loco † Sigilli.

Fr. FRANCISCVS MONTIVS Secretarius Ordinis.

Approbatio Doctorum.

NOS ſubſignati Doctores Theologi librum, cui titulus eſt inſcriptus *Opuſculum de Myſterio Incarnationis in communi*: non tantùm mentis examine ponderauimus: ſed etiam æquis oculis ſuſpeximus, cum ab Authore prodeat doctrina, & pietate celebri: qui emenſo, ac ſæpius repetito, primùm Philoſophiæ, deinde Theologiæ curriculo, poſteris opus relinquit ſuæ doctrinæ monumentum: quod cum oleum, ac demorſos vngues ſapiat, dignum iudicauimus, quod typis mandetur, tanquam orthodoxæ fidei, boniſque moribus conſonum. Datum Maſſiliæ, die 20. Nouembris 1640.

PETRVS DE BAVSSET Præpoſitus Eccleſiæ Cathedralis Maſſiliæ.

PHILIPPVS DE BAVSSET Doctor Theologus Maſſilienſis Eccleſiæ Canonicus.

Digitized by Google

INDEX

Sectionum, & Controuerſiarum, quæ in hoc Opuſculo de Myſterio Incarnationis vniuersè continentur.

SECTIO I.

De nomine Incarnationis.

CONTROVERSIA 1. An myſterium Incarnationis ſit ineffabile. pag. 2.
2. Quibus nominibus hoc myſterium appelletur. pag. 7.
3. An myſterium hoc bene appelletur Incarnatio. pag. 8.
4. Quid ſit Incarnatio. pag. 12.

SECTIO II.

De poſſibilitate Incarnationis.

CONTROVERSIA 1. An Incarnatio ſit poſſibilis. pag. 13.
2. An Incarnatio lumine ſupernaturali cognoſcatur poſſibilis. pag. 29.
3. An Incarnatio lumine naturali cognoſcatur poſſibilis. pag. 31.
4. An Incarnatio lumine naturali cognoſcatur impoſſibilis. pag. 40.

5. An ſuppoſita fide Incarnationis, poſſit probari eam eſſe poſſibilem. pag. 42.

SECTIO III.

De exiſtentia Incarnationis.

CONTROVERSIA 1. An probari poſſit contra Iudæos Incarnationem eſſe factam. pag. 46.
2. An probari poſſit contra Gentiles Incarnationem eſſe factam. pag. 65.

SECTIO IIII.

De manifeſtatione Incarnationis.

CONTROVERSIA 1. Quomodo Incarnatio manifeſtata fuerit Iudæis. pag. 80.
2. Quomodo Incarnatio manifeſtata fuerit Gentilibus. pag. 82.
3. An Incarnatio conuenienter manifeſtata fuerit: Iudæis quidem per Angelos corporeo aſpectu apparentes: Gentilibus vero per ſtellam in oriente radiantem. pag. 84.
4. An Angeli corporea viſione myſterium Incarnationis Chriſti manifeſtantes fuerint ex natura ſua corporei. pag. 88.
5. An Stella, quæ viſa fuit in Oriente à Magis, ad manifeſtandam Verbi Incarnati natiuitatem fuerit vna de cœleſtibus, aut Cometa, aut aliud meteorum. pag. 97.

SECTIO V.

De tempore, quo facta eſt Incarnatio.

CONTROVERSIA I. Sub quibus Principibus facta ſit Incarnatio. pag. 112.
2. Quomodo probetur contra Iudæos Incarnationem eſſe factam ſub Herode. pag. 113.
3. Quomodo probetur contra Gentiles Incarnationem eſſe factam ſub Auguſto. pag. 117.

SECTIO VI.

De vtilitate Incarnationis.

CONTROVERSIA I. An Incarnatio fuerit vtilis ad complementum Vniuerſi totius. pag. 125.
2. An Incarnatio fuerit vtilis ad perfectionem naturæ humanæ. pag. 130.
3. An Incarnatio fuerit vtilis ad redemptionem Generis humani. pag. 133.
4. Quare Deus voluerit redimere hominem potiùs per Incarnationem, quàm per aſſumptionem naturæ Angelicæ, pag. 137.
5. Quare Deus redemerit hominem potiùs quàm Angelum. pag. 142.

SECTIO VII.

De Meſſia, ſeu Chriſto, in quo completum fuit Myſterium Incarnationis.

CONTROVERSIA I. An nomen Meſſiæ, ſeu Chriſti conueniat Ieſu Nazareno. pag. 146.

2. An Ieſus Nazarenus fuerit Propheta. pag. 153.
3. An Ieſus Nazarenus fuerit Sacerdos. pag. 175.
4. An Ieſus Nazarenus fuerit Rex. pag. 206.

SECTIO VIII.

De Diuinitate, & Humanitate Meſſiæ, ſeu Chriſti.

CONTROVERSIA 1. An Meſſias, ſeu Chriſtus debeat eſſe Deus, & homo. pag. 231.
2. An Ieſus Nazarenus ſit verus Deus, & verus homo. pag. 235.
3. An lumine naturali cognoſci potuerit Ieſum Nazarenum eſſe verum Deum. pag. 245.
4. An, quomodo, & quando Dæmones cognouerint Ieſum Nazarenum eſſe Deum. pag. 252.
5. An oracula Prophetarum, quæ de Meſſia ſunt, conueniant ſoli Ieſu Nazareno. pag. 256.
6. An Ieſus Nazarenus ſit Meſſias, in quo completum fuerit Incarnationis myſterium. pag. 279.

OPVSCVLVM DE INCARNATIONE VERBI DIVINI VNIVERSE.

In hoc Opuſculo erunt octo Sectiones.

1. De nomine Incarnationis.
2. De poſſibilitate Incarnationis.
3. De exiſtentia Incarnationis.
4. De Manifeſtatione Incarnationis.
5. De tempore, quo facta eſt Incarnatio.
6. De vtilitate Incarnationis.
7. De termino Incarnationis, vel de Meſſia ſeu Chriſto.
8. De Diuinitate, & Humanitate Meſſiæ ſeu Chriſti.

SECTIO I.

DE NOMINE INCARNATIONIS.

Ineffabilitas, varia nomina, Etymologia, Definitio Incarnationis quatuor Controuerſijs ſunt explicanda.

1. An Myſterium Incarnationis ſit ineffabile.
2. Quibus Nominibus appelletur hoc Myſterium.
3. An Myſterium hoc bene appelletur Incarnatio.
4. Quid ſit Incarnatio.

CONTROVERSIA I.

An Myſterium Incarnationis ſit ineffabile.

DICO PRIMO Myſterium Incarnationis eſſe ineffabile. §. 1

Probatur PRIMO ex ſcripturæ duobus locis.

Iſai. 53. PRIMVS locus eſt Iſaïæ cap. 53. *Generationem eius, quis enarrabit?* quæ verba explicantur de humana Chriſti generatione à S. Athanaſio in libro de Incarnatione Verbi. Iuſtino quæſtione 67. ad Orthodoxos. Tertullianus contra Iudæos cap. 13. Quamuis eadem verba explicentur etiam de Diuina Chriſti Generatione à Sancto Ba-

S. Athan. Tertull. S. Baſil.

ſilio lib. 1. contra Eunom. à Iuſtino contra Triphonem. à S. Io. Chriſoſtomo lib. de incomprehenſibili natura Dei. Licet etiam explicentur de vtraque ſimul à S. Auguſt. lib. 50. hom. 36 à S. Hieronymo, Cyrillo, & alijs. Iſaias ergo contemplans probra, & dolores Chriſti, ſimulque contemplans eius perſonam, & dignitatem rapitur, & admirabundus exclamat: *Generationem eius quis enarrabit?* quaſi diceret Nemo: quia eſt ineffabilis: Si enim eum vt Deum ſpectes: eius Generatio eſt æterna: Nam Pater æternus eum ab æterno genuit: Si vero eum ſpectes vt hominem eius Generatio eſt facta in tempore ex B. Virgine Matre, cooperante Spiritu Sancto: Quando vero genitus fuit ex B. Virgine vniuit verbo hypoſtaticè naturam humanam: quæ vnio eſt ineffabilis.

Tertull. Iuſtin. S. Io. Chriſ. S. Aug. S. Hieron. S. Cyrill.

§. 2 SECVNDVS locus eſt Prouerbior. cap. 30. *Tria ſunt mihi difficilia, & quartum penitus ignoro: viam Aquilæ in cælo: viam Colubri ſuper petram: viam nauis in medio mari: & viam Viri in Adoleſcentula.* Nam licet vulgata in verſione legatur frequentiùs, in adoleſcentia: tamen prior lectio interdum in vulgata verſione reperitur: & in Hebræo eſt vox [Alma] quæ Virginem ſignificat: & ita legẽdum, eſſe ait Nicolaus de Lyra qui hunc locum de Chriſti conceptione intellexit. Chriſtus enim in vtero B. Virginis fuit perfectus homo iuxta illud Hierem. cap. 31. *Fæmina circundabit virum.* Confirmatur ex S. Auguſtino ſerm. 11. de Natiuit. *De cælo Medicus tranſiens per Virginem, poſt tranſitum ſuum illaſam fecit Virginem permanere.*

Prouerb. 30. Nic. de Lyra. S. Aug.

§. 3 Probatur SECVNDO ex Patribus S. Dionyſius cap. 2. de Diuin. nominib. ait *Ieſu in carne apparitio*

S. Dionyſ.

& ineffabilis eſt ſermone omni: & omni ignota intelligentia: ipſi quoque Angelorum Primati non ſatis perſpecta. S. Syrillus ad Reginas, inquit, hoc eſſe quaſi Ænigma ſacratiſſimum, quod ſumma potius veneratione ſuſcipiendum eſt, quam humani iudicij trutinæ ſubijciendum. S. Hieronymus in cap. 45. Iſaiæ, ait Chriſtum vocari Deum abſconditum propter aſſumpti corporis ſacramentum: quod ideo ineffabile eſt.

S. Cyril. S. Hieron.

Probatur TERTIO à ſimili: Duo habeo ſimilia, quæ proferam. §. 4

Vnum ſimile eſt Myſterium Sanctæ Trinitatis, quod S. Dionyſius cap. 13. de Diuin. nominib. vocat ineffabile quia in eo multa continentur mirabilia, quæ nec verbis exprimi, nec mente humana comprehendi poſſunt. Sed eadem fere mirabilia, quæ ſunt in Trinitate, ſunt etiam in Incarnatione. Nam in Trinitate vna natura eſt in multis perſonis: in Incarnatione vna perſona eſt in multis naturis. In Trinitate eſt duplex productio, ſcilicet, Filij, & Spiritus Sancti: in Incarnatione eſt duplex productio, ſcilicet corporis & animæ Chriſti. In Trinitate Spiritus Sanctus procedit à Patre, & à Filio: in Incarnatione Chriſtus procedit à Deo Patre, & à B. Virgine Matre. In Trinitate Pater producens, & Filius productus ſunt vnus Deus: in Incarnatione Deus producens, & homo productus ſunt vnus Chriſtus. In Trinitate Pater dicendo producit ſuum Filium: in Incarnatione Mater dicendo producit ſuum filium. *Fiat* Luc. cap. 1. In Trinitate Pater eſt in Filio, & Filius eſt in Patre: Ioan. cap. 14. *An neſcis quia ego in Patre, & Pater in me eſt:* in Incarnatione, caro eſt in Verbo, & ver-

S. Dionyſ. Luc. 1. Ioan. 14. Ioan. 1.

bum eſt in carne. Ioan. cap. 1. *Verbum caro factum eſt.*

§. 5 Alterum ſimile eſt Sacramentum Euchariſtiæ, quod S. Cyprianus vocat ineffabile in ſermon. de Cœna Domini: quia eſt Memoria Mirabilium Dei pſal. 100. *Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors, & miſerator Dominus eſcam dedit, &c.* Sed omnia mirabilia, quæ ſunt in Sacramento Euchariſtiæ ſunt etiam in myſterio Incarnationis. Nam in Euchariſtia corpus Chriſti latet ſub ſpeciebus: in Incarnatione Diuinitas latet ſub Humanitate. In Euchariſtia accidentia ſunt ſine ſubjecto: in Incarnatione natura humana eſt ſine ſua ſubſiſtentia. In Euchariſtia corpus Chriſti eſt impaſſibile, ſolæ ſpecies franguntur: in Incarnatione Diuinitas eſt impaſſibilis, ſola humanitas fracta fuit. In Euchariſtia Chriſtus dat nobis vitam æternam Ioan. cap. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam*: in Incarnatione Chriſtus venit, vt abundantiùs det nobis vitam. Ioan. cap. 10. *Ego veni vt vitam habeant, & abundantiùs habeant*: In Euchariſtia corpus Chriſti non occupat locum, ſed ſolæ ſpecies: in Incarnatione Diuinitas non occupat locum, ſed ſola humanitas. In Euchariſtia duplex eſt productio, vna ſub ſpecie panis: altera ſub ſpecie vini: in Incarnatione duplex eſt productio, vna corporis, altera animæ. In Euchariſtia Chriſtus ſummus Sacerdos medio Sacerdote dicendo producit Chriſtum: in Incarnatione Deus trinus Media B. Virgine dicendo producit Chriſtum. In Euchariſtia Chriſtus in recipiente Sacramentũ, & recipiens Sacramentum eſt in Chriſto. Ioan. cap. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in eo*: in Incarna-

S. Cyprian, Pſal. 100.

Ioan. 6.

Ioan. 10.

Ioan. 6.

tione Deus eſt in homine: & homo in Deo: Io.
Ioan. 14. cap. 14. *Ego in Patre, & Pater in me eſt.*
Probatur QVARTO ratione: Quis enim mor- §. 6
talium explicare poſſet quomodo vna perſona ſine vlla mutatione fuerit bis genita: ſemel ab æterno ex Patre ſine Matre: & ſemel in tempore ex Matre ſine Patre? Quomodo idem homo ex naturā Diuina, & natura humana ſine vlla imperfectione fuerit compoſitus? Quomodo vna Adoleſcentula, dum Angelus loquitur, ipſa audit, ſine viri ope, ſola Spiritus ſancti obumbratione genuerit Deum occultum, hominem manifeſtum: manens ſine vlla corruptione virgo ante partum, virgo in partu, &
S. Aug. virgo poſt partum? Confirmatur ex S. Auguſtino ſerm. 11. de Natiuit. *Angelus ſermonem ejecit, & Chriſtum virgo concepit. O conjunctio ſine ſordibus facta; vbi maritus ſermo eſt, & vxor auricula: nulla potuit fieri grauedo concipienti, nulla triſtitia parturienti.*

DICO SECVNDO quamuis ea quę tractantur §. 7
in hoc Myſterio ſupra noſtrum ſenſum, ſupra rationem, ſupra omnem captum ſita ſint, diſputandum tamen eſſe de his, quæ ſcire nobis conuenit, & quæ partim Diuina ope, eiuſdemque Sanctiſſimæ Matris interceſſione, partim induſtria noſtra, & labore conſequi poſſumus.

Probatur PRIMO, quia habemus fidem tanquam regulam nobis propoſitam, à Sanctis Patribus illuſtratam, & ab omnibus purgatam erroribus, vt à vera huius Myſterij doctrina deflectere difficillimum ſit. SECVNDO, quia multi Patres, multique Theologi de hoc Myſterio licet ſit ineffabile ſubtiliſſimè, & clariſſimè diſputarunt.

CONTROVERSIA II.

Quibus nominibus appelletur hoc Myſterium.

§ 1 DICO PRIMO apud Græcos Myſterium vnionis hypoſtaticæ varijs nominibus appellari. Nam dicitur PRIMO Θεοφανία, ideſt apparitio Dei, apud S. Dionyſium cap. 2. de diuinis Nominib. & S. Greg. Nazianzenum in orat. de Natiuitate Dei. Videtur ſumptum ex cap. 3. Baruch *in terris viſus eſt*. SECVNDO Ἐνανθρώπησις, ideſt inhumanatio, apud S. Io. Damaſcenum lib. 3. de fide orthod. cap. 6. videtur ſumptum ex Baruch ibid. *Cum hominibus conuerſatus eſt*. TERTIO Οἰκονομία id eſt Oeconomia apud eundem Ioan. Damaſcenum ibidem: videtur ſumptum ex Apoſtolo in epiſt. ad Coloſſenſes cap. 2. *In quo omnes theſauri Sapientiæ, & Scientiæ ſunt abſconditi*. QVARTO dicitur Σάρκωσις ideſt carnis generatio apud S. Cyrillum in lib. de Incarnat. Vnigeniti. Videtur ſumptum ex Ioan. cap. 1. *Verbum caro factum eſt*. QVINTO Σαρκοποίησις apud S. Io. Damaſcenum lib. 3. de fide orth. cap. 2. huius nominis eadem eſt notio, quæ ſuperioris. SEXTO denique dicitur Ἐπιφάνεια ideſt Manifeſtatio apud Ioan. Lorinum in cap. 2. epiſt. 1. Sancti Ioannis, verſ. 28. dum explicat illa verba: *Manete in eo: vt cum apparuerit, &c.* Græcum habet φανερωθῇ, ideſt, manifeſtus, & reuelatus fuerit: quia vt habet Lorinus ibidem Deus qui dicitur abſconditus Iſai. cap. 45. apparuit, &

S. Dionyſ. Greg. Naz. S. Io. Damaſc. Io. Damaſc. S. Cyrill. S. Io. Damaſc. Ioan. Lorin. Iſai. 45.

manifeſtatus eſt per vnionem hypoſtaticam.

DICO SECVNDO apud Latinos Myſterium Vnionis hypoſtaticæ varijs etiam nominibus appellari: Nam dicitur PRIMO deſcenſus: Iſai. cap. 64. *Vtinam diſrumperes cælos, & deſcenderes.* SECVNDO, Exinanitio ad Philippenſes cap. 2. *Semetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens.* TERTIO Habitus, in eadem epiſtola ad Philippenſ. cap. 2. *Habitu inuentus vt homo.* QVARTO corporatio à S. Hilario in prolog. ſuper Pſalmos. QVINTO. Mixtura admirabilis à S. Auguſtino in ep. 3. ad Voluſianum. SEXTO. Contemperatio Diuinitatis cum humanitate, à S. Greg. Nyſſeno in orat. cathetica. SEPTIMO. Apprehenſio à S. Anſelmo explicante illa verba epiſt. ad Hebr. cap. 2. *Semen Abrahæ apprehendit.* OCTAVO. Suſceptio à Michaële de Bononia in Pſalm. verſic. 2200. dum explicat illa verba pſalm. 118. *Suſcipe me ſecundum eloquium tuum, & viuam.* NONO. Incarnatio à S. Auguſtino lib. 10. de Ciuitate Dei cap. 24. & 29. S. Hieronym. in cap. 1. Marc. S. Ambroſio in cap. 23. Luc. & ab alijs communiter. §. 2

Iſai. 64. Philip. 2. Ibid. S. Hilar. S. Aug. S. Greg. Nyſſ. S. Anſelm. Mich. de Bonon. S. Auguſt. Hieron. S. Ambr.

CONTROVERSIA III.

An Myſterium hoc bene, & propriè appelletur Incarnatio.

RATIO DVBITANDI eſt, quia vocabulum Incarnationis prima fronte videtur exprimere ſolam carnem, ideſt ſolius carnis aſſumptionem: ſicut dixerunt Apollinariſtæ, & §. 1

Ariani

Arriani apud Guidonem Carmelitam in ſumma de hæreſib. titul. de hæreſib. ſecundum Auguſtin. cap. 51. Ideo Catholici referente S. Athanaſio in orat. de Deipara, illo vti aliquando formidarunt ne cum hæreticis ſentire putarentur. Guid. Carmel. S. Athan.

§. 2 DICO hanc vocem Incarnatio ad hoc Myſterium ſignificandum aptiſſimè eſſe accommodatam.

Probatur PRIMO quia fundamentum euidentiſſimum habetur in ſcriptura Ioan. cap. 1. *Verbum caro factum eſt.* & in epiſt. ad Roman. cap. 1. *Qui factus eſt ex ſemine Abrahæ ſecundum carnem.* & in epiſt. ad Hebræos cap. 5. *Qui in diebus carnis ſuæ.* Ioan. 1. Rom. 1. Hebr. 5.

Probatur SECVNDO ex Concilijs, quæ Verbum vnitum humanitati vocant incarnatum. In Symbolo Concilij Niceni, & Conſtantinopolitani habetur. *Et Incarnatus eſt de Spiritu Sancto.* Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. & habetur in cap. firmiter: de Summa Trinitate, & fide Catholica §. *Et tandem Vnigenitus Filius Dei Ieſus Chriſtus à tota Trinitate communiter Incarnatus, ex Maria Virgine, Spiritus Sancti cooperatione verus homo factus ex anima rationali, & humana carne.* Concilium Toletanum VI. cap. 1. *Solus Filius Dei eſt Incarnatus.* Idem habent Concilium Toletanum XI. in confeſſione fidei & Concilium Carthagin. V. cap. primo. Symb. Miſſ. Conc. Later. Conc. Tolet. 6. Conc. Tolet. 11. Conc Carth 5.

§. 3 Probatur TERTIO ex Patribus: Latini enim nomine Incarnationis: Græci vero nomine Σαρκώσεως vtuntur. Inſtar omnium ſit S. Athanaſius, qui in oratione de Deipara, inquit: *Incarnationis & aſſumptæ humanitatis ſpeciem ſub vna voce ſimul prædicamus: Neque ſolum Incarnationem annunciamus: ſed vna cum Incarnatione aſſumptam humanitatem: Ne videamur cum impijs hæreticis inanimatam, menteque vacuam, &* S. Athan.

irrationalem Incarnationem ſtatuere : Sed ex eo quod dicimus Incarnationem, & humanitatem ſimul aſſumptam, & carnem credimus, & animam rationalem, & mente præditam ſignificamus.

Probatur QVARTO rationibus. PRIMA eſt §.4
quia nomen Incarnationis magis explicat incredibilem erga nos Dei charitatem, qui eouſque propter homines ſeſe demiſit, vt carni, quæ eſt pars hominis viliſſima, & innumeris infirmitatibus obnoxia ſe copulare voluerit, iuxta illud ad Philip-
Philip. 2. penſes cap. 2. *Semetipſum exinaniuit formam Serui accipiens in ſimilitudinem hominum factus, & habitu in-*
1. Timot.3. *uentus vt homo.* & 2. Timoth. cap. 3. *Magnum pietatis Sacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne.*

SECVNDA quia caro ſignificat totum homi- §.5
nem : Sicut enim anima in ſcriptura aliquando ſi-
Gen. 46. gnificat totum hominem Geneſ. cap. 46. *Animæ*
Leuit. 5. *eggreſſæ de femore Iacob fuere ſexaginta ſex.* Leuitic. cap. 5. *Anima quæ tetigerit aliquid immundum* : ita caro non raro per Sinedochem ſignificat totum
Gen. 6. hominē. Geneſ. cap. 6. *Omnis caro corruperat viam*
Luc. 3. *ſuam.* Luc. cap. 3. *Videbit omnis caro ſalutare Dei.* In
Rom. 3. epiſt. ad Roman. cap. 3. *Ex operibus legis non iuſti-*
Ioan. 1. *ficabitur omnis caro.* Ioan. cap. 1. *Verbum caro factum*
eſt. TERTIA à Minori ad Majus : Si enim voluit §.6
aſſumere carnem, quanto magis animam. QVARTA
Tertull. quia ex Tertulliano Libro de carne Chriſti cap.
S. Cyrill. 6. & S. Cyrillo in Epiſtola ad Neſtorium, quæ habetur initio Concilij Epheſini: *Vera caro animam complectitur in ſe, cum debeat eſſe viua, & animata* : Caro
Ariſtotel. enim inanimata eſt homonimè caro, ex Ariſtotele lib. 4. Meteoror. cap. vltim. & lib. 2. de anim. text. 8. & 9. & lib. 7. Metaph. text. 35.

Digitized by Google

§.7 OBIICIES hoc Nomen Incarnatio reijci à quibuſdam Grammaticis, tanquam minus Latinum. RESPONDEO PRIMO hoc nomen ducere originem ex ſacris literis: idem enim eſt verbum fieri carnem, ac incarnari. RESPONDEO SECVNDO vetuſtiſſima, & antiquiſſima Concilia, peritiſſimoſque linguæ Latinæ Patres eo vti. RESPONDEO TERTIO cum Cicerone lib. 3. de finib. ſect. 3. & 4. Non eſſe mirandam nouitatem nominum in Philſopho: cum cæteri omnes Artifices vtantur verbis nobis incognitis, ſibi vero vſitatis: & ſi Philoſophi habent ſua propria vocabula, qualia ſunt, animalitas, formalitas, hæcceitas, ens rationis: imo ipſe Cicero lib. 3. epiſ. 7. fingit Lentuletatem, & Appietatem: cur Theologus non habebit peculiaria nomina, quibus huius Myſterij amplitudo explicetur: talia autem vocabula ſunt: eſſentia, exiſtentia, hypoſtaſis, Pater, Filius, Cicer. Cicer.

§.8 Spiritus Sanctus, Incarnatio. RESPONDEO QVARTO ex Cicerone ibidem: inuentis nouis rebus, cuiuſmodi eſt præſens Myſterium, licet noua inuenire vocabula: ſicut Eccleſia recentes voces olim excogitauit ad res nouas breuiùs, & meliùs exprimendas: vt ſunt Ὁμύσιος, ideſt conſubſtantialis: Θεοτόχος, ideſt Mater Dei: illam in Concilio Niceno: hanc in Concilio Epheſino. Item excogitauit hanc vocem Tranſubſtantiatio, ideſt conuerſio vnius ſubſtantiæ totius in aliam totam ſubſtantiam in Concilio Lateranenſi. Hæc itaque vox Incarnatio, quæ habet fundamentum in ſcriptura aptè excogitata Cicer. Conc. Later.

§.9 eſt ad explicandum hoc Myſterium. CONFIRMATVR hæc reſponſio ex varijs locis S. Auguſt. tract. 2. in Ioan. explicans hæc verba: *Qui non ex ſangui-* S. Aug.

nibus, ait, *Non timeamus ferulas Grammaticorum, dum tamen ad veritatem ſolidam, & certiorem perueniamus.* & lib. 3. de doctr. Chriſtian. cap. 3. ait: *Plerumque conſuetudo vulgaris vtilior eſt ſignificandis rebus, quam integritas literata: Mallem quippe cum Barbariſmo dici: Non eſt occultatum à te oſſum meum; quam os meum, vt ſit minus apertum, quia magis Latinum eſt.*
S. Auguſt. Item lib. 4. de doctrin. Chriſtian. cap. 11. *Quid prodeſt clauis aurea, ſi aperire quod volumus non poteſt? Aut quid obeſt lignea, ſi hoc poteſt: quando nihil quærimus, niſi patere, quod clauſum eſt?*

AD RATIONEM DVBITANDI Reſpondeo Verbum Diuinum aſſumpſiſſe non ſolam carnem, quæ non eſt viua ſine anima: ſed aſſumpſiſſe totum hominem ex corpore & anima conſtantem in vnitate perſonæ: Quod autem Catholici, non videantur idem ſentire cum hæreticis Apollinariſtis & Arrianis bene explicat S. Athanaſius ſupra in tertia probatione citatus: & rationes id probant. §. 10.

S. Athan.

CONTROVERSIA IV.

Quid ſit Incarnatio.

§. 1.

DICO hanc Incarnationis definitionem commodè poſſe dari. Incarnatio eſt conjunctio duarum naturarum, Diuinæ ſcilicet & humanæ in vna, eademque hypoſtaſi, ſeu perſona increata Verbi Diuini: Cuius definitionis veritas apparebit ex dicendis de Meſſia Sect. 7. contr. 1. §. 9.

SECTIO II.

DE POSSIBILITATE *Incarnationis.*

De Incarnationis poſſibilitate quatenus eſt cognoſcibilis, tum lumine ſupernaturali tum lumine naturali hic agendum eſt quinque controuerſijs.

1. An Incarnatio ſit poſſibilis.
2. An Incarnatio lumine ſupernaturali cognoſcatur poſſibilis.
3. An Incarnatio lumine naturali cognoſcatur poſſibilis.
4. An Incarnatio lumine naturali cognoſcatur impoſſibilis.
5. An ſuppoſita fide Incarnationis poſſit probari eam eſſe poſſibilem.

CONTROVERSIA I.

An Incarnatio ſit poſſibilis.

INCARNATIONIS poſſibilitatem negauerunt omnes Chriſti hoſtes, & Chriſtianorum inimici: qui diuiſi ſunt in quatuor ſectas. PRIMA eſt Gentilium. SECVNDA Iudæorum. TERTIA Philoſophorum. QVARTA Hæreticorũ.

Innoc. GENTILIVM præcipui ſunt Romani, qui vt §. 1
referunt Innocentius III. ſerm. 2. de Natiuitate.
S. Bonau. S. Bonauentura in lib. de quinque feſtiuitatibus
S. Antonin. pueri Ieſu cap. 2. S. Antoninus in prima part. hiſt. titul. 4. cap. 6. §. 10. dicuntur ædificaſſe templum in honorem Pacis, in quo ſtatuam Romuli collocauerunt. Conſulentibus autem illis oraculum Apollinis, quandiu duraturum eſſet Templum illud: Reſpondit Apollo duraturum quouſque Virgo pareret: quo audito dixerunt: Templum Pacis in æternum manebit. Impoſſibile enim putabant Virginem poſſe parere: ſcripſeruntque in foribus Templi hæc verba: *Templum pacis in æternum.* Verum ipſamet nocte qua B. Virgo Chriſtum peperit templum illud corruit.

IVDÆI autumant Incarnationem non eſſe poſſibilē: quia exiſtimant Virginem non poſſe parere: §. 2
quia Deum non poſſe fieri hominem ſine aliqua mutatione ſibi perſuadent: quia perſona filij, quæ eſt indiuiſibiliter, & inſeparabiliter cum perſona Patris, & cum perſona Spiritus Sancti in vna numero natura Diuina non poteſt incarnari, niſi ſeparetur à perſona Patris, & à perſona Spiritus Sancti, vel niſi ſingulæ perſonæ Trinitatis incarnentur.

S. Aug. Porphir. PHILOSOPHI Nominatim Platonici, inter quos §. 3
recenſetur Porphirius apud S. Auguſtinum lib. 10. de Ciuitat. Dei cap. 29. dixerunt ſimpliciter, & abſolutè Incarnationem Verbi eſſe impoſſibilem: quos refutat S. Auguſtinus, eorumque argumenta quædam diluit: alia vero ab alijs referuntur. PRIMVM Compoſitio, qualis eſt Incarnatio repugnat ſummæ ſimplicitati Dei. SECVNDVM Deus non poteſt habere rationem partis quia perfectiſſimus

eſt: quomodo ergo poterit eſſe pars compoſiti ſcilicet Chriſti, quia quæ vniuntur non ſunt partes? TERTIVM Non eſt proportio inter naturam humanam, & perſonam Diuinam: finiti enim ad infinitum nulla eſt proportio ex communi Axiomate Philoſophorum, & Theologorum. QVARTVM Deus, qui eſt immutabilis non poteſt ex non homine fieri homo ſine aliqua mutatione. QVINTVM Perſona Diuina eſt ens in actu: natura etiam humana eſt ens in actu: ex duobus autem entibus in actu non fit vnũ ens per ſe, ſed per accidens: Ergo Deus incarnatus, ſeu Chriſtus non erit ens per ſe: ſed erit ens per accidens, ſeu ens per aggregationem.

§. 4 HÆRETICI Iudæos, & Platonicos ſecuti apud Gregor. de Valent. tom. 4. quæſt. 1. punct. 2. eundem ipſum, qui ſit homo negauerunt poſſe eſſe verum Deum, vt Ariani, Samoſateniani, & cæteri, quos Gregorius de Valent. vocat Iudæorum, & Ethnicorum Aſſeclas, qui inficiati ſunt Verbum potuiſſe fieri carnem: ita vt eadem perſona ſit & Deus, & homo iuxta illa Iudæorum verba Ioan. cap. 10. *De bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia, quia tu homo cum ſis facis teipſum Deum*: quaſi nimirum id ſit impoſſibile. Greg. de Val. Io. 10an.

§. 5 Similiter Neſtoriani apud Guidonem Carmelitam in Summa titul. de hæreſib. ſecundum Auguſt. cap. 65. myſterium Incarnationis negauerunt poſſibile: quandoquidem negauerunt Chriſtum eſſe Deum ex B. Virgine natum: qui non tantum naturam, ſed etiam perſonam haberet humanam: ita vt alia ſit perſona Chriſti, alia Dei: proindeque B. Virgo non ſit Θεοτόχος, ideſt pariens Deum, ſeu mater Dei: & Chriſtus non ſit Θεότοχος, ideſt natus Guid. Carmel.

ex Deo, ſeu filius Dei. Atque ita vocarunt Chri-
ſtum filium hominis, & Verbum Diuinum Filium
Dei. Cum autem arguerentur ex ſcripturis in qui-
Math. 16. Marc. 15. Luc. 1. bus Chriſtus dicitur Deus, & Filius Dei, Matth.
cap. 16. *Tu es Chriſtus Filius Dei.* Marc. cap. 15. *Vere*
iſte homo Filius Dei erat. Luc. cap. 1. *Ideoque, &*
Ioan. 11. *quod naſcetur ex te ſanctum vocabitur Filius Dei.* Ioan.
cap. 11. *Ego credidi, quia tu es Chriſtus Filius Dei viui.*
Reſponderunt filium Dei eſſe vnitum filio homi- §. 6
nis: Non quidem ſubſtantialiter communicando
illi ſuam perſonam (quod pertinaciter negabant
eſſe poſſibile) ſed accidentaliter: hanc autem vnio-
nem accidẽtalem filij Dei cum filio hominis quin-
S. Thom. que modis explicabant vt refert S. Thom. in 3. part.
quæſt. 2. art. 6. PRIMVS eſt per inhabitationem,
quatenus ſcilicet Verbum Diuinum habitauit in
Chriſto homine, ſicut olim in templo Iudæorum:
in Chriſto quidem per ſingularem gratiam: in tem-
plo autem Iudæorum per nubem, & caliginem iux-
Robertus Bellarm. ta illud Ioan. cap. 2. *Soluite templum hoc, & in triduo*
reædificabo illud. Card. Bellar. lib. 3. de Chriſto cap.
5. Notat Neſtorianos cautè, & fraudulenter ex-
Iſai. 7. plicauiſſe illa verba Iſai. cap. 7. *Vocabitur nomen*
eius Emmanuel: quaſi diceret: non vocabitur
Deus; ſed nobiſcum Deus: ideſt, in nobis habitans,
iuxta illud Ioan. cap. 1. *& habitauit in nobis.*
SECVNDVS per vnitatem affectuum, & volun- §. 7
tatum: Amor enim ex duobus facit vnum: 1. Reg.
1. Reg. 18. cap. 18. *Anima Ionathæ erat aglutinata animæ Dauid.*
Act. 4. Act. cap. 4. *Credentium erat cor vnum*: voluntas enim
Chriſti hominis ſemper eſt conformis voluntati
Synod. 5. Theodor. Moſp. Verbi Diuini. Hanc vnitatem vt refertur in Syno-
do V. can. 12. illuſtrauit Theodorus Moſpueſtenus
hac

hac ſimilitudine: Sicut vir & mulier ſunt duæ perſonæ, & tamen dicuntur vna caro Geneſ. cap. 2. Marc. cap. 10. propter conjunctionem corporum: ita filius Dei, & filius hominis ſunt duæ perſonæ; & tamen poſſunt dici vnus Chriſtus propter conjunctionem voluntatum. TERTIVS modus eſt per inſtrumentalem vnionem, quia Deus vtebatur Chriſto tanquam inſtrumento ad facienda miracula: ſolet enim cauſæ inſtrumentali tribui id, quod cauſæ principali tribuitur. QVARTVS per vnionem honoris, & dignitatis, per quam Verbum Diuinum vult, vt honor, qui ſibi exhibetur exhibeatur Chriſto homini: ita vt honorem qui Chriſto homini defertur, ſuum reputet: ſicut contingit in humanis in Perſona miſſa à Rege. QVINTVS per communicationem nominum, ſecundum quam filius hominis dicitur filius Dei, & contra: homo etiam dicitur Deus, & contra.

Geneſ. 2. Marc. 10.

§. 8 NOTANDVM eſt mirari interpretes quare S. Thomas non inchoauerit tertiam partem ſuæ ſummæ à quæſtione de poſſibilitate Incarnationis; quam tamen tractauerat in 3. diſtinct. 1. quæſt. vnica artic. 1. quorũ non pauci apud Greg. de Valent. tom. 4. diſp. 1. queſt. 1. punct. 2. conantur S. Thomam excuſare. Ego vero in hac difficultate diſcutienda non eſſe immorandum pulchrum puto: quia in tali negotio aliquid ſtatuere diuinare eſt: Hæc tamen affirmari poſſunt: ſcilicet S. Thomam noluiſſe coniungere quæſtionem de poſſibilitate Incarnationis cum quæſtione de conuenientia eiuſdem: fortaſſe quia probata in prima quæſtione conuenientia huius myſterij, conſequenter probatur eſſe poſſibile: quia omne conueniens eſt poſſibile:

S. Thom. Greg. de Val.

licet non contra: Fortaſſe quia huius myſterij poſſibilitas patet ex ſcriptura, quare ne fruſtra videretur diſputare omiſit eam quæſtionem. Fortaſſe quia explicando hoc myſterium in ſequentibus quæſtionibus illius poſſibilitatem ſatis ſuperque perſpectam fore indicabat, atque pertractatam. Verumquicquid ſit de mente S. Thomæ: quia omnes recentiores hic agitant illam quæſtionem: vt aliquid detur communi conſuetudini.

DICO Incarnationem eſſe poſſibilem. Probatur PRIMO illud eſt poſſibile, quod olim Prophetæ prædixerunt eſſe futurum: ſed Prophetæ olim prædixerunt futuram aliquando Incarnationem, eo ſenſu, quo ab Eccleſia creditur: Ergo. Minor probatur ex varijs locis ſcripturæ. Inſtar omnium ſit Iſaiæ cap. 7. *Ecce virgo concipiet & pariet filium* [ecce humanitatem] *& vocabitur nomen eius Emmanuel*: ideſt nobiſcum Deus [Ecce Diuinitatem] quæ verba cum citaſſet Angelus annuncians Luc. cap. 1. Mirabunda exclamauit B. Virgo: *Quomodo fiet iſtud?* tum Angelus ad eam: *Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum*: ideſt nulla res eſt impoſſibilis apud Deum: at ibi loquitur de hoc myſterio Incarnationis. §. 6

Iſai. 7.

Luc. 1.

SECVNDO à facto ad poſſibile valet conſequentia: cum nihil actu exiſtat, niſi poſſibile ſit, vt fiat: ſed fides docet myſterium Incarnationis eſſe factum Ioan. cap. 1. *Verbum caro factum eſt*: ergo.

Ioan. 1.

TERTIO Si hoc myſterium videatur impoſſibile: maximè quia illud non aſſequimur: Sed hæc ratio eſt infirmiſſima: plurima enim ſunt poſſibilia naturaliter, quæ naturæ viribus in noſtram cognitionem non veniunt: & certiſſimum eſt diuinam §. 7

potentiam excedere omnem noſtrã intelligentiam, & imaginationem: Non ſecus ac Dei natura, & ſapientia infinitè ſuperat noſtram. Vnde S. Auguſtinus in epiſtol. 3. ad Voluſianum loquens de hoc myſterio, ita concludit: *Hic ſi ratio quæritur non erit mirabile: ſi exemplum poſcitur, non erit ſingulare: demus Deum aliquid poſſe, quod nos fateamur inueſtigare non poſſe: in talibus rebus, tota ratio facti eſt potentia facientis.* S. Auguſt.

§. 8 QVARTO ex Regula S. Gregorij, quæ habetur in homilia 26. & eſt huiuſmodi. EX HIS, quæ à Deo mirabilia facta ſunt poſſumus colligere poſſibilia ne ſint alia, quæ dubitamus an à Deo poſſint fieri. At multa ſunt ſimilia Incarnationi: PRIMVM ſimile eſt: Sicut aquæ Iordanis Ioſue cap. 3. corpora Chriſti, & S. Petri Math. cap 14. fuerunt ſine grauitate: corpus Chriſti ſine colore Luc. cap. 4. & 14. Ioan. cap. 8. Ignis ſine calore Danielis cap. 3. & in Euchariſtia accidentia ſunt ſine ſubjecto, priuata propria inhærentia: ita in Incarnatione natura humana eſt ſine ſuppoſito, priuata propria ſubſiſtentia. S. Greg. Ioſue 3. Matth. 14. Luc. 4. 14. Ioan. 8.

§. 9 SECVNDVM ſimile eſt: Sicut multa & multa ſæcula replicantur in vno homine adhuc viuente ſcilicet Beato Elia noſtri Gentilis Carmeli primo Patriarcha: multi & multi ſapores in vno numero cibo Sap. 16. multæ pulchritudines in vna muliere Iudith cap. 10. mille hominum vires in vno Samſone Iudic. cap. 15. multæ formæ poſſunt recipi in vna materia: multa corpora in vno loco: multæ qualitates contrariæ in ſummo ſimul in eadem parte ſubjecti: & in Trinitate multæ perſonæ ſunt in vna natura: ita multæ naturę in Incarnatione ſunt ſimul in vna perſona: multę actiones ſcilicet diui- Sap. 16. Iudith. 10. Iudic. 15.

C 2

næ, & humanæ, creatæ & increatæ, finitæ & infinitæ ſunt in vno numero ſuppoſito.

S. Greg. Confirmatur: quia poſtquam S. Gregorius illam Regulam propoſuit ſub hac verborum ſerie: *Hæc ipſa noſtri Redemptoris opera, quæ ex ſemetipſis comprehendi nequaquam poſſunt ex alia eius operatione penſanda ſunt: vt rebus mirabilibus fidem præbeant facta mirabilia.* Eandem Regulam ipſemet duplici exemplo confirmauit, & explicauit: Vnum eſt Chriſtum potuiſſe ingredi ianuis clauſis, ex eo quod clauſo B. Virginis vtero exiuiſſet: hæc ſunt eius verba: *Illud corpus Domini intrauit ad Diſcipulos ianuis clauſis, quod videlicet ad humanos oculos per Natiuitatem ſuam clauſo exijt vtero Virginis.* Alterum exemplum eſt Deum poſſe mortuos excitare ad vitam: ex eo quod produxerit ex nihilo totum mundum: ſeu quod idem eſt creauerit: ita enim loquitur circa finem illius homiliæ: *Longe minus eſt Deo reparare quod fuit, quam creaſſe quod non fuit: aut quid mirum ſi hominem ex puluere reficit, qui ſimul omnia ex nihilo creauit.* Mirabilius enim eſt cœlum & terram ex nullis exiſtentibus condidiſſe, quam ipſum hominem ex terra reparare. Imo Chriſtus ipſe hac Regula videtur vſus antequam facta fuiſſet: dum Ioan. cap. 6. probat carnem ſuam eſſe cibum vitæ æternæ ex futura aſcenſione in cœlum dicens: *Hoc vos ſcandalizat: quid ergo ſi videritis filium hominis aſcendentem vbi erat prius?* Et Luc cap. 5. ex poteſtate ſanandi paralyticum probat poteſtatem remittendi peccata: *Quid eſt facilius,* inquit, *dicere: Dimittuntur peccata tua: an dicere: ſurge, & ambula.* Etiam hac Regula videtur vſus S. Paulus, dum 1. Corinth. cap. 15. ex Reſurrectione Chriſti probat noſtram.

§. 10.

Ioan. 6. Luc. 5. 1. Cor. 15.

§. 11. QVINTO Incarnatio fuit reuelata omnibus Angelis dum adhuc eſſent in via; vt docent communiter Theologi, Molin. in 1. part. quæſt. 57. art. 5. diſp. 2. Suarez lib. 5. cap. 6. n. 9. Vazquez in 1. part. diſp. 215. num. 1. 2. 10. Non quidem quoad omnes circunſtantias: Videlicet quod Chriſtus deberet naſci ex Virgine, genus humanum redimere ſolutione facta ex proprio ſanguine, moriendo in Cruce: quod reſurgere deberet, in cœlum aſcendere, & alias, quarum multas Angeli beati cognouerunt in patria: ſed tantum quoad ſubſtantiam: videlicet: quod Verbum Diuinum vniretur vni homini, qui eſſet ſimul Deus, & homo: nec non Dominus, & caput omnium Angelorum, & hominum. Ex qua reuelatione Lucifer & eius ſequaces ſumpſerunt occaſionem inſurgendi in Deum per ſuperbiam, inobedientiam, & inuidiam: inuidit enim Lucifer primis parētibus, & ex inuidia eos ad peccandum induxit. Reuelata etiam fuit Incarnatio Adamo dum adhuc eſſet in ſtatu Innocentiæ non tantum quoad ſubſtantiam: ſed etiam quoad aliquas circunſtantias: V. G. quod perficienda eſſet in Chriſto: *immiſit enim* Geneſ. cap. 2. *Dominus Deus ſoporem in Adam*: à quo excitatus prophetauit, dicens: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, &c.* quod de Chriſto interpretatur S. Paulus Epheſ. cap. 5. *Sacramentum hoc magnum eſt: in Chriſto, dico, & in Eccleſia:* quem ſenſum S. Pauli ipſi Adæ fuiſſe cognitum colligo ex duobus: Primum, quia Deus immiſit ſoporem, ideſt extaſim, non autem communem ſoporem, vt docet S. Auguſtinus lib. 9. de Geneſ. ad liter. cap. 19. Deinde quia illa verba vim habent Prophetiæ: & Adam intellexit ſuam Prophetiam ex communi

Ludouic. Molina. Franc. Suar. Gabr. Vaſq.

Gen. 2.

Epheſ. 5.

S. Auguſt.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Tertull. S. Epiphan. Patrum Sententia: Tertullianus lib. 1. de anim. cap. 11. Epiphanius hæreſ. 48. dum Adamum vocat primum Prophetam: his poſitis, ſic argumentor: illud eſt poſſibile, quod Deus reuelauit: Sed Deus reuelauit Angelis, & Adamo Incarnationem futuram: Ergo, &c.

SEXTO Probatur Concluſio: quia nulla eſt hic contradictio: Si enim eſſet contradictio: vel eſſet ex parte perſonæ aſſumentis: vel ex parte naturæ aſſumptæ: vel ex parte modi vnionis: Non ex parte PERSONÆ aſſumentis: quia Perſonalitas Verbi eſt ſuperioris ordinis, & infinitæ perfectionis, virtute continens omnem perſonalitatem creatam, & cum ea in aliqua ratione formali ſaltem analoga conueniens: Ergo poteſt ſupplere, quod faciebat perſonalitas creata: ideſt poteſt terminare, & perficere naturam, detractis tamen imperfectionibus, cum quibus creata perſonalitas terminat ſcilicet tanquam modus, vel quid incompletum, vel quod non exiſtit ſine natura, quam terminat. §. 12.

Non ex parte NATVRÆ aſſumptæ: quia naturam humanam exiſtere cum propria perſonalitate eſt quid poſterius natura ſingulari: & ab ea diſtinctum ſaltem formaliter, vt modus à modificato: Ergo poteſt vi diuina ſeparari, ſicut ab Accidente actualis inhærentia: Sicut enim de eſſentia Accidentis non eſt inhærentia actualis, ſed aptitudinalis, ſeu radix inhærentiæ: ita de natura Subſtantiæ eſt non actualis ſubſiſtentia: ſed tantum eſſe per ſe, prout opponitur eſſe in alio, per modum accidentis, cui connaturaliter debeatur ille modus Subſiſtentiæ: Ergo poteſt per potentiam obedientialem ſubſiſtere per Subſiſtentiam Verbi: perfecta §. 13.

enim creaturæ obedientia ad Deum eſt, vt poſſit vi diuina eleuari ad omne quod non implicat contradictionem.

§. 14. Non ex parte MODI VNIONIS: tum quia graues Theologi negant dari talem modum: Ioannes Bacho in 3. diſt. 1. quæſt. 1. art. 1. §. 2. Gregorius de Ariminio in 1. diſt. 28. quæſt. 2. ad 17. Argumentum: & alij quos citant Suarez tom. 1. in 3. part. diſp. 8. ſect. 3. & Vazquez in 3. part. diſp. 18. cap. 1. Io. Lugo in 3. part. 11. diſp. ſect. 1. n. 2. Tum quia ille modus vnionis nullam dicit imperfectionem in extremis, quæ vniuntur, vt patebit infra ex ſolutionibus Argumentorum, quæ obijciuntur à Philoſophis. Sed prius

Io. Bacho. Greg. Arim. Franc. Suar. Gabr. Vaſq. Ioan. Lugo

§. 15. AD GENTILIVM Argumenta Reſpondeo eos non agnouiſſe vnum Deum, eumque ſolum, nec ipſius potentiam infinitam: quid ergo mirum ſi virginem aliquando parituram negauerint? Templumque Pacis in æternum duraturum exiſtimauerint? quos conuincere difficile eſt: quia non recipiunt ſcripturam ſacram, & ad fabulas conuertuntur: poſſent tamen Chriſtiani Gentilibus ſcripturam ſacram legentibus ſuadere Incarnationis poſſibilitatem, diſcurrendo per Poëtarum fabulas, ſub quarum inuolucris veritatem occultabant: Videlicet quod Iupiter ſæpe mutatus fuerit: modo in in Cygnum, modo in Taurum, modo in Aquilam: quod inſtar pluuiæ aureæ deſcenderit in vterum Danaes, quæ poſtea peperit Perſeum, qui mõſtrum marinum debellauit, & Andromedam à morte liberauit, & in vxorem duxit. Quod Æſculapium ex ſeipſo genuerit, & in terra per Solis fœcunditatem ſpecie humana apparere fecerit, vt morbos curaret:

quæ omnia myſterium Incarnationis ſignificabant, licet ipſi non intelligerent.

Virgil. Sic Virgilius in Ecloga 4. ea quæ de Chriſto legerat in libris Sibyllarum, & non intelligebat conuertit ad felicitatem, quæ ſperabatur imperante Auguſto, vt teſtatur S. Auguſtinus lib. 10. de Ciuitate Dei cap. 27. & Aſcenſius interpres Virgilij in illam Eclogam 4.

S. Auguſt. Iodoc Aſcenſius.

§. 16. AD IVDÆORVM Argumenta Reſpondeo eſſe Argumenta ad hominem. Fides enim Chriſtiana docet Deum eſſe vnum in eſſentia, & trinum in perſonis, quæ realiter inter ſe diſtinguntur: quamuis ſint inſeparabiles & à ſe inuicem, & ab eſſentia: ex quibus perſona Filij tantùm fuit incarnata in vtero B. Virginis, ſine vlla mixtione cum carne, aut diuiſione à ſubſtantia Patris, & Spiritus Sancti: potueruntque ſingulæ perſonæ incarnari, ſi Deus ita voluiſſet per ſuam omnipotentiam. Hæc non intelligunt Iudæi: quia alieni ſunt à fide, neque audiunt Eccleſiam, quæ in officio Feſti Circuncisionis hæc habet. *Magnum myſterium declaratur hodie innouantur naturæ; Deus homo factus eſt: id quod fuit permanſit, & quod non erat aſſumpſit: non commixtionem paſſus, neque diuiſionem.*

§. 17. Sed baptizentur, & Deus auferet velamen de cordibus eorum, eiſque dabitur intelligentia myſteriorum fidei, fientque participes cœleſtium ſacramentorum: iuxta illud S. Ambroſij lib. 4. in cap. 4. Lucę: *Conuertebantur ad Dominum, & ideo aperiebatur cælum videntibus æterna, & diuina myſteria: claudebatur vero, quando nulla erat cognoſcendæ Diuinitatis vbertas.*

S. Ambr.

AD PHILOSOPHORVM Argumenta Reſpondeo. AD PRIMVM dupliciter aliquid eſſe com-

componibile cum alio, ad vnum totum conſtituendum: Primò, quia ex natura ſua eſt incompletum, & pars ordinata ad totius conſtitutionem, & ideo habens potentialitatem aliquam, & imperfectionem, vt materia, & forma, & huiuſmodi non eſt ſimplex: & hoc modo Deus non eſt componibilis cum alio: Secundò modo quando non ex natura ſua ordinatur ad compoſitionem propter ſuam finitatem, incomplementum & dependentiam ab alio, ſed ex voluntaria gratia, & ineffabili modo ſine vlla imperfectione poteſt venire in compoſitionem alicuius: & hæc componibilitas non repugnat ſimplicitati: quo ſecundo modo perſona Verbi venit in compoſitionem Chriſti: & ideo eius compoſitio dicitur ineffabilis à S. Auguſtino in lib. 83. quæſt. S. Aug.
§. 73. AD SECVNDVM Reſpondeo nec naturam
18. humanam, nec Verbum Diuinum poſſe dici partes Chriſti: quamuis dicantur componentia: ex S. Thoma quæſt. 2. art. 4. AD TERTIVM Reſpondeo quamuis ſit improportio entitatum Diuinę, & humanæ, quia hæc eſt finita: illa infinita: Tamen eſt proportio in ratione terminabilis, & terminatiui: perfectibilis & perfectiui: ſicut inter animam, & corpus: accidens, & ſubſtantiam: quare illud Axioma finiti ad infinitum non eſt proportio eſt verum entitatiuè, non autem terminatiuè. Sicut enim Verbum Diuinum terminat: ita natura hu- S. Thom.
§. mana terminatur. AD QVARTVM Reſpondeo
19. Deum eſſe immutabilem, ideo in Verbo Diuino nullam factam fuiſſe mutationem: totam autem mutationem fuiſſe factam in natura humana, quæ eſt capax mutationis. Nam ſicut in prima rerum creatione nulla facta eſt mutatio in Deo: ſed tan-

Ariſtoteles Mich. de Bononia. tum in re, quæ fiebat: quoniam ex Ariſt. l. 3. an. t. 139. 140. Actio, & motus non eſt in agente, ſed in patiente, & ex Mich. de Bon. in 3. d. 15. q. vn. cõcl. 3. creatio nõ eſt in Deo, ſed in re creata. Quod autẽ Deus ex nõ creatore dicatur creator, eſt relatio rationis, quæ nihil reale ponit in Deo: ſed tantũ addit denominationẽ externã. Similiter in ineffabili myſterio Incarnationis Verbũ Diuinũ vniuit ſibi naturam humanã ſine vllà ſui mutatione: quia vnio non eſt recepta in verbo Diuino, quod fuit agens, ſed in natura humana, quæ fuit patiens. Adde quod Verbum Diuinum per ſuam infinitatem poteſt ſeipſo vnire ſe ſine vlla vnione creata: & ſic tota mutatio facta eſt in natura humana. Quod autem dicatur Deus ex non homine factus homo, arguit tantum relationem rationis in Deo. Ad qvintvm Reſpondeo illud Axioma Philoſophorum: Ex duobus entibus in actu non fit vnum ens per ſe: eſſe verum de entibus in actu completo: videlicet, quando vtrumque ens in ſua ſpecie eſt perfectum, completum, & terminatum: quomodo ex duobus lapidibus non poteſt fieri vnum per ſe. Verum natura humana prout aſſumpta eſt à verbo Diuino non eſt ens in actu completo: eſt enim imperfecta, & incompleta in ratione perſonæ, quia caret propria perſonalitate; & eſt in potentia ad illam. Atque ſic denudata propria ſubſiſtentia poteſt ſubſiſtere per ſubſiſtentiam Verbi: & cum illa facere vnum ens per ſe, ſcilicet Chriſtum; qui eam ob rem non debet dici ens per accidens, ſeu ens per aggregationem. §. 20.

Synod. 5. Generalis. Ad hæreticorvm errores confutandos ſufficeret Decretum Synodi V. Generalis cap. 5. §. 21.

Si quis in myſterio Chriſti conatur introducere duas Subſtantias, vel Perſonas, & introductis duabus perſonis, vnam perſonam dicit per dignitatem, & honorem ſicut Theodorus, & Neſtorius inſanientes conſcripſerunt: & non confitetur Dei verbum ſubſtantialiter vniri, & propterea vnam eius ſubſtantiam, vel vnam perſonam Anathema ſit. Sed reſpondendum eſt ad illos quinque modos, quibus Neſtoriani non ſubſtantialiter, ſed accidentaliter vnionem hypoſtaticam explicabant. Itaque AD
§. PRIMVM Reſpondeo quemlibet fidelem poſſe
22. hoc modo vocari filium Dei: quia Deus in Sanctis tanquam in Templis habitat. *Neſcitis* aiebat S. Paulus 1. Cor. cap. 3. *quoniam Templum eſtis Dei: & Spiritus Dei habitat in vobis.* AD SECVNDVM Reſpondeo amicitiam non facere mutuam prædicationem: Non enim dicimus Dauid eſt Ionathas. Similiter illa ſimilitudo non eſt ad rem: Nam vir non prædicatur de muliere: aut mulier non enunciatur de viro: ſicut in vnione hypoſtatica, homo de Deo, & Deus de homine conuerſim prædicatur: imo per communicationem Idiomatum licebit dicere: hic homo creauit mundum, & hic Deus mortuus eſt. AD TERTIVM Reſpondeo quem-
§. libet hominem poſſe aſſumi à Deo tanquam inſtru-
23. mentum ad miracula efficienda. Et ecce abſurdum, quod inde ſequeretur: Purus homo poſſet magis eſſe filius Dei, quam Chriſtus: hoc colligitur ex verbis ipſiuſmet Chriſti: qui apud Ioan. cap. 10. in has voces admirationis pleniſſimas erumpebat: *Qui credit in me opera quæ ego facio, & ipſe faciet: & majora horum faciet*: Ergo qui majora facit magis poterit dici filius Dei, quam Chriſtus, quod eſt impium. Item nunquam Chriſtus ipſe dicitur inſtrumétum,

1. Cor. 3.

Ioan. 10.

ſed natura humana: & ita alio modo Chriſtus eſt inſtrumentum: alio modo homines: hi verè ſunt ſuppoſita, quibus Deus vtitur ad miracula: ille quia reuera in ſe, vt perſona, non eſt inſtrumentum, ſed cauſa principalis: in natura vero aſſumpta inuenitur ratio tota inſtrumenti. AD QVARTVM Reſ- §.
pondeo illam dignitatem & honorem debere fun- 24.
dari in aliquo: honor enim ſupponit cauſam honoris: vel ergo cauſa eius eſt aliqua ex tribus iam reiectis: & hoc non: vel eſt vnitas perſonæ, & hoc volumus, præſertim cum ille honor ſit Latriæ: at peccatum eſt adorare Latria eum qui Deus non eſt.
AD QVINTVM Reſpondeo illam communica- §.
tionem nominum, quam Neſtoriani attribuunt 25.
Chriſto conuenire cæteris Sanctis: quia nominan-
Pſal. 81. Galat. 4. tur Dij Pſal. 81. & vocantur filij Dei, ad Galat. cap. 4. Nam Regius Propheta, ait: *Deus ſtetit in Sinagoga Deorum: in medio autem Deus dijudicat.* & Paulo poſt: *Ego dixi Dij eſtis, & filij excelſi omnes.* Apoſtolus vero poſtquã probauit fideles eſſe filios Dei adoptiuos concludit: *Quod ſi filius & hæres per Deum.* Et quia inhabitatio, affectus, operatio, participatio honoris, aut dignitatis, & communicatio nominum ſunt modi vnionis accidentalis, non eſt mirum ſi alijs à Chriſto conueniant: at non ita fit in vnione ſubſtantiali facta in perſona, quando vnibilia ordinantur ad compoſitionem alicuius entis in genere ſubſtantiæ, qualis eſt vnio naturæ Diuinæ, & naturæ humanæ facta in perſona Verbi: ex qua reſultat Chriſtus verus Deus, & verus homo: cuius vnionis hypoſtaticæ, ſeu Incarnationis poſſibilitatem nulli vnquam negarunt, niſi à fide orthodoxa alieni.

CONTROVERSIA II.

An Incarnatio lumine ſupernaturali poſſibilis cognoſcatur.

NOTANDVM eſt duplex eſſe lumen: naturale vnum: ſupernaturale alterum: hoc triplex eſt ſcilicet fidei, gloriæ, & ſcientiæ infuſæ.

§. 1 DICO PRIMO Incarnationem cognoſci poſſibilem illo triplici lumine ſupernaturali. Probatur PRIMO de lumine fidei, quia ab omnibus explicitè credi debet: iuxta illud S. Athanaſij in Symbolo: *Sed neceſſarium eſt ad æternam ſalutem, vt Incarnationem quoque Domini noſtri Ieſu Chriſti fideliter credat. Eſt autem fides recta, vt credamus, & confiteamur: quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus Dei Filius, Deus & homo eſt.* SECVNDO de lumine gloriæ, quia idem eſt objectum fidei, & luminis gloriæ: in hoc enim tantum differunt: quod lumen fidei ſit obſcurum: & lumen gloriæ ſit clarum. Confirmatur, quia Incarnatio eſt objectum partiale Beatitudinis: Beati enim per intellectum clarè vident Deum in ſua eſſentia, & oculis corporis Incarnationem ſeu humanitatem Verbi. TERTIO de lumine ſcientiæ infuſæ, quia eius objectum eſt ens ſupernaturale: Incarnatio autem eſt ens ſupernaturale. S. Athanaſ.

§. 2 DICO SECVNDO Incarnationem non poſſe colligi aut cognoſci futuram ex alijs myſterijs quæ hoc triplici lumine cognoſcuntur, ſi ipſa Incarnatio non fuerit in ſe reuelata. Probatur quia cum

nullo eorum habet neceſſariam connectionem: poſſet enim eſſe Trinitas, Iuſtificatio, Beatitudo: quamuis non fuiſſet vnquam Incarnatio.

Dico tertio Incarnationem poſſe colligi, aut inueniri poſſibilem ex vi aliorum, quæ aliquo illorum luminum cognoſcuntur, quamuis non eſſet in ſe propoſita vel reuelata. Probatur: Beati videntes Deum, vident omnia in verbo, quæ Deus eis reuelat. Beatus ergo videns Deum videt ſubſiſtentiam Dei perfectam & infinitam, videt omnipotentiam, videt humanitatem diſtinctam à ſua ſubſiſtentia, videt potentiam obedientialem humanitatis: ex quibus poteſt deuenire in cognitionem poſſibilitatis Incarnationis, etiamſi nunquam reuelaretur, vel proponeretur. Ratio eſt quia cognoſceret extrema quæ vniri debent: ſciret etiam nullam hic eſſe contradictionem: videret etiam ſubſiſtentiam Verbi, quæ infinita eſt non tantum poſſe terminare naturam Diuinam: ſed etiam naturam creatam; videret ſubſiſtentiam humanam ſeparatam à ſua natura ſuppleri poſſe à ſubſiſtentia Verbi: quæ omnia declarant Incarnationis poſſibilitatem. §. 3

Dico qvarto Incarnationem illo triplici lumine cognitam poſſe demonſtrari à priori eſſe poſſibilem. Probatur quia eſt ens ſupernaturale, neceſſarium, continet etiam rationes vniuerſales. Nam perſona Diuina terminatiua, humanitas terminabilis, natura vnionis hypoſtaticæ, proprietates eam conſequentes ſunt quid vniuerſale commune multis Incarnationibus, ſeu vnionibus hypoſtaticis poſſibilibus: ſicut natura Solis, quæ conſeruatur in vnico Indiuiduo eſt vniuerſalis, & communis multis Solibus poſſibilibus. §. 4

§. 5 OBIICIES. Non poteſt dari demonſtratio de Chriſto: Ergo nec dabitur de Incarnatione, quæ extra Chriſtum non eſt. Antecedens probatur ex Ariſt. lib. 1. Poſter. Analytic. c. 7. text. 21. & 22. Ariſtoteles. Demonſtratio non poteſt dari de ſingularibus, & indiuiduis: ſed Chriſtus eſt ſingularis, & indiuiduum quoddam ſpeciei humanæ. RESPONDEO PRIMO me iam dixiſſe vnionem hypoſtaticam eſſe quid vniuerſale potentia, habens proprietates ſuas, & cauſas neceſſarias. RESPONDEO SECVNDO duplex eſſe ſingulare, ſcilicet neceſſarium, & contingens: de ſingulari contingenti non poteſt fieri Demonſtratio: de ſingulari autem neceſſario, qualis eſt Deus poteſt fieri Demonſtratio: hoc modo. Omne immutabile eſt æternum: Sed Deus eſt immutabilis: Ergo Deus eſt æternus. In Chriſto autem ex reuelatione Diuina inuenitur neceſſitas, infallibilis rerum connexio, veritas, & alia quæ ad Demonſtrationem requiruntur: ideo non eſt mirum ſi de eo in Theologia fiant Demonſtrationes qualis eſt hæc. Qui habet duas naturas habet duas voluntates: Sed Chriſtus habet duas naturas: Ergo Chriſtus habet duas voluntates.

CONTROVERSIA III.

An Incarnatio lumine naturali poſſibilis cognoſcatur.

§. 1 RATIO DVBITANDI petitur ex Antiquis Gentilibus: qui myſterium Incarnationis videntur cognouiſſe: Sed hoc non potuit

fieri niſi ſolo lumine naturali: Ergo myſterium Incarnationis lumine naturali cognoſci poteſt. Minor patet quia Gentiles ducebantur tantum lumine
Sibyllæ. naturali. Major probatur PRIMO quia Sibyllæ totam fere Chriſti vitam ſuis carminibus lõge ante prædixerunt. Vt dicam infra in Sect. 3. controu. 2.
Virgilius. Imo Virgilius in Ecloga 4. multa dicit, quæ nulli conuenire poſſunt, niſi ſoli Chriſto naſcenti. SECVNDO Plato, Apollo Delphicus, Triſmegi-
Aug. Eugub. ſtus apud Auguſtinum Eugubinum lib. 1. de perenni Philoſophia paſſim multa dicunt de Deo Patre, & de Deo Filio: multa etiam de tota Trinitate
Gabr. Vazq. in libro 2. Eorum quædam loca refert Vazquez in 1. part. diſp. 132. cap. 1. & vulgo citatur illud
Mercurius. Mercurij dictum *Monas genuit Monadem, & in ſe ſuum reflectit ardorem*. Propter quod vocatus fuit Triſmegiſtrus ideſt ter maximus: eo quod de Trinitate verba fecerit. Cum autem in cognoſcenda Trinitate, & Incarnatione par reperiatur difficultas: ſi illi Philoſophi ſolo naturæ lumine ducti agnouerunt Sanctæ Trinitatis myſterium: videtur etiam dicendum potuiſſe cognoſcere myſterium Dominicæ Incarnationis.

DICO ſolo lumine naturali nec cognoſci, nec probari poſſe Incarnationis poſſibilitatem. §. 2

Probatur PRIMO ex ſcriptura: in epiſt. ad
Epheſ. 3. Epheſios cap. 3. hoc myſterium vocatur Sacramentum abſconditum à ſæculis in Deo 1. Corinth. cap.
1. Cor. 2. 2. Sapientia in myſterio, quæ abſcondita eſt. Atque
Iſai. 45. hac de cauſa multi putant Iſaiam vocauiſſe Chriſtum Deum abſconditum: dum ait cap. 45. *Verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſraël, & Saluator*: quo in ſenſu S. Hieronymus in hunc locum, ait, Chriſtum

ita

ita vocari propter aſſumpti hominis Sacramentum.
§. 3 Probatur SECVNDO ex Patribus citatis in Sect. 1. controu. 1. quibus addo S. Cyrillum libro de Incarnatione vnigeniti cap. 7. *Adunatio Verbi in carne eſt omni humana cognitione ſuperior.* S. Ioan. Chryſoſtom. hom. 2. in Matth. *Humana Christi Generatio adeo mirabilis eſt, vt nequeat ſatis explicari.* S. Ambroſius lib. 1. de fide ad Gratianum cap. 5. *Mihi quidem impoſſibile eſt Generationis ſcire ſecretum: mens deficit, vox ſilet, non mea tantum: ſed & Angelorum.* S. Cyrill. S. Io. Chryſoſt. S. Ambr.
§. 4 Probatur TERTIO Rationibus: PRIMA quia in Incarnatione tria reperiuntur, quæ ſunt omnino ſupernaturalia: primum natura humana priuata ſua ſubſiſtentia: ſecundum vnio naturæ humanæ cum ſubſiſtentia Diuina: Tertium ex tribus ſubſiſtentijs Diuinis relatiuis, ſola ſubſiſtentia Verbi, quæ ſecunda eſt, terminauit naturam humanam: quæ tria ſunt ita ſupernaturalia, vt nulla cognitione naturali ſiue humana ſiue Angelica percipi poſſint. Vnde ſic Argumentor: Quod eſt extra facultatem agentium naturalium, & ſupra captum cuiuſuis intellectus creati nequit ſolo lumine naturali cognoſci eſſe poſſibile: Sed Incarnationis myſterium eſſe huiuſmodi teſtantur omnes Patres Eccleſiæ, qui illud omnium, quæ Deus extra ſe produxit operum, ac miraculorum maximum, itemque ineffabile, &
§. 5 inueſtigabile appellarunt: Ergo. SECVNDA Sicut Diuina perſona eſt in Trinitate, ita eſt & in Incarnatione: Sed nullus proprijs ſuæ naturæ viribus relictus poteſt cognoſcere perſonam Diuinam in Trinitate: Ergo nec in Incarnatione. TERTIA multi Ethnici, quamuis ſapientiſſimi inter cætera fidei noſtræ myſteria hoc myſterium præſertim re-

pudiarunt, & impoſſibile exiſtimauerunt, vt con-
S. Auguſt. ſtat ex S. Auguſtino lib. 10. de Ciuit. Dei cap. 23.
& in epiſt. 2. & 3. ad Voluſianum: quia terminos
qui connectuntur clarè non cognoſcebant.

QVARTA de poſſibilitate Incarnationis nulla §.6
poteſt fieri Demonſtratio: non à poſteriori; quæ
fit per effectum: Nam rei, quæ non eſt: quiſnam
ſperari poteſt effectus? Nec à priori, quæ fit per
cauſam: quia omnes cauſæ Incarnationis ſunt ſu-
pernaturales: Formalis quidem, aut quaſi formalis
eſt ipſa verbi ſubſiſtentia: Materialis eſt natura hu-
mana, non in ſe conſiderata; ſed vt ſuſtentatur ſub-
ſiſtentia Verbi. Efficiens eſt Dei omnipotentia,
quæ infinita eſt & à creatura comprehendi non
poteſt. Finis eſt vel gloria Chriſti, vel manifeſtatio
attributorum Dei, vel redemptio hominum: nul-
lum autem horũ habet neceſſariam connectionem
cum Incarnatione, & ſine ea haberi poſſunt.

OBIICIES PRIMO creet Deus de nouo vnum §.7
Angelum, eique ſimpliciter, & ſine fide propona-
tur myſterium Incarnationis iam peractæ: ſtatim
iudicabit eſſe poſſibile: tùm quia Angelus natura-
liter cognóſcit omnipotentiam Dei, & creaturæ
potentiam obedientialem ſuo modo omnipotentiæ
Dei correſpondentem: tum quia naturaliter ſcit
Deum poſſe facere quicquid non implicat contra-
dictionem: videtque in hoc myſterio nullam eſſe
contradictionem, quia Incarnatio iam facta eſt.
RESPONDEO conceſſa hac ſuppoſitione Ange-
lum illum nouiſſimè creatum non iudicaturum
euidenter myſterium Incarnationis eſſe poſſibile:
quia quamuis Angelus vniuersè & in confuſo co-
gnoſcat Dei omnipotentiam, & creaturæ poten-

tiam obedientialem : ſciatque Deum poſſe facere quicquid non implicat contradictionem : tamen diſtinctè & in particulari naturaliter hæc non cognoſcit : quare ſi illi proponatur myſterium Incarnationis iam factum dubitabit, dicetque : Si ille qui proponit tale myſterium ſit Angelus, vel homo poſſe mentiri, & ingenuè confitebitur ſe in hoc myſterio nullam videre contradictionem : an tamen ſit aliqua, ſe ignorare dicet : quia extremorum, ſcilicet ſubſiſtentiæ Diuinæ, & naturæ humanæ vim non capit : & quia omnipotentiam Dei, totamque creaturæ potentiam obedientialem penetrare non poteſt.

§. 8 OBIICIES SECVNDO lumine naturali notum eſt Deum poſſe ſeparare modum & accidens à re cuius eſt modus & accidens : Sed ſubſiſtentia eſt modus, & accidens ſubſtantiæ : Ergo lumine naturali notum eſt Deum poſſe ſeparare ſubſtantiam à ſubſiſtentia : ſicque poſſe naturali lumine cognoſci Incarnationis poſſibilitatem. Major probatur ; quia poteſt Deus conſeruare prius ſine poſteriori. Minor probatur, quia ſubſiſtentia non ingreditur eſſentia-

§. 9 liter conſtitutionem ſubſtantiæ. RESPONDEO PRIMO Majorem non eſſe vniuerſaliter veram : Nam figura eſt modus, & accidens reſpectu quantitatis : relatio ſimilitudinis reſpectu duorum parietum alborum : & exiſtentia reſpectu eſſentiæ : cum tamen quantitas ſine figura : duo parietes albi ſine ſimilitudine : & eſſentia ſine exiſtentia, nulla vi diuina dari, & conſeruari poſſint in rerum natura. Erit ergo illa major vera tantum de modis, & accidentibus realiter diſtinctis à ſuis ſubjectis. RE-

§. 10. SPONDEO SECVNDO Minorem eſſe quidem

veram ſcilicet ſubſiſtentiam eſſe modum ſubſtantiæ: ſed nullus poteſt ſecluſa fide certò cognoſcere eam eſſe realiter diſtinctam à ſubſtantia: ſed manebit dubius, & anceps, ſemperque dubitabit, an ſubſiſtentia diſtinguatur realiter, aut formaliter à ſubſtantia: & quandiu manebit in illa dubitatione non poterit vel cognoſcere, vel demonſtrare Incarnationis poſſibilitatem: Tamen, eſto, certò ſciat aliquis ſubſiſtentiam eſſe de genere eorum modorum, & accidentium, quæ re vera poſſunt ſeparari ab his rebus, quas afficiunt: Dico tamen eum ſine fide nunquam peruenturum ad cognitionem Incarnationis. Nam ſine fide nunquam poterit cognoſcere naturam humanam, quam certò ſcit poſſe à Deo conſeruari ſolitariam, ſubſiſtere per ſubſiſtentiam Verbi Diuini: quia non poterit comprehendere modum, quo Deus immediatè per ſeipſum ſupplet creatam ſubſiſtentiam: maximè cum iſtud non fiat per ſolam efficientiam: ſed per admirabilem, & veluti formalem, ac intrinſecam ſui ipſius vnionem: ex qua reſultat, vt homo dicatur Deus, & Deus dicatur homo: & conſequenter vnus de altero enuncietur.

OBIICIES TERTIO Angeli omnes à principio ſuæ creationis cognouerunt myſterium Incarnationis: Sed non per reuelationem: Ergo per lumen naturale. Major eſt Theologorum magni nominis mox citandorum. Minor eſt Sanctorum Eccleſiæ Patrum, qui explicantes caput 3. epiſt. ad Epheſ. & præcipuè illa verba *quæ ſit diſpenſatio Sacramenti abſconditi à ſæculis in Deo, vt innoteſcat Principatibus, & poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam*: & Pſal. 23. illud Pſal. 23. *Quis eſt iſte Rex gloriæ*, &c. aut etiam

§. 11.

Iſa.cap.63. *Quis eſt iſte, qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra?* &c. affirmant myſterium Incarnationis non fuiſſe reuelatum Angelis niſi quando peractum fuit. Iſai. 63.

§. 12. RESPONDEO Angelos in via cognouiſſe myſterium Incarnationis per fidem: in Patria vero per claram Dei viſionem; hæc eſt opinio magnorum Theologorum S. Thomæ in 1. part. quæſt. 57. art. 1. & quæſt. 64. art. 1. ad 4. & in 2. diſt. 11. art. 3. Molinæ in 1. part. quæſt. 57. art. 5. diſp. 1. Bañes ibid. dubitat. 2. concl. 3. Greg. de Val. tom. 1. diſp. 4. quæſt. 8. punct. 1. Vazquez in 1. part. diſp. 215. cap. 1. Suarez lib. 5. cap. 6. §. 6. qui ideo dicit in lib. 7. cap. 13. §. 17. Dæmonem inuidiſſe homini, & ex illa inuidia ipſum ad peccandum induxiſſe. S. Thom. Lud. Molin. Dominicus Bañes. Greg. de Val. Gabr. Vazq. Franc. Suar.

§. 13. VERVM vt conſilientur Theologi cum Patribus dicendum eſt, in Incarnatione duo conſiderari: primo eius ſubſtantiam; ſecundo eius circunſtantias, & effectus: omnes Angeli à principio ſuæ creationis cognouerunt ſubſtantiam Incarnationis: circunſtantias verò eius ſucceſſu temporis, ſecundum quod eorum officijs congruebat: ſunt enim ordinarij adminiſtratorij Spiritus, vt dicitur Hebr. cap. 1. *in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis.* Et hoc modo intelligendi ſunt Patres, quando dicunt Incarnationis myſterium non fuiſſe Angelis reuelatum, niſi quando peractum fuit. Quarequando S. Hieronymus in cap. 3. ad Epheſ. S. Cyrillus lib. 2. in Ioan. cap. 3. Gregor. Nyſſenus homil. 8. in cant. Theodoretus, Theophilactus, & Oecumenius in illud ad Epheſ. cap. 3. explicant verba Apoſtoli de myſterio Incarnatio- Hebr. 1. S. Hieron. S. Cyrill. Greg. Nyſſe. Theodoret. Theophila. Oecumen.

Digitized by Google

nis,quod incognitum fuit à ſęculis,ideſt à principio mundi;& reuelari debebat Angelis in Eccleſia per prædicationem Apoſtolorum, intelligendi ſunt non de ſubſtantia Incarnationis, quam à principio creationis ſuæ Angeli cognouerunt: ſed de Incarnationis circunſtantijs, & effectibus: quales ſunt reuelationes faciendæ in Eccleſia per Prædicatores. Similiter explicandi veniunt alij Patres Iuſtinus Martyr in Dialogo cum Triphone. S. Dionyſius cap. 7. cæl. Hierarch. S. Ambroſius libro de inſtitutione Virginis cap. 5. S. Hieronym. in cap. 63. Iſaiæ, qui dicunt illis verbis: *Quis eſt iſte Rex gloriæ.* & *Quis eſt iſte qui venit de Edom?* &c. contineri Dialogum Angelorum interrogantium, & Chriſti reſpondentis, de myſterio Aſcenſionis, & de reditu ex inferis: de quibus doceri à Chriſto cupiebant. Nam neque Aſcenſio Chriſti, neque eius triumphus de Dæmone reportatus pertinent ad ſubſtantiam Incarnationis: ſed ſunt Incarnationis quidam effectus quos Angeli cognoſcere debebāt ſucceſſu temporis; ſecundum quod eorum officijs congruebat. Ex his patet, quid reſpondendum ſit ad S. Ioan. Chryſoſtomum dum in homilia 11. in epiſt. 1. ad Timoth. cap. 3. ait: *Ergo & Angeli nobiſcum viderunt Filium Dei, quem antea non videbant*; & hom. 14. in Ioannem. *Ex quo carnem induit viſus eſt ab Angelis: prius autem non ita videbatur.* Reſpondendum inquam eſt illum non loqui de ſubſtantia Incarnationis in communi, ſed de ſpecialibus eius conditionibus: quod etiam concedunt Theologi ſupra citati.

Iuſtin. mar. S. Dionyſ. S. Ambr. S. Hieron.

S. Ioan. Chryſoſt.

AD RATIONEM DVBITANDI in principio huius controuerſiæ poſitam RESPONDEO §. 14.

nego Minorem quia Antiqui illi Gentiles non potuerunt illa myſteria fidei noſtræ viribus naturæ cognoſcere: ſed tribus alijs modis ſcilicet per Propheticam: per Traditionem: & per Communicationem. Quare AD PRIMAM probationem Majoris RESPONDEO Sibyllas dono Prophetiæ fuiſſe cumulatiſſimè inſignitas. Virgilium vero ea quæ apud Sibyllas legerat de Christo, Augusto per adulationem attribuiſſe. Sibylli. Virgil.

§. 15. AD SECVNDAM probationem Majoris RESPONDEO myſteria fidei noſtræ non fuiſſe antiquis Gentilibus immediatè à Deo reuelata: ſed ab ipſis aliqua ex parte cognita aut per ſcripturam ſacram; aut per Hebræos; aut per Ægyptios. Hebræi enim talem ſcientiam acquiſiuerunt per traditionem, quaſi de manu in manum ab Adamo primo Parente, vſque ad Moyſem. Ægyptij verò per diuturnam communicationem quam habuerunt cum Hebræis toto illo tempore, quo apud illos in captiuitate detenti ſunt: quibus recedentibus vna cum Moyſe in terram Chanaam, Ægyptij eamdem ſcientiam in Ægypto diligentiſſimè conſeruauerunt. Et ob hanc cauſam, vt ſcribit S. Cyrillus Alexandrinus lib. 1. in Iulianum, S. Cyrill. Pythagoras Samius, Thales Mileſius, Solon, & alij Græci longo tempore in Ægypto verſati, collectis, quę illic diſcere potuerant, Diſciplinarum multitudinem, qua pollebant in Patriam reportarunt. Quæ tamen omnia ad peculiarem Dei reuelationem pertinent.

§. 16. Cum ergo dicitur Plato veniſſe in Ægyptum, vt daret operam Theologiæ: & Triſmegiſtus multa didiciſſe à Moyſe; debent intelligi de ſcriptura ſacra quam Moyſes ſcripſit apud Ægyptios. Nam ex Genebrardo in Chronog. in Gilbert. Genebrard. Benedict. Pererius.

Regibus Ægypti ſub Ptolomeo I. & Peterio in præfat. in Geneſ. Moyſes multis ſæculis & Triſmegiſtum, & omnes Theologos, Philoſophos, Poëtas, & quoſlibet Scriptores anteceſſit. Illud autem dictum Triſmegiſti S. Thomas in 1. part. quæſt. 32. art. 1. ad 1. explicat non de Trinitate, ſed de productione mundi: hoc modo: *Monas*, ideſt Deus, qui eſt vnus: *genuit Monadem*, ideſt produxit mundum, qui vnus eſt: *& in ſe ſuum reflectit ardorem*, ideſt propter ſui amorem.

S. Thom.

CONTROVERSIA IV.

An Incarnatio lumine naturali cognoſcatur impoßibilis.

DICO non poſſe euidenter, demonſtratiuèque probari Incarnationem eſſe impoſſibilem. §. 1

Probatur PRIMO quia falſum non poteſt demonſtrari, cum demonſtratio procedat ex veris: hoc poſito ſic argumentor: ex vero non niſi verum, nunquam falſum colligitur: Sed falſum eſt Incarnationis myſterium eſſe impoſſibile, quia iam factum eſt: Ergo non poteſt demonſtratione aliqua colligi Incarnationis myſterium eſſe impoſſibile: Major ſupponitur vera ex regulis bonæ conſequentiæ, explicatis in Logica. Minor probatur: quia eius contradictorium ſcilicet myſterium Incarnationis eſſe poſſibile, ſeu non impoſſibile eſt omnino verum, vtpote fide Catholica certum & probatum hic contr. 1. & 2. & magis probabitur in ſequenti

ſectione

ſectione contr. 1. & 2. cum de exiſtentia Incarnationis. SECVNDO verum vero non repugnat:
§. 2 Ergo nihil poteſt eſſe verum in lumine ſupernaturali, quod falſum, vel impoſſibile probetur in lumine naturali: alioquin Deus vtriuſque luminis author ſibi repugnaret ipſi, & ad falſum inclinaret. TERTIO quia myſteria fidei noſtræ, cuiuſmodi eſt Incarnatio non ſunt contra, ſed ſupra naturam ac rationem, vt explicat S. Thom. lib. 1. contra Gent. cap. 7. Ergo nequit ratio naturalis concludere, vel conuincere illa eſſe falſa, aut impoſſibilia. S. Thom.
QVARTO ratio naturalis oſtendit aliquid eſſe impoſſibile: vel deducendo ad implicantiam, vel ad negationem alicuius principij: at neutrum hic
§. 3 poteſt fieri. QVINTO omnia argumenta ad impoſſibilitatem huius myſterij oſtendendam effićta ſunt, & poſſunt ab homine Chriſtiano erudito diſſolui, aſſignando videlicet in eorum materia, vel forma aliquem defećtum, vt patebit ex progreſſu: & ita patet neque poſitiuè, neque negatiuè poſſe demonſtrari Incarnationem eſſe impoſſibilem. Dupliciter enim aliquid dicitur poſſibile: Primo poſitiuè, dum clarè cognoſcuntur termini, nihilque eſt in re, quod obſtet quominus poſſit fieri. Secundo negatiuè: dum non quidem rem in ſe poſſibilem clarè nouimus: ſed vel nihil obijci poteſt, quod probare poſſit impoſſibilem, vel eius poſſibilitas aliquo ſimili confirmatur.

§. 4 OBIICIES ſi lumen naturale non demonſtrat Incarnationem eſſe poſſibilem: Ergo demonſtrabit eam eſſe impoſſibilem: quia in modalibus enunciationibus Poſſibile, & Impoſſibile ſunt contradicentia. RESPONDEO nego conſequentiam: quia

Poſſibile, & Impoſſibile, vt faciant Modales contradicentes debent eſſe ſubjecta enunciationum: V. G. Poſſibile eſt Socratem ſedere: Impoſſibile eſt Socratem ſedere: Atque ita hæ duæ ſunt contradicentes Poſſibile eſt dari Incarnationem: Impoſſibile eſt dari Incarnationem. Contrarium autem contingit in objectione: vbi lumen naturale eſt ſubiectum: Poſſibile vero, & Impoſſibile ſe tenent ex parte Prædicati. Vnde hæ duæ enunciationes lumen naturale non demonſtrat Incarnationem eſſe poſſibilem: & lumen naturale non demonſtrat Incarnationem eſſe impoſſibilem, non ſunt contradictoriæ modales: Primo quia vtraque poteſt eſſe vera: at in contradictorijs, vna eſt determinatè, vera, & altera determinatè falſa. Secundo quia vtraque eſt negatiua: at in contradicentibus, vna debet eſſe affirmatiua, alterà negatiua. Hinc patet Poſſibile, & Impoſſibile facere modales contradicentes, quando ſunt Subjecta, non autem quando ſunt Prædicata: cuius contrarium arguitur in objectione.

CONTROVERSIA V.

An Suppoſita fide Incarnationis poſſit probari eam eſſe poſſibilem.

Fr. Suar. HÆC controuerſia explicatur à Suare tom. 1. in tert. part. diſp. 3. ſect. 1. concluſ. 3. cum quo §. 1

DICO ſuppoſita fide poteſt naturalis ratio eiuſdem fidei lumine adiuta coniecturis, & exemplis

vti, vt probet hoc myſterium Incarnationis eſſe poſſibile.

Antequam probetur hæc concluſio: Suppono ex Secunda Secundæ, omnia myſteria fidei poſſe lumine naturali cognoſci poſſibilia ſecundum quid, ſeu negatiuè: oſtendẽdo Argumenta contraria non conuincere intellectum, quia peccant in materia, vel in forma: & tranſeunt à creaturis ad Deum, vel alio ſimili modo. Hoc ſuppoſito

§. 2 Probatur Concluſio PRIMO varijs ſimilitudinibus PRIMA vnius hominis, in quo ſunt duæ formæ accidentales V. G. Medicina, & Iuriſprudentia: Eſt S. Auguſtini epiſt. 99. SECVNDA arboris, cui inſeritur ramus alterius ſpeciei: eſt Durandi in 3. diſt. 1. quæſt. 1. TERTIA ferri igniti, in quo duæ ſubſtantiæ retinent ſuas naturas, proprietates, & operationes diſtinctas: eſt S. Baſilij homil. 25. & indicatur exod. cap. 3. figurata enim fuit Incarnatio in Rubo ardenti incombuſto ex S. Gregorio Nazianzeno orat. 40. QVARTA hominis corpore, & anima conſtantis. eſt S. Athanaſij in Symb.

S. Auguſt.

Durand.

S. Baſil.

S. Athanaſ.

§. 3 Probatur Concluſio SECVNDO. Quia Sibyllæ hoc myſterium cognouerũt, & prædixerunt: Poetæ quoque licet Pagani ſuis fabulis hoc myſterium adumbrauerunt.

§. 4 Probatur Concluſio TERTIO ex alijs fidei noſtræ myſterijs. PRIMVM vna, & eadem natura in Trinitate eſt in tribus ſuppoſitis: Ergo plures naturæ poterunt eſſe in vno ſuppoſito. SECVNDVM Accidens in Euchariſtia eſt extra omne ſubjectum, cum tamen natum ſit eſſe in ſubjecto: Ergo etiam ſubſtantia creata poterit eſſe in alieno ſuppoſito,

præſertim Diuino: licet ſoleat communiter per ſuam propriam exiſtentiam exiſtere. TERTIVM quia ſuſtentare aliquid ſine inhæſione, ſicut fit in Incarnatione nullam dicit imperfectionem: ſuſtentat enim verbum naturam humanam abſque vlla imperfectione potentiæ paſſiuæ altiori quodam ſuſtentandi modo.

Dixi in Concluſione ſuppoſita fide: quia niſi intellectus eſſet illuſtratus lumine fidei, allatæ probationes, & his ſimiles eſſent valde infirmæ, nec ſufficerent ad veriſimile reddendum Incarnationis myſterium, illis enim facile eſt reſpondere, nam quantum

AD PRIMAM probationem RESPONDEO illas ſimilitudines in aliquo deficere vt probat Card. Bellarm. lib. 3. de Chriſto cap. 8. & ideo non probare ſimpliciter poſſibilem Incarnationem V. G. PRIMA deficit quia illæ duæ formæ accidentales non vniuntur ſecundum ſubſiſtentiam, cum non ſubſiſtant, ſed inhæreant. SECVNDA etiam, quia ramus ille non eſt perfecta arbor, ſed pars, non enim habet radices, truncum &c. & antequam inſereretur per ſe exiſtebat: at humanitas eſt perfecta natura, & nunquam habuit propriam ſubſiſtentiam. TERTIA quoque deficit; quia in ferro vel non eſt verè ignis, ſed tantum eius qualitates: vel tam ferrum, quam ignis habent propriam ſubſiſtentiam, & ex vtroque fit tantum compoſitum per accidens. QVARTA denique, quia anima, & corpus ſunt veræ partes, conſtituunt perſonam creatam ſimpliciter, & ex vtroque fit tantum vna natura. Quorum nullum in Incarnatione habet locum. §. 5

Robert. Bellarmin.

AD SECVNDAM probationem RESPONDEO §. 6

incertum eſſe an Sibyllæ afflatæ fuerint à Spiritu Sancto, vel à Dæmone, qui coactus fuerit à Deo iſta prænunciare: de cuius oraculorum veritate dubitare poſſunt homines, cum ſit Pater mendacij, & ab initio mendax fuerit. Ioan. cap. 8. Poetæ vero aut fabulas narrauerunt, aut ſi fabularum ſuarum inuolucris myſterium hoc occultauerunt, legerant libros Moyſis, & Sibyllarum, quos non intelligebant. Ioan. 8

§. 7 AD TERTIAM probationem RESPONDEO primum myſterium ſcilicet S. Trinitatis eſſe ſimpliciter majus, & ſine fide cognoſci non poſſe. Quare nec Angelus, nec homo ſublata fide poſſet ex myſterio Trinitatis colligere Incarnationis poſſibilitatem. SECVNDVM vero myſterium probabile eſt non poſſe naturaliter cognoſci: Non enim facilè colligi poteſt medio naturali poſſe Deum per influxum cauſæ efficientis ſupplere dependentiam Accidentis à ſubiecto, quæ ad genus cauſæ materialis reuocatur: & quamuis hoc colligeretur: Non valeret tamen in myſterio Incarnationis: in quo Deus non ſolum ſeparat res omnino diſtinctas: ſed etiam modum prorſus intrinſecum, & illum ſupplet, non per ſolam efficientiam, ſed per intrinſecam, & mirabilem vnionem, vnde cum hoc myſterium in ſe Deum attingat, minus cognoſci poteſt, quam reliquam Dei opera. TERTIVM negabit Philoſophus: quia impoſſibilem putat talem ſubſtentandi modum: Ad probandum tamen hunc fidei articulum, admittere illum modum ſuſtentandi commodè poterit.

SECTIO III.

DE EXISTENTIA *Incarnationis.*

Contra Iudæos, & Gentiles capitaliſſimos Religionis Chriſtianæ inimicos Veritas Incarnationis Dominicæ confirmanda eſt: eiuſque exiſtentia in rerum natura duabus Controuerſijs contra eoſdem probanda.

1. An probari poſſit contra Iudæos Incarnationem eſſe factam.
2. An probari poſſit contra Gentiles Incarnationem eſſe factam.

CONTROVERSIA I.

An probari poſſit contra Iudæos Incarnationem eſſe factam.

SACRATISSIMVM Incarnationis myſterium eſſe iam reuera factum eſt præcipuus fidei Chriſtianæ articulus: quo veluti fundamento nititur tota Religio Chriſtiana: eſt autem nobis confirmanda hæc veritas, tum contra

Iudæos, tum contra Ethnicos, ſeu Gentiles: in ſequenti controuerſia contra Gentiles agendum erit: nunc contra Iudæos.

§. 1 DICO Meſſiam iam veniſſe, & Incarnationem Verbi Diuini eſſe factam.

Probatur PRIMO ex figuris, quas fuſè refert S. Auguſtinus in lib. 12. contra Fauſtũ Manichæum à cap. 15. vſque ad 37. Ego quaſdam referam. PRIMA eſt in libro Geneſis cap. 22. Abraham venit in montem Caluariæ, vt docet S. Hieronymus ex traditione Iudæorum apud Iacobum Tyrinum. Sequebatur Iſaac filius eius ferens ligna holocauſti, ſuper quæ ſacrificandus erat: cumque veniſſent ad montem, quem Deus eis oſtendit, erexit Abraham altare, & deſuper ligna compoſuit, filiumque ſuum Iſaac ligauit, & impoſuit ſuper ſtruem lignorum immolandum. Sed Angelus apparuit prohibens ne filius occideretur: tunc Abraham vidit poſt tergum Arietem inter vepres hærentem cornibus, quem aſſumens obtulit holocauſtum loco filij ſui: ita Benedict. Pererius. Sed veritatem figuræ applicemus. Abraham ſignificat Patrem æternum: Iſaac filium Dei hominem factum repræſentat, qui à Patre ductus in Montem Caluariæ ferebat ſuper humerum ſuum crucem, in qua debebat in ſacrificium eleuari, Iſai. cap. 9. *Principatus eius ſuper humerum eius.* Iam Angelus apparuerat Luc. cap. 22. Chriſtus fuerat ligatus Matth. cap. 27. altare crucis præparatum, quem Chriſtus tanquam tribunal ſponte aſcendit: Nam Iſai. cap. 53. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit.* Et in crucem eleuatus fidelibus ſuis factus eſt cauſa ſalutis æternæ Ioan. cap. 3. *Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto: ita exaltari*

S. Auguſt.
Geneſ. 22
S. Hieron. Tyrin.
Pererius.

oportet filium hominis : vt omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam : Tunc ambæ naturæ præſignatæ ſunt : Diuina in Iſaac : humana in Ariete, quem Abraham vidit poſt tergum iuxta illud Dei dictum ad Moyſem exod. cap. 33. *poſteriora*
Exod. 33. *mea videbis* : quod in mõte Thabor adimpletum eſt
Matth. 17. Matth. cap. 17. Verum non immolatur Iſaac, ſed Aries : Non occiditur natura Diuina, ſed humana : Aries enim hærens cornibus inter vepres portendebat Chriſtum, cuius caput milites Pilati corona ex ſpinis contexta transfixerunt: ſeu vt legit S. Am-
S. Ambroſ. broſius lib. 1. de Abraham cap. 8. Aries ſuſpenſus cornibus in virgulto portendebat Chriſtum, qui inter cornua crucis affixus pependit: ſicut prædi-
Habacuch. xerat Habacuc, cap. 3. *Cornua in manibus eius* : ideſt manus eius in cornibus (per Hipallagem) ſicut
Pſal. 69. Pſal: 69. *Infixus ſum in limo profundi*, ideſt in profun-
S. Auguſt. do limi. quæ verba S. Auguſtinus lib. 18. de Ciuitate Dei cap. 32. explicat de Trophæo crucis: quando manus Chriſti in cornibus crucis fuerunt
Nic. de Lyr. extenſæ : vt habet Nicolaus de Lyra : & hoc adimpletum fuiſſe pendente Chriſto in cruce confirmat
S. Auguſt. S. Auguſtinus in Pſal. 54. his verbis : *Extendebat manus ſuas ad populum non credentem, ſed contradicentem & tamen ipſos expectans dicebat* : *Pater ignoſce illis quia neſciunt quid faciunt.* Atque ſic natura Diuina in Iſaac adumbrata manſit illæſa: & natura humana in Ariete figurata, fuit occiſa in cruce.

SECVNDA Leuitic. cap. 14. Sacerdos purificaturus Leproſum accipiebat duos paſſeres : quo- §. 2
rum vnum occidebat, & recipiebat ſanguinem in pelui : alterum viuum relinquebat ; ſed ligabat filo in baculo cum hyſſopo, & tingebat ſanguine paſſe-

ris

ris interfecti, & aſpergebat leproſum, qui purgabatur. Quid ſunt leproſi niſi homines peccati lepra infecti? Quid paſſer niſi Chriſtus, quem Dauid vocat paſſerem ſolitarium in tecto? Pſal. 101. Quid duo paſſeres, niſi duæ Chriſti naturæ Diuina, & humana? Diuina illæſa manet, humana occiditur, ſanguis effunditur, cuius aſperſione purgantur omnes homines. Pſal. 101.

§. 3 TERTIA Leuitic. cap. 16. Duæ Chriſti naturæ Diuina, & humana optimè figurantur in duobus hircis, quos Sacerdos ſtare faciebat coram Domino in oſtio Tabernaculi: quorum vnum immolabat: eiuſque ſanguine fiebat peccatorum remiſſio: alterum vero accipiebat, & poſita vtraque manu ſuper caput eius confitebatur omnes iniquitates populi, quas imprecans capiti eius remittebat per hominem in deſertum: ibique dimittebatur. Natura Chriſti humana fuit immolata, eiuſque ſanguine facta eſt peccatorum expiatio: Nam Hebr. cap. 9. *Omnia pene in ſanguine mundantur, & ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio.* Natura Diuina à morte immunis fuit, vt relictis hominum peccatis in deſerto Pœnitentiæ numerum Angelorum lapſorum repararet per homines Angelis inferiores, eleuando eos ad deſertas, vacuaſque Angelorum ſedes occupandas, & replendas. Leuitic. 16. Hebr. 9.

§. 4 QVARTA Ruth. cap. 2. 3. & 4. legitur Ruth mulierem fuiſſe viduam, quæ ſecundum legem Deuter. cap. 25. deſponſanda erat Booz viro potentiſſimo, & propinquo ſuo ſub hac tamen conditione, vt alter qui erat eo propinquior cederet iuri ſuo: facta autem contentione de venditione agri, inter Booz, & alium propinquum: quia ille propin- Ruth. 2. 3. 4.

quus præcedebat Booz vno gradu debebat iure propinquitatis emere agrum, & inire matrimonium cum Ruth, vt ſuſcitaret nomen propinqui ſui in hæreditate ſua: quod tamen præſtare noluit: ſed ceſſit iuri ſuo ſeruatis ſolemnitatibus in illa lege præſcriptis, & priuauit ſe priuilegio propinquitatis in fauorem Booz, qui accepit Ruth in vxorem: ex quo coniugio prodierunt Reges Iſraël. Booz enim genuit Obed ex Ruth: Obed autem genuit Iſai: Iſai genuit Dauid. Hæc eſt figura: Ecce veritatem. Natura humana erat deſponſanda Filio Dei Optimo, Maximo, ſub hac conditione, vt ſi reperiretur propinquior cederet iuri ſuo. Suppoſitum humanum viſum fuit propinquius, eique legitimè debebatur natura humana: quod tamen ceſſit iuri ſuo, & renunciauit priuilegio propinquitatis, vt ei ſubrogaretur ſuppoſitum Diuinum, quod naturam humanam indiſſolubili vnionis hypoſtaticæ vinculo ſibi copulauit: ex quo coniugio nati ſunt Filij Dei adoptiui Galat. cap. 4. *vbi venit plenitudo temporis miſit Deus filium ſuum factum ex muliere factum ſub lege, vt eos qui ſub lege erant redimeret, & adoptionem filiorum reciperemus.*

Galath. 4.

Probatur SECVNDO ex Prophetijs, quæ in Ieſu Nazareno fuerunt adimpletæ. I. de eius familia Pſal. 131. *Iurauit Dominus Dauid, & non fruſtrabitur eum: de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* II. de conceptione Iſaiæ cap. 7. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium.* III. de loco natiuitatis Mich. cap. 5. *Tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es in Principibus Iuda: ex te enim exiet Dux* &c. IV. de natiuitate Iſaiæ cap. 9. *Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis.* V. de nominis impoſitione Iſa. cap. 7. §. 5

Pſal. 131. Iſai. 7. Micheæ 5. Iſai. 9.

Vocabitur nomen eius Emmanuel. VI. de adoratione Iſai. 7.
Regum Pſal. 71. *Reges Tharſis & Inſulæ munera offe-* Pſal. 71.
rent: Reges Arabum, & Sabba dona adducent, & adora-
bunt eum. VII. de fuga in Ægyptum Oſee cap. 11.
Ex Aegypto vocabo filium meum VIII. de Innocen- Oſe. 11.
tium occiſione Ierem. cap. 31. *Vox in Rhama audita* Ierem. 31.
eſt ploratus, & vlulatus. Rachel plorantis filios ſuos. IX.
de eius prædicatione. Iſaiæ cap. 61. *Spiritus Domini* Iſai. 61.
ſuper me, ad annunciandum pauperibus miſit me. X. de
miraculis. Iſaiæ cap. 35. *Deus ipſe veniet, & ſaluabit* Iſai. 35.
nos: tunc aperientur oculi cæcorum, & aures Surdorum pa-
tebunt: tunc ſaliet ſicut Ceruus claudus, & aperta erit lin-
gua mutorum. XI. de ingreſſu triumphali in Ieruſa-
lem. Zachar. cap. 9. *Ecce Rex tuus venit tibi manſue-* Zachar. 9.
tus, & humilis. XII. de venditione. Zachar. cap. 11. Zachar. 11.
appenderunt mercedem meam triginta argenteis. XIII.
de traditione Iudæ Pſal. 35. *Homo pacis meæ, in quo* Pſal. 35.
ſperabam, qui edebat panes meos magnificauit ſupplanta-
tionem. XIV. de fuga Diſcipulorum Pſal. 26. *Amici* Pſal. 26.
mei, & proximi mei receſſerunt à me. XV. de accuſa-
tione Pſal. 68. *Inſurrexerunt in me teſtes iniqui.* XVI. Pſal. 68.
de velatione faciei. Iſaiæ cap. 50. *Faciem meam non* Iſai. 50.
auerti ab increpantibus, & conſpuentibus in me. XVII.
de ſilentio. Iſaiæ cap. 53. *Tanquam agnus coram ton-* Iſai. 53.
dente non aperuit os ſuum. XVIII. de flagellatione.
Pſal. 72. *Et fui flagellatus tota die.* XIX. de con- Pſal. 72.
demnatione. Sapient. cap. 2. *Morte turpiſſima con-* Sap. 2.
demnemus eum. XX. de baiulatione crucis. Iſaiæ Iſai. 9.
cap. 9. *Principatus eius ſuper humerum eius.* XXI. de
crucifixione. Pſal. 21. *Foderunt manus meas, & pedes*
meos. XXII. de partitione veſtimentorū. Pſal. 21. Pſal. 21.
Partiti ſunt veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſe-
runt ſortem. XXIII. de latronibus. Iſaiæ cap. 53. Iſai. 53.

Digitized by Google

Et cum ſceleratis reputatus eſt. XXIV. de exclamatione in Cruce. Pſal. 21. *Deus Deus meus reſpice in*
Pſal. 21. *me quare me dereliquiſti.* XXV. de oratione pro ini-
Iſai. 53. micis. Iſaiæ cap. 53. *Et pro transgreſſoribus orauit.*
Daniel 9. XXVI. de morte. Daniel. cap. 9. *Poſt hebdomadas ſexaginta duas occidetur Chriſtus.* XXVII. de deſcen-
Pſal. 25. ſu ad inferos. Pſal. 25. *Poſuiſti animam meam in infero*
Iſai. 11. *inferiori.* XXVIII. de ſepultura. Iſaiæ cap. 11. *Erit ſepulchrum eius glorioſum.* XXIX. de ſpoliatione in-
Oſee 13. ferni. Oſee cap. 13. *Ero mors tua ô mors, & morſus tuus ô Inferne.* XXX. de Reſurrectione. Pſal. 56.
Pſal. 56. Oſee 6. *Exurgam diluculo*: idque die tertio. Oſee cap. 6. *Viuificabit nos poſt duos dies, in die tertio ſuſcitabit nos.*
Pſal. 67. XXXI. de Aſcenſione in cœlum. Pſal. 67. *Aſcendiſti in altum, cepiſti captiuitatem.* XXXII. de Miſ-
Ioel. 2. ſione Spiritus Sancti, Ioel. cap. 2. *Effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem: & prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ*, &c. XXXIII. de vocatione Gen-
Iſai. 55. tium. Iſaiæ cap. 55. *Ecce teſtem Populis dedi eum: Ducem, ac Præceptorem Gentibus. Ecce Gentem, quam neſciebas vocabis, & Gentes, quæ te non nouerint venient ad*
Zach. 13. *te.* XXXIV. de euerſione idolorum. Zach. cap. 13. *Diſperdam nomina Idolorum de terra, & non memorabuntur vltra.* Quæ omnia Prophetarum oracula nulli alij conuenire poſſunt, quam ſoli Ieſu Nazareno.

Probatur TERTIO ex pœnis, quas Iudæi pati debebant tempore excidij Ieroſolymitani, quæ à Prophetis fuerunt prædictæ, & à Chriſto prænunciatæ.

PRIMA pœna eſt Obſidio, cuius typum dedit §. 6
Ezech. 4. Deus Ezechieli Prophetæ cap. 4. *Sume tibi laterem, & pones eum coram te, & deſcribes in eo Ciuitatem Ieruſalem, & ordinabis aduerſus eam obſidionem: & ædificabis munitiones, & comportabis aggeres, & dabis con-*

Digitized by Google

ita eam caſtra, & pones arietes in gyro. Quamuis autem hæc verba dicantur de obſidione facienda à Caldæis, ordinantur tamen ad obſidionem faciendam à Romanis: quia illa erat figura huius. Venerunt enim Veſpaſianus, & Titus Principes Romani, qui obſidentes Ieroſolymam fecerunt aggeres circa eam, & valles munitas, vt nemo ingredi poſſet.

§. 7 SECVNDA eſt fames prodigioſa, & horribilis, qualis non fuit ab orbe condito, prædicta à Ieremia cap. 19. *Cibabo eos carnibus filiorum ſuorum, & carnibus filiarum ſuarum: & vnuſquiſque carnem amici ſui comedet, in obſidione, & in anguſtia in qua concludent eos inimici eorum.* Quæ verba intelligi vult S. Hieronymus etiam de obſidione facta à Veſpaſiano, & Tito poſt mortem Saluatoris, à quibus ita coanguſtata fuit Ieruſalem, vt qui in ea erant, non valentes egredi, nec recipere neceſſaria ad vitam incredibili fame cruciati fuerint. Nam vt refert Ioſephus lib. 6. de Bell. Iudaico cap. 11. tanta erat fames, vt mariti vxoribus, & vxores maritis: Parentes filijs, & filij Parentibus cibos non ſolum ex manibus, ſed etiam ex dentibus raperent: imo ex gutture pene reuocabāt, ipſos faucibus ſtrangulantes. Atque vt in libro eodē cap. 14. ait: Domus erant plenæ mulieribus exanimatis, & infantibus: viæ publicæ cadaueribus ſenū replebantur: & qui mortuos ſepeliebant cadebant ſuper ipſos exanimes: & quos ſepelire non poterāt proijciebant ex muris. Adoleſcentes autem turgidi velut vmbræ mortuorum videbantur. lib. 7. cap. 7. corrigias, & calceamenta manducabant: imo & coria ex clypeis detracta abſorbebant. Tandem pro cumulo omnium malorum vt narrat Ioſephus in eodem libro 7. cap. 8. mulier nomine Maria pro-

Ierem. 19

S. Hieron.

Ioſephus.

prium filium ſuum ab vberibus lacte exhauſtis auulſum interfecit, cuiuſque carnem coctam famelica manducauit.

Num. 24. TERTIA pœna eſt internecio, quam prædixit Balaam numer. cap. 24. *Venient in Trieribus de Italia, ſuperabunt Aſſirios, & vaſtabunt Hebræos*: quod Nicol. §. 8
Nic. de Lyra de Lyra ait inchoatum fuiſſe tempore Pompeij: & completum tempore Veſpaſiani, & Titi: capti enim fuerunt, & occiſi Iudæi omnes tam qui habitabant in Ieruſalem, quam, qui illuc ad ſolemnitatem Azimorum ex diuerſis Regionibus conuenerant. Quorum vt refert Ioſephus lib. 7. de bell. Iudaic. cap.
Flau. Ioſeph 17. vndecies centena millia fame, & gladio perierunt: & alia centum millia publicè venundati ſunt. Horum etiam multos ait Ioſeph. in eodem lib. 7. cap. 16. fuiſſe per diuerſas Prouincias diſperſos ferro, beſtijs, & ſpectaculis conſumandos: alios in triumphum reſeruatos: alios denique in Ægyptum miſſos more majorum ſuorum operibus deputandos.

QVARTA pœna eſt Vaſtatio Ciuitatis prædicta §. 9
Michea 3. à Michea cap. 3. *Sion quaſi ager arabitur* (gloſa interlinearis habet: à Romanis hoſtili aratro diuidetur) *& Ieruſalem, quaſi acervus lapidum erit, & mons templi in excelſa ſyluarum.* Titus enim captam Ieruſalem funditus euertit, eamque ſolo æquauit, relicto tantum muro in munitionem, & tribus turribus præaltis, quæ poſteris indicarent, qualem Ciuitatem, quamue munitam Romanorum virtus obtinuiſſet. Reliqua vero ita complanata ſunt, vt ij, qui ad eam acceſſiſſent, aliquando fuiſſe habitatã vix crederẽt.
Flau. Ioſeph ita Ioſephus lib. 7. cap. 18. Cuius authoritas, cum ipſe fuerit excidij Ieroſolymitani teſtis oculatus, &

Digitized by Google

diligentiſſimus inueſtigator plurimum apud omnes valere debet. In hoc tamen non placet: quod cum Iudæus eſſet cauſam excidij Ieroſolymitani refert ad Seditioſorum crimina, quæ tamen referenda eſt ad Chriſtum pro Meſſia non cognitum, ſed repulſum, & crucifixum.

§. 10. Quinta pœna eſt excæcatio cum ſurditate: ſeu ſurditas cum excæcatione: quam exaggerat Deus Iſaiæ cap. 42. *Surdi audite, & cæci intuemini ad videndum. Quis cæcus niſi ſeruus meus? & ſurdus niſi ad quem nuncios meos miſi?* quæ verba diriguntur ad Iudæos; qui Verbum incarnatum neque videre voluerunt, neque Prophetas Verbi Diuini incarnationem nunciātes audire. Eam ob rem, vt ait S. Hieronym. explicans illa verba Iſaia cap. 6. *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua &c. donec deſolentur Ciuitates,* &c. Deus hanc Iudæorum cæcitatem puniuit deſolatione, & Vrbium vaſtatione facta per Titum, & Veſpaſianum, à quibus Iudæi vel occiſi ſunt; vel captiuitate in totum orbem diſperſi, nunquam amplius in Iudæam liberi reuerſuri. Iſai. 42. S. Hierony.

§. 11. Has quinque pœnas prænnunciauit Chriſtus Iudæis Luc. cap. 19. quando in conſpectu Phariſeorum & turbarum fleuit ſuper Ciuitatem dicens: *Circundabunt te inimici tui vallo; & circundabunt te* [ecce obſidionem] *& coanguſtabūt te vndique* [ecce famem] *& ad terram proſternent te, & filios tuos, qui in te ſunt* [ecce internecionē] *& non relinquent in te lapidem ſuper lapidem* [ecce vaſtationem Ciuitatis] *eo quod non cognoueris tempus viſitationis tuæ* ſcilicet Verbi Diuini Incarnationem, ſeu Chriſtum Meſſiam, qui Luc. cap. 2. *Viſitauit nos oriens ex alto.* [ecce excæcationem, & ſurditatem.] Luc. 19. Luc. 2.

Digitized by Google

Has etiam quinque pœnas prænunciauerat Iudæis Moyſes in Deuteronomio. Cum enim cap. 18.
Deuter. 18. promiſiſſet Deus Iudæis Meſſiam venturum alloquens Moyſem his verbis; *Prophetam ſuſcitabo de medio fratrum ſuorum ſimilem tui; & ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi; qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo audire noluerit; ego vltor exiſtam.* Præuidens Moyſes Chriſtum Meſſiam à Iudæis non recipiendum; dirigens ſermonem ſuum ad filios Iſraël, has & alias pœnas minitatus eſt Populo infligendas ſi non audierit vocem Domini Dei ſui eo tempore, quo inhabitabit terram ad quam debebat ingredi poſſidendam: quas enumerat in cap. 28. Prima continetur in verſiculo 53. illius capitis. *Obſideberis intra portas tuas, & in omni terra tua, quam dabit tibi Dominus Deus tuus.* SECVNDA ibidem *Comedes fructum vteri tui, & carnes filiorum tuorum, & filiarum tuarum.* TERTIA verſ. 62. *Remanebitis pauci numero, qui prius eratis ſicut aſtra cæli præ multitudine.* QVARTA verſ. 52. *Deſtruentur muri tui firmi, atque ſublimes, in quibus habebas fiduciam:* & verſ. 64. *Diſperget te Dominus in omnes populos à ſummitate terræ vſque ad terminos eius,* & verſ. 68. *Reducet te Dominus claſſibus in Aegyptum per viam de qua dixit tibi, vt amplius non videres; ibi venderis inimicis tuis in ſeruos, & ancillas, & non erit qui emat.* QVINTA verſ. 28. *Percutiet te Dominus amentia, & cæcitate, ac furore mentis.* Ratio datur verſ. 62. *quia non audiſti vocem Domini Dei tui.*

§. 12. Probatur QVARTO ex miraculis, quæ à Meſſia
Iſai. 35. facienda prædixerunt Prophetæ. Iſaiæ cap. 35. *Deus ipſe veniet, & ſaluabit vos;* id eſt Deus aſſumendo naturam humanam veniet, & ſaluabit mundum, quod

Digitized by Google

quod eſt proprium Meſſiæ: *Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt: tunc ſaliet ſicut Ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Item cap. 61. Iſai. 61.
Spiritus Domini ſuper me eo quod vnxerit me, Dominus: ad annunciandum manſuetis miſit me: quæ omnia conueniunt Ieſu Nazareno vero Meſſiæ: Nam cæcum illuminauit Ioan. cap. 9. Surdos fecit audire, & Ioan. 9.
mutos loqui Marc. cap. 7. Paralyticos & claudos Marc. 7.
fecit ambulare Ioan. cap. 5. Matth. cap. 4. Super Ioan. 5.
eum quieuit Spiritus Sāctus corporali ſpecie Matth. Matth. 4.
cap. 4. Marc. cap. 1. Luc. cap. 3. Ioan. cap. 1. Annunciauit, ſeu euangelizauit manſuetis Luc. cap. 4. Marc. 1. Luc. 3. Ioan. 1. Luc. 4.
Ex his miraculis apud Ioan. Bachonem in 4. quæſt. Io. Bacho
3. art. 3. Prolog. dupliciter vrgentur Iudæi. PRIMO quia facta ſunt, vt oſtenderet Chriſtus Iudæis ſe eſſe verum Meſſiam in lege promiſſum. SECVNDO quia eadem facta ſunt, quæ prædicta fuerant facienda à Meſſia per Iſaiam. Ideo Chriſtus Matth. cap. Matth. 11.
11. reſpondit duobus Diſcipulis Ioannis Baptiſtæ: *Euntes renunciate Ioanni: cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur.* Vnde Iudæi dicebant. Io. cap. 7. Ioan. 7. &
Nunquid Chriſtus quando veniet plura ſigna faciet? contra quos Chriſtus. Ioan. cap. 15. ait: *Si non veniſſem, & opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: Nunc autem & viderunt, & oderunt & me & Patrem meum. Sed vt impleatur, ſermo, qui in lege eorum ſcriptus eſt: quia odio habuerunt me gratis.* 15.

§. 13. Probatur QVINTO ex Pſalmo 2. qui totus eſt in explicanda vnione hypoſtatica Verbi Diuini cum natura humana in myſterio Incarnationis, quod peractum eſt in Chriſto, qui eſt Meſſias à Deo per Prophetas prænunciatus, ac promiſſus in liberato- Pſal. 2.

rem & Redemptorem hominum. Quem pſalmum
Iudæos ipſoſmet de Meſſia ſeu de Chriſto conſcri-
Mich. de Bonon. ptum intellexiſſe refert Michael de Bononia verſic.
8. circa medium : ſatiſque inſinuat S. Paulus cum
ad eum ſenſum vtitur illo Pſalmo ſcribens ad He-
Hebr. 1. bræos cap. 1. & cum actor. cap. 13. Antiochiæ in
Act. 13. Sinagoga Hebræorum diſputans de Chriſto affert
authoritatem illius Pſalmi aduerſus Hebræos. Si-
Act. 4. militer & Apoſtolus Petrus Actor. cap. 4. contra
Iudæos nomen Chriſti perſequentes citat hunc
pſalmum tanquam à Dauide de Chriſto conſcri- §. 14.
ptum? Quod autem totus ille pſalmus ſit de Diui-
nitate, & humanitate Meſſiæ ego ſic explico : Ille
pſalmus continet tredecim verſiculos : quinque
primi ſcilicet : *Quare fremuerunt Gentes*, &c. *Aſtite-
runt Reges terræ*, &c. *Dirumpamus vincula eorum*, &c.
Qui habitat in cælis, &c. *Tunc loquetur*, &c. continent
Prophetiam conſpirationis Iudæorum, & Genti-
lium aduerſus Chriſtum. Reliqui vero verſus, ſci-
licet : *Ego autem conſtitutus ſum*, &c. *Dominus dixit ad
me*, & ſequentes nulli alteri, quam Chriſto conue-
nire poſſunt. Nam Meſſias ſic mundum alloquitur
[*Dominus*] id eſt Pater æternus *dixit ad me* [*Filius
meus es tu*] ſupple *verus & naturalis*; & non tantum
per adoptionem, vel participationem [*ego hodie ge- §.
nui te*] hæ quatuor voces tribus modis explicantur : 15.
S. Auguſt. PRIMO à S. Auguſtino, de æterna Chriſti Gene-
ratione, quæ neſcit præteritum aut futurum, ſem-
perque eſt præſens. SECVNDO à S. Hilario &
S. Hilar. Apoſtolo cap. 13. actor. de Chriſti reſurrectione ex
mortuis; vt ſit ſenſus : Ego hoc die reſurrectionis
vitam, quam depoſueras, reddidi tibi, & ad immor-
talitatem corporis genui te. TERTIO à S. Atha-
S. Athan. H

naſio de temporali ex matre generatione. Nec mirum ſi hos tres ſenſus literales verba prædicta patiantur: cum idem Chriſtus ſecundum Diuinam naturam ſit ab æterno genitus: ſecundum humanam fuerit in tempore procreatus, & à mortuis excitatus. ¶ Verſiculus 12. eſt *Apprehendite diſciplinam, nequando iraſcatur Dominus*: ſcilicet apud Chaldæos, Græcos, & Latinos: Nam Hebræi habent: Oſculamini, ſiue adorate filium, nequando iraſcatur &c. ideſt: Reuerentiam exhibete filio Dei, eumque agnoſcite verum Regem & Meſſiam, oſculando ei manum, vel pedem in ſignum honoris, & ſubjectionis, ne ipſe iraſcatur. ita exponit S. Hieronymus lib. 1. contra Ruffinum: Neque hæ duæ lectiones ſibi inuicem opponuntur, quin potius mirificè conſentiunt. Licet enim verba differant: tamen eadem res eſt: Chriſtum adorare, & eius diſciplinam, ſeu fidem, ſeu eruditionem recipere. Itaque cum Meſſias hic vocetur Filius Dei naturalis, & præcipiatur, vt ei Adoratio deferatur, ſequitur illum debere eſſe verum Deum. Cumque Generatio temporalis, ſiue ex matre, ſiue ex mortuis ei tribuatur: ſequitur eum debere eſſe verum hominem. S. Hieron.

OBIICIVNT Iudæi PRIMO Chriſti Generationem repugnare dignitati Meſſiæ: PRIMO quia
§. 16. Meſſias debet naſci de Virgine. Iſaiæ cap. 7. *Ecce virgo concipiet & pariet filium*: eſt enim argumentum ad hominem: Sed Chriſtus natus eſt ex muliere deſponſata viro: Matth. cap. 1. *Cum eſſet deſponſata mater eius Ioſeph*. SECVNDO Meſſias debet eſſe vnigenitus Patris æterni. Ioan. cap. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret*: Sed Iſai. 7. Matth. 1. Ioan. 3.

Chriſtus eſt Primogenitus Matth. cap. 1. Luc. cap.
2. *Peperit filium ſuum Primogenitum.* TERTIO in
Genealogia Chriſti Matth. cap. 1. ponuntur mu-
lieres meretrices, vt Thamar, quæ fuit meretrix
Geneſ. 38. Geneſ. cap. 38. Raab. etiam Ioſu. cap. 22. Ruth
Ioſue 22. Ruth. 3. pariter in lib. Ruth. cap. 3. & Berſabea 2. Reg. cap.
2. Reg. 11. 11. In eadem Genealogia recenſetur Dauid, qui
fuit adulter, & raptor Berſabeæ, & homicida Vrię:
fuit etiam reus Superbiæ dum numerare iuſſit po-
pulum ſuum. RESPONDEO ad PRIMVM. §.
Matrem Chriſti fuiſſe Virginem ante partum in 17.
partu, & poſt partum: & verum matrimonium ini-
uiſſe cum B. Ioſepho ſponſo ſuo. Debuiſſe autem
S. Hieron. deſponſari ex S. Hieronymo in cap. 1. Matth. vt
per generationem Ioſeph origo Mariæ monſtrare-
tur: ne lapidaretur à Iudæis vt adultera: vt fugiens
in Ægyptum haberet ſolatium: vt partus eius ce-
laretur Diabolo; dum putat non de Virgine, ſed de
vxore generatum. AD SECVNDVM Reſpondeo §.
Hebr. 1. Chriſtum dici etiam Primogenitum Dei Hebr. cap.
1. *Introduxit Primogenitum in orbem terræ*: ita vt Chri- 18.
ſtus promiſcuè dicatur Primogenitus, vel vnigeni-
tus tum Dei ab æterno: tum B. Virginis in tempore:
Nec refert, quod Primogenitus dicatur reſpectu
ſecundò geniti, ſicut prius dicitur reſpectu poſte-
Mich. de rioris: Nam vt optimè obſeruat Michael de Bono-
Bonon. nia in Pſal. verſ. 134. & 135. Primogenitus du-
pliciter dicitur: ſcilicet affirmatiuè poſt quem alius
eſt genitus: & negatiuè ante quem nullus eſt geni-
tus: hoc ſecundo modo Chriſtus dicitur Primoge-
nitus: ſicque Primogenitus, & vnigenitus recipro-
cantur. Confirmatur ex S. Hieronymo contra Hel-
uidium, vbi ait Primogenitum Mariæ Chriſtum

dici: non quod poſt eum alius: ſed quod ante eum nemo genitus ſit. & Exod. cap. 12. dicitur Deus percuſſiſſe primogenita Ægypti: inter quæ multa fuerunt vnigenita: & dum in cap. 13. iubentur Primogeniti ſanctificari, intelliguntur etiam vnigeniti: alioquin expectandum fuiſſet donec alij po- Exod. 12.
§. 19. ſteriùs geniti naſcerentur. AD TERTIVM. Reſpondeo mulieres, quæ antea fuerant meretrices poſtea conuerſas ad Deum, fuiſſe legitimas vxores eorum Regum: qui in Genealogia Chriſti recenſentur. Et Dauidem tantam egiſſe pœnitentiam, vt dictus ſit inuentus ſecundum cor Dei. act. cap. 13. ait Deus. *Inueni Dauid filium Ieſſe virum ſecundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas*: quod Deus voluit ita fieri, vt ſicut ait S. Hieronymus in cap. 1. Matth. *qui propter peccatores venerat, de peccatricibus naſcens omnium peccata deleret.* Act. 13. S. Hieron.

§. 20. OBIICIVNT Iudæi SECVNDO multas Prophetias de aduentu Meſſiæ. PRIMO Elias Propheta debet præcedere aduentum Meſſiæ. Malach. cap. 4. Marc. cap. 9. Sed Elias nondum venit. SECVNDO Meſſias debet venire in fortitudine, cum gloria & majeſtate Pſal. 79. *Qui ſedes ſuper Cherubin manifeſtare: Excita potentiam tuam, & veni.* Pſal. 49. *Deus manifeſtè veniet. Ignis in conſpectu eius.* Iſaiæ 66. *Dominus in igne veniet, & quaſi turbo quadrigæ eius.* TERTIO Meſſias erit Rex & tanquam Rex potentiſſimus debet venire, & habere ſuum ſolium in Hieruſalem: Pſal. 2. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo, ſuper Sion montem ſanctum eius.* Malach. 4. Marc. 9. Pſal. 79. 49. Iſai. 66. Pſal. 2.

§. 21. RESPONDEO ad PRIMVM duplicem eſſe aduentum Meſſiæ: vnum in mundum: alterum ad iudicium; illius præcurſor fuit Ioannes Baptiſta:

huius verò Elias erit præcurſor. AD SECVNDVM Reſpondeo illos, & ſimiles locos intelligi de Aduentu ſecundo, qui futurus eſt glorioſus, & tremendus, quando veniet ad iudicium: non autem de primo, qui fuit humilis, & iam præterijt: quando venit ad ſaluandos, & redimendos homines. AD TERTIVM Reſpondeo illam Propheriam de Regno Meſſiæ non eſſe intelligendam de aliquo Regno temporali, iuxta illud Chriſti Ioan. cap. 18. *Regnum meum non eſt de hoc mundo*: ſed de Regno ſpirituali ſcilicet Eccleſia, quæ Sinagogæ ſuccedere debebat: ſed de hoc Chriſti Regno fuſiùs infrà diſputandum erit Sect. 7. contr. 4.

OBIICIVNT Iudæi TERTIO quædam beneficia in ipſoſmet à Meſſia conferenda. PRIMO pacem. Iſaiæ cap. 2. & Mich. cap. 4. *Concident gladios ſuos in vomeres, & haſtas ſuas in ligones: non ſumet Gens aduerſus Gentem gladium, & non diſcent vltra belligerare.* Pſal. 71. *Orietur in diebus eius abundantia pacis donec auferatur luna.* SECVNDO terram fluentem lacte, & melle: Ioel cap. 3. *In die illa ſtillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte.* Hierem. cap. 11. *Suſcitabo iuramentum, quod iuraui Patribus veſtris daturum me eis terram fluentem lacte, & melle.* TERTIO Redemptionem, qua debent liberari à captiuitate. Amos cap. 9. *Conuertam captiuitatem populi mei Iſraël.* Pſal. 52. *Cum conuerterit Deus captiuitatem plebis ſuæ: exultabit Iacob, & lætabitur Iſrael.* QVARTO Reædificationem Templi: Amos cap. 9. *In die illa ſuſcitabo tabernaculum Dauid, quod cecidit: & reædificabo operturas murorum eius, & ea quæ corruerunt inſtaurabo, & reædificabo illud ſicut in diebus antiquis.* Zachar. cap. 6. *Ecce vir, Oriens nomen eius* (vel Meſſias vt habet ver-

§. 22.

Iſai. 2. Mich. 4. Pſal. 71. Ioel 3. S. Hieron. Pſal. 52. Amos. 9. Zachar. 6. Verſ. Cald.

ſio Chaldaica) *& ædificabit Templum Domino*: At
§. Chriſtus nullum ædificauit Templum, RESPON-
23. DEO ad PRIMVM cum Michaele de Bononia Mich. de Bonon.
in Pſal. verſ. 1179. in Aduentu Meſſiæ duplicem
pacem hominibus fuiſſe conceſſam; temporalem
vnam; Spiritualem alteram. de Temporali intelli-
guntur Prophetiæ Iſaiæ & Micheæ: Nam quando
Chriſtus natus eſt: Pax fuit in vniuerſo terrarum
orbe ſub vno Monarcha Auguſto Cæſare, qui ideo
fecit edictum vt deſcriberetur vniuerſus Orbis,
Verum pax illa non diu durauit, propter bella Ro-
manorum aduerſus Iudæos ex quibus ſubſecutum
eſt excidium Ieroſolimitanum. De pace ſpirituali
intelliguntur verba Regij Prophetæ, quam Angelus
annunciauit Paſtoribus Luc. cap. 2. *Gloria in altiſſi-* Luc. 2.
mis Deo: & in terra pax hominibus,) quæ durabit
donec auferatur luna ideſt donec Eccleſia tollatur
de ſtatu mortali in quo nunc eſt, & deducatur in
§. ſtatum immortalitatis. AD SECVNDVM Reſ-
24. pondeo ex Origene lib. 4. Periarch. cap. 2. Iudæos Origen.
has, & omnes alias promiſſiones, ſeu benedictiones
venturas per Meſſiam temporaliter fuiſſe interpre-
tatos: ad quas complendas ſatis fuiſſet purus ho-
mo. Verum per illam terram fluentem lacte &
melle promiſſam Iudæis quaſi in ſtipendium cultus,
& honoris Meſſiæ exhibendi S. Auguſtinus lib. 1. S. Aug.
de ſerm. dom. in monte cap. 3. & S. Ioan. Chryſoſt. S. Ioan. Chryſoſt.
hom. 75. ad pop. Antioch. explicant de terra vi-
uentium, ſeu de cæleſti Ieruſalem vbi Deus ſe ip-
ſum ſuis veris cultoribus dat in præmium. ad quod
promittendum, & largiendum non ſufficit purus
§. homo. AD TERTIVM. Reſpondeo duplicem
25. eſſe captiuitatem; vnam ciuilem qualis fuit Ægy-

ptia ſub Pharaone: alteram ſpiritualem, in quam incidimus per peccatum: & ſicut Deus per Moyſem liberauit populũ Iſrael à priori ſeruitute Exod. cap. 14. ita Meſſias per ſuum ſanguinem liberaturus erat omnes à poſteriori: iuxta illud Pſalm. 129. *Et ipſe redimet Iſrael, ex omnibus iniquitatibus eius*: Chriſtus enim redemit omnes homines à ſeruitute peccati, ſi non efficaciter, ſaltem ſufficienter: ita Ioan. Bacho in 2. d. 3. quæſt. vnic. art. 1. explicans illud Pſal. 71. *Ex vſuris & iniquitate, redimet animas eorum.*

Exod. 14. Pſal. 129.

§. 26. AD QVARTVM Reſpondeo Templum à Meſſia reædificandum non eſſe illud materiale conſtans ex lapidibus, quod priùs fuit ædificatum à Salomone, reædificatum poſtea à Zorobabel, & Nehemia: ſed eſſe Templum ſpirituale, id eſt Eccleſiam, in qua Chriſtus Sacerdos æternus æternum ſibi elegit domicilium: ita S. Auguſtinus lib. 18. de Ciuitate Dei cap. 45.

S. Auguſt.

§. 27. OBIICIVNT Iudæi QVINTO Meſſias debet legem adimplere: Chriſtus autem ſæpe legem ſoluit. PRIMO quando violauit Sabbatum, quod illi exprobrabant Phariſæi Matth. cap. 12. *Ecce Diſcipuli tui faciunt, quod non licet facere die Sabbati.* Ioan. cap. 9. Phariſæi dicebant de Chriſto: *Non eſt hic homo à Deo, qui Sabbatum non cuſtodit.* SECVNDO abſoluit mulierem in adulterio deprehenſam Ioan. cap. 8. quæ ſecundum legem debebat lapidari Leuitic. cap. 20.

Matth. 12. Ioan. 9. Ioan. 8. Leuitic. 20.

§. 28. RESPONDEO ad PRIMVM; Præceptum de obſeruando Sabbato eſſe præceptum affirmatiuum, quod non obligat pro ſemper: Maximè verò in neceſſitate. Tunc Diſcipuli Chriſti eſuriebant die Sabbati, & tranſeuntes cum Chriſto per ſata cœperunt vellere ſpicas, & manducare.

Sæpe

Sæpe autem relaxatum fuit Sabbatum. V. G. à Ioſue quando die Sabbati commiſit prælium: quod Deus miraculo comprobauit. Ioſ. cap. 6. à Machabeis etiam, qui die Sabbati præliati ſunt lib. 1. Machab. cap. 2. & refertur cap. ſi nulla 23. q. 8. Sanctus etiam Propheta Elias die Sabbati ambulauit: quia ſcriptum eſt in lib. 3. Reg. cap. 19. Eum ambulauiſſe quadraginta diebus, & quadraginta noctibus vſque ad montem Dei Oreb. AD SECVNDVM

Ioſue 6. | 1. Machab 2. | 3. Reg. 19.

§. 29. Reſpondeo Chriſtum non damnauiſſe mulierem deprehenſam in adulterio: tum quia ſecundum legem nemo eam accuſauerat: tum quia voluit dare exemplum, ne priuati officium magiſtratus publici exercerent.

CONTROVERSIA II.

An probari poſſit contra Gentiles Incarnationem eſſe factam.

§. 1 RATIO DVBITANDI petitur ex S. Auguſtino, qui in lib. 5. confeſſionum cap. 10. ait: *Verebar credere Deum in carne, ne cogerer dicere inquinatum ex carne*: quod erat commune dictum Gentilium: quorum quidam negauerunt ſimpliciter Incarnationis myſterium: & hos impugnat vocatus de tenebris Gentium S. Auguſtinus in lib. 10. de Ciuitat. Dei cap. 29. Alij conceſſerunt quidem Verbum Diuinum potuiſſe incarnari: negauerunt tamen id eſſe conueniens: & hos refutat Gregor. de Val. tom. 4. diſp. 1. quæſt. 1. punct. 4. eorum ratio erat: quia Incarnatio videtur eſſe hu-

S. Auguſt. | Gregor. de Valent.

miliatio Deo indigna: Ex qua ſequeretur fore , vt quaſi ſordeſceret Verbum Diuinum in natura humana. His igitur antequam reſpondeam

DICO contra Gentiles Incarnationem Verbi Diuini eſſe factam. §. 2

Probatur PRIMO teſtimonijs ipſorummet Gentilium ex ſcriptura deprompris. PRIMVM eſt
Iob. 19. illius viri ſimplicis ac recti nomine Iob, qui in ſuo libro cap. 19. aiebat: *Scio quod Redemptor meus viuit, & in nouiſsimo die de terra ſurrecturus ſum. & rurſum circundab r pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum: quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius.* Cum autem Iob eſſet vir pius vt refert S.
S. Auguſt. Auguſtinus lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 47. docuit iſta filios ſuos, & ſic deinceps alij alios vſque ad nouiſſimum diem legis Moſaicæ: quando cum alijs Sanctis reſurgente Chriſto, ſurrexit: tunc enim vt
Io. Pineda. interpretatur Ioan. de Pineda rurſum circundatus pelle ſua vidit Redemptorem omnium Deum in humana carne ſubſiſtentem, quem oculis corporeis ipſemet conſpexit, & non alius pro eo. SECVNDVM teſtimonium petitur ex Prophetia Balaam numer.
Num. 24. cap. 24. *Videbo eum, ſed non modo: intuebor eum: ſed non prope. Orietur ſtella ex Iacob, & conſurget virga de Iſrael* &c. quam manſiſſe apud Gentes docent Patres, cum de Adoratione Magorum: & ego id explicabo infra in Sect. 4. controuer. 5. TERTIVM teſtimonium eſt Centurionis illius, qui Matth. cap.
Matth. 27. 27. viſo terræmotu, & alijs quæ fiebant in morte Chriſti exclamauit: *Verè filius Dei erat homo iſte.* idem
Marc. 15. legitur apud S. Marc. cap. 15.

Probatur SECVNDO teſtimonijs eorumdem Gentilium ex hiſtoria depromptis. §. 3

PRIMVM teſtimonium eſt Sibyllarum, quæ ſcripſerunt totam ferè vitam Chriſti quarum vna ſcripſit in lib. 8. oraculor. Chriſti matrem vocandam eſſe Mariam, vbi etiam legationem Gabriëlis Archangeli vaticinata eſt his verſibus. Sibylla.

καὶ βραχὺς ἐλθὼν
Παρθένου ἐκ Μαρίας λαγγανόντε ἐξανέτειλε νέον φῶς
Οὐρανόθεν δὲ μολὼν βροτέην ἐνεδύσατο μόρφην
Πρῶτα μὲν οὖν Γαβριὴλ σθεναρὸν δέμας ἁγνὸν ἐδείχθη
Δεύτερα καὶ κούρην αὐτάγγελος ἔννεπε φωνῇ
Δέξαι ἀχράντοισι θεὸν σοῖς παρθένε κόλποις.

Id eſt

& cito veniens
Virginis ex Mariæ ilijs, orta eſt noua lux:
E cælo autem veniens mortalem induit figuram,
Primum quidem igitur Gabriel forte corpus caſtum oſtendit:
Poſtea, & puellam ipſe Angelus allocutus eſt voce,
Accipe immaculatis Deum tuis virgo gremijs.

Sibylla in eodem libro 8. oraculorum refert An-
§. 4 gelo recedente Verbum Diuinum fuiſſe incarnatum: dum B. Virgo agnouit nihil eſſe impoſſibile apud Deum. Sibylla.

Καὶ οἱ θάρσος ἐπῆλθεν, ἔπος δ' εἰσέπτατο νύθην
Σαρκωθὲν δὲ χρόνῳ, καὶ γαστέρι ζωογονηθέν:
Ἐπλάσθη βροτέην ἰδέην καὶ κοῦρος ἐτύχθη
Παρθενικοῖς τοκετοῖς, τὸ δὲ γὰρ μέγα θαῦμα βροτοῖσι:
Ἀλλ' οὐδὲν μέγα θαῦμα πατρὶ, καὶ θεῷ υἱῷ.

id eſt

Et ſibi confidens redijt Verbum, & volauit in aluum
Incarnatum vero tempore: & in ventre viuum natum
Plaſmatum eſt mortali facie, & fætus creatus eſt
Virgineis partubus: hoc autem magnū miraculū mortalibus:
Sed nullum magnum miraculum Deo Patri, & Deo Filio.

Numer. 24 Sibylla. Sibylla etiam in lib. 2. oraculorum conformiter Prophetiæ Balaam numer. cap. 24. prædixit tempore Natiuitatis Chriſti apparituram in ſignum magnum nouam ſtellam à Deo diuinitus factam.

Καὶ τότε δὴ μέγα σῆμα θεός μετέπειτα ποιήσει,
Λάμψει γὰρ στεφάνῳ λαμπρῷ παρομοίϊος ἀστὴρ.
Λαμπρὸς παμφαίνων ἀπ᾽ οὐρανοῦ αἰγλήεντος.
Ἤμασιν οὐκ ὀλίγοις.

id eſt

Et tunc magnum ſignum Deus poſtea faciet:
Lucebit enim corona lucida ſimilis ſtella.
Fulgida vndique apparens è cœlo fulgido
Diebus non paucis.

Sibylla. Porro Sibylla prædixerat Chriſtum naſciturum in Bethleem, ibique in ſtabulo, & in præſepio reclinandum, ad quem adorandum debebant venire Magi ex longinquis Regionibus, & ex remotioribus inſulis beneficio ſtellæ clariſſimæ, quæ illos præcedebat in via, quæ ita cecinit in lib. 8. oraculor. §. 5

Τικτόμενον δὲ βρέφος ποτὶ δέξατο γηθοσύνη χθὼν
Οὐράνιος δ᾽ ἐγέλασσε θρόνος, καὶ ἀγάλλετο κόσμος:
Καινοφανὴς δὲ μάγοισι σεβάσθη θέσφατος ἀστήρ
Σπαργανωθεὶς δὲ βρέφος δείχθη θεοπειθέσι φάτνῃ
Καὶ λόγου ἡ Βηθλεὲμ πατρὶς θεόκλητος ἐλέχθη,
Βουτελάταις τε καὶ αἰγονόμοις καὶ ποιμέσιν ἀρνῶν.

id eſt.

Genitum autem puerum excepit lætabunda terra:
Cæleſtis autem riſit thronus, & lætatus eſt orbis,
Nouiter apparens Magis adorata eſt diuina ſtella:
Faſciatus autem infans oſtenſus eſt Deo credentibus in præſepio:
Et verbi Bethleem patria à Deo vocata reuelata eſt
Bubulcis, & caprarijs, & cuſtodibus agnorum.

§. 6 Baruch cap. 3. prædixerat Chriſtum futurum hominem : *In terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.* quod fuit adimpletum in natiuitate Chriſti: iuxta illud Philip. cap. 2. *In ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus, vt homo.* Hoc idem etiam prædixit Sibylla lib. 1. oraculorum. Baruch. 3. Philip. 2. Sibylla.

Δη τότε καὶ μεγάλοιο θεοῦ παῖς ἀνθρώποισιν
Ἥξει σαρκοφόρος θνητοῖς ὁμοιούμενος ἐν γῇ.

id eſt

Certe tunc magni Dei filius hominibus
Veniet incarnatus, mortalibus ſimilis in terra.

§. 7 Declarauit inſuper Sibylla clariſſimè, quamuis ſubtiliter ; & ænigmaticè quodnam futurum erat nomen Meſſiæ futuri dum lib. 1. oraculor. vaticinata in has voces erupit. Sibylla.

Τέσσαρα φωνήεντα φέρει τα δ'ἄφωνα δύ' αὐτῷ.
Δυσσῶν ἀγγέλων ἀριθμὸν ὅλον ἐξονομήνω
Ὀκτὼ γὰρ μονάδας τόσσας δεκάδας ἐπὶ τούτοις
Ἠ' δ'ἑκατοντάδας ὀκτὼ ἀπιστοκόροις ἀνθρώποις
Οὔνομα δηλώσει : σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ σεῖο νόησον
Ἀθανάτοιο, θεοῦ χριστὸν παῖδ' ὑψίστοιο

id eſt.

Quatuor vocales fert, & duas conſonantes in ipſo,
Duorum Angelorum numerum totum nominatim indico:
Octo enim Monades, tot decades, cum his
Atque centenades octo infidelibus hominibus
Nomen manifeſtant : Tu autem in mente tua agnoſce
Immortalis Dei Chriſtum filium altiſſimi.

Nomen illud eſt Sacroſanctum nomen Ieſus, quod Græce dicitur ΙΗΣΟΥΣ, & componitur ex quatuor vocalibus, & duabus conſonantibus : vocales ſunt ι. η. ο. υ. Conſonantes ſunt σ. & σ. hæ literæ iuxta ſuppitationem Græcorum reddunt nu-

merum 888. Nam vt docet Herodianus in tractatu de Græcorum notis Arithmeticis

ι	valet	10.
η	valet	8.
σ	valet	200.
ο	valet	70
υ	valet	400.
σ	valet	200.

Ex quibus notis Arithmeticis ſecundum Græcorum vſum colliguntur octo monades: octo decades: & octo hecatondes ſeu centenades, quæ faciunt numerum 888. Subdit eadem Sibylla apud Lactan- §. 8
tium lib. 4. de vera ſapientia cap. 6. Infantem illum Chriſtum cui hoc ſacroſanctum Ieſu nomen impoſitum fuit, eſſe Deum, & Filium Dei his verbis ex lib. 8. oraculor.

Ἀυτῶν σὸν γίνωσκαι θεὸν θεῦ ὑὶὸν ἐόντα idest.

Ipſum tuum cognoſce Deum Filium Dei exiſtentem.

Teſtatur etiam Sibylla Infantem Chriſtum adorandum fore à Magis, cui illi obtulerunt Aurum, Thus, & Myrrham: quia omnia creauit: dum ita effata eſt in lib. 8. oraculorum

Τῦτω προσκομίσουσ' Ἱερεῖς χρυσὸν προσφέροντες
Σμύρναν αὐτὰρ λίβανον: καὶ γὰρ τάδε πάντα ποιήσει.

id eſt

Ipſi portabunt Sacerdotes Aurum, afferentes
Myrrham, & Thus: etenim hæc omnia faciet.

Maxime vero notandi ſunt verſus huius Sibyllæ, §. 9
Sibylla Erithræa. Erithreæ ſcilicet, quorum literæ initiales hanc ſententiam reddunt: *Ἰησοῦς χριστὸς, θεοῦ ὑιὸς, σωτήρ.* id eſt Ieſus Chriſtus, Dei Filius, Saluator. Conſtantinus in oratione habita ad Sanctorum cœtũ, quæ legitur apud Euſebium poſt vitam Conſtantini putat hanc
Euſebius.

Acroſtichidem à Cicerone Latinitate eſſe donatã, ſuiſque ſcriptis attexuiſſe: at apud Ciceronem nullibi extant hæc carmina lib. tamen 2. de Diuinat. ſect. 111. de Acroſtichide Sibyllæ ſic ſcribit. *Non eſt illud Carmen furentis, tum ipſum poema declarat, tum ea, quæ ἀκροστιχὶς dicitur, cum deinceps ex primis verſus literis aliquid connectitur: id certè magis eſt attenti animi, quam furentis. Atque in Sibyllinis ex primo verſu cuiuſque ſententiæ primis literis illius ſententiæ carmen omne prætexitur* &c. Cicero.

§. 10. Verum aliorum teſtimonia exhibenda ſunt. Itaq; SECVNDVM teſtimonium eſt Platonicorum Gentilium, quorum meminit S. Auguſtinus lib. 10. de Ciuit. Dei cap. 29. vbi diſputans contra Porphirium aſſerit quendam Platonicum ſolitum fuiſſe dicere Initium Euangelij S. Ioannis: *In principio erat Verbum* &c. ſcribendum eſſe literis aureis, & per omnes Eccleſias in locis eminentiſſimis proponendum. Hunc S. Cyrillus Alexandrin. lib. 8. contra Iulianum circa finem vocat Amelium, qui fuit ſecta Platonicus, Diſcipulus Plotini, & Præceptor Porphirij: quique appellauit S. Ioannem Barbarum: Non quod talibus verbis inchoaſſet ſuum Euangelium: ſciebat enim ait Cyrillus Verbum hominem eſſe factum, & hoc confitebatur, nec reijciebat Diuinæ prædicationis ſermonem: ſed quia S. Ioannes erat externæ linguæ: fuit enim Hebræus ex Hebræis, & non de regione, & terra Græcorum. Idem refert Theodoretus circa finem lib. 6. & 9. de curand. Græcor. affectionibus. Amelium ſcilicet Philoſophum Platonicum dixiſſe has Euangelij voces: *Verbum caro factum eſt* aureis literis in omnibus templis eſſe exarandas. S. Auguſt. S. Cyril. Alex. S. Theodoret.

Zonaras. S. Thom. Tertivm teſtimonium petitur ex lamina aurea quæ vt narrat Zonaras in vita Conſtantini, & Sanctus Thomas in Secunda Secundæ quæſt. 2. art. 7. ad 3. tempore Conſtantini VI. & Irenes eius Matris circa annum Chriſti 790. inuenta fuit in vrna lapidea cum hac inſcriptione. *Χειςὸς μέλλει γεννᾶσθαι ἐκ Παρθένου; καὶ πιςεύω εἰς αὐτόν; Ἐπὶ δὲ Κωνςαντίνου, καὶ Εἰρήνης τῶν Βασιλέων πάλιν ἥλιε ὄψει με.* ideſt Chriſtus naſcetur de Virgine : & ego credo in eum : & Conſtantino, & Irene Imperatoribus, ô sol iterum videbis me. §. 11.

Plutarch. Qvartvm petitur ex Plutarcho, qui in opuſculo de ceſſatione oraculorum n. 13. narrat tempore Tyberij Imperatoris circa Inſulas Echinadas, à quibuſdam Romanis qui ex Ægypto in Italiam nauigabant, auditam fuiſſe vocem Thamo Nauis Gubernatori præcipientem. *Quando fueris ante paludem annūcia Pan Magnum eſſe mortuum.* appulſa aūt naui ad paludem Gubernator clamauit quanta potuit voce maxima *Pan Magnum mortuum eſt.* Tunc magnus multorum quaſi ex illo loco recedentium gemitus auditus eſt. Euſebius lib. 5. de Præp. Euangel. cap. 9. citat hoc Plutarchi teſtimonium : quem ſecuti ſunt Suar. tom. 2. in 3. p. diſp. 40. ſect. 1. & Cardinal. Baron. ad annum Chriſti 34. qui per *Magnum Pan* intelligunt Chriſtum : quia Πᾶν ſignificat omne, ſeu vniuerſum : Chriſtus autem, quia Deus eſt, Πᾶν eſt, ideſt omne, ſeu vniuerſum eſt, ideſt omnium ſeu vniuerſorum Deus eſt. Gemitum vero illum magnum dicunt fuiſſe gemitum Dæmonum, qui deflebant Chriſti mortem, per quam Princeps huius mundi eijciebatur foras: & ipſi ab eo morien- §. 12.

Euſebius. Suarez. Baron.

te mittebantur ad æterna inferorum ſupplicia, à quo

viuente

viuente torqueri ſe in hoc mundo ſæpe fuerant lamentati Matth. cap. 8. Marc. cap. 5. Luc cap. 8. Matth. 8. Marc. 5. Luc. 8.

§. 13. Probatur TERTIO ex miraculis.

PRIMO Chriſti, quorum meminerunt Gentiles, maximè omnium Sibyllæ mulieres Gentiles: Sibyllæ. quæ miracula à Chriſto facta multò ante prædixerunt. V. G. Ioan. cap. 6. Chriſtus ex quinque panibus, & duobus piſcibus ſatiauit quinque millia hominum: Ioan. 6. quibus expletis Diſcipuli collegerunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus, quæ ſuperfuerunt his, qui manducauerant: hoc prædixerat Sibylla lib. 1. oraculor. Sibylla.

Ἐξ ἄρτων πέντε, καὶ ἰχθύος εἰναλίοιο
Χιλιάδας κορέσει πέντε. ideſt
Ex panibus quinque, & piſce marino
Quinque millia ſatiabit.

Verum clariùs hoc miraculum expreſſit alia Sibylla apud Lactant. lib. 4. de vera ſapientia cap. 15. ex lib. 8. oraculor.

Ἐν ἄρτοις ἅμα πέντε, καὶ ἰχθύεσσι δοιοῖσιν,
Ἀνδρῶν χιλιάδας ἐν ἐρήμῳ πέντε κορέσσει·
Καὶ τὰ περισσεύοντα λαβὼν μετὰ κλάσματα πάντα
Δώδεκα πλήσει κοφίνους εἰς ἐλπίδα πολλῶν.

id eſt.

In panibus ſimul quinque, & piſcibus duobus,
Hominum milliadas in deſerto quinque ſatiabit:
Et reſtantia accipiens poſt fragmenta
Duodecim implebunt cophinos in ſpem multorum.

§. 14. Similiter dicitur Iſai. cap. 35. *Deus ipſe veniet, & ſaluabit vos: tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt: tunc ſaliet ſicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum:* ad quæ alludens Chriſtus duobus Diſcipulis Ioannis Baptiſtę quærentibus an ipſe

eſſet Meſſias ſeu Chriſtus : ait Matth. cap. 11. *Ite renunciate Ioanni quæ audiſtis, & vidiſtis : cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt* : hæc omnia vaticinata eſt Sibylla citata à Lactantio loco citato ex lib. 1. oraculor.

νεκρῶν δ᾽ ἀνάστασις ἔσαι,
Καὶ χωλῶν δρόμος ἔςωκὺς, καὶ κωφὸς ἀκούσειν
Καὶ τυφλοὶ βλέψουσι, λαλήσουσ᾽, οὐ λαλέοντες.

id eſt

Mortuorum autem reſurrectio erit,
Et claudorum curſus erit celer, & ſurdus audiet,
Et cæci videbunt, loquentur muti.

Baron. Egeſip. Præterea Cardinal. Baronius ad annum Chriſti §.
34. ex Egeſippo lib. 3. de excid. Ieroſolymit. cap. 5. 15.
Pilati epiſtolam profert ad Claudium Imperatorem de miraculis & Reſurrectione Chriſti : erat autem Pilatus Gentilis & Præſes in Iudæa ab Imperatore Romanorum inſtitutus. Epiſtolæ vero Pilati tenor talis eſt.

Pontius Pilatus Claudio ſalutem. Nuper accidit, quod & ipſe probaui, Iudæos per inuidiam ſe ſuoſque poſteros crudeli condemnatione puniuiſſe. Denique cum promiſſum haberent Patres eorum. quod Deus eorum illis mitteret de cœlo Sanctum ſuum, qui eorum Rex meritò diceretur : & hunc ſe promiſerit per Virginem miſſurum ad terras : Iſtum itaque me Præſide in Iudæam Deus Hebræorum cum miſiſſet, & vidiſſent eum cæcos illuminaſſe, leproſos mundaſſe, paralyticos curaſſe, dæmones ab hominibus fugaſſe, mortuos etiam ſuſcitaſſe, imperauiſſe ventis, ambulaſſe etiam ſiccis pedibus ſuper vndas maris, & multa alia feciſſe : cum omnis populus Iudæorum eum eſſe filium Dei diceret :

inuidiam paſſi ſunt cõtra eum Principes Iudæorum, & tenuerunt eum, mihique tradiderunt: & alia prô alijs mihi de eo mentientes dixerunt: aſſerentes eum Magum eſſe, & contra legem eorum agere: Ego autem credidi ita eſſe, & flagellatum tradidi eum arbitrio eorum: Illi autem crucifixerunt eum: & ſepulto cuſtodes adhibuerunt: Ille autem militibus meis cuſtodientibus die tertio reſurrexit: in tantum autem exarſit nequitia Iudeorum, vt darent pecuniam cuſtodibus, & dicerent: Dicite quia Diſcipuli eius corpus ipſius rapuerunt. Sed cum accepiſſent pecuniam, quod factum fuerat tacere non potuerunt: Nam & illum ſurrexiſſe teſtati ſunt ſe vidiſſe, & ſe à Iudæis pecuniam accepiſſe. Hæc ideo ingeſſi ne quis aliter mentiatur, & exiſtimet credendum eſſe mendacijs Iudæorum.

Card. Baronius non audet aſſerere hanc eſſe eãdem epiſtolam, quam Pilatus ſcripſit ad Imperatorem: eius ratio dubitandi eſt: quia dirigitur ad Claudium Imperatorem: cum tamen Chriſtus paſſus ſit ſub Tiberio: reſpondet tamẽ Card. Baronius Tiberium antequam promoueretur ad Imperium vocatũ fuiſſe Claudium. Quicquid ſit certum eſt Pilatum ſcripſiſſe ad Imperatorem Tiberium, vt teſtatur Card. Baronius ex Tertulliano, Euſebio, Oroſio & Sancto Gregorio Turonenſi. Cæſ. Baron. Tertull. Euſeb. Paul Oroſius.

§. 16. Secundo. Chriſtianorum, puta Diſcipulorum Chriſti, quæ multa fuerunt, & narrantur ab Authoribus Gentilibus: & Legionis Fulminatricis, quæ ex Euſebio lib. 5. hiſt. cap. 5. & ex Card. Baronio ad annum Chriſti 176. aquam exercitui Chriſtianorum ſitienti: fulmen vero hoſtibus à Chriſto impetrauit; quibus miraculis permoti Imperatores ceperũt Euſeb. Cæſ. Baron.

fauere Chriſtianis: extat epiſtola Hadriani apud Iuſtinum in apologia 2 Nicephorum lib. 3. cap. 27. Citat etiam ex Euſebio lib. 5. hiſt. cap. 20. Card. Baronius loco citato ſimiles epiſtolas, & edictum Marci Imperatoris, quod obſeruabatur tempore etiam Commodi filij eius, vt ait idem Baron. l. c.

Niceph. Euſeb. Baron.

Probatur QVARTO ex oraculis.

PRIMVM Apollo Mileſius conſultus vtrum Chriſtus eſſet Deus, an homo reſpondit apud Lactantium lib. 4. de vera ſapient. cap. 13. §. 17.

Apollo Mileſ. Lactant.

Θνητὸς ἔλω κτ̃ σάρκα σοφὸς τερατώδεσιν ἔργοις

ideſt

Mortalis erat ſecundum carnem, ſapiens portentoſis operibus.

SECVNDVM Auguſto Cæſari ſciſcitanti ab Apolline Delphico, quis ſibi ſuccederet in Imperio: reſpondit vt ſcribit Suidas verb. Αὔγουστος §. 18.

Apollo Delphic. Suidas.

Παῖς Ἑβραῖος κέλεται με θεὸς μακάρεσσιν ἀνάσσων
Τὴν δὲ δόμον προλιπεῖν τε καὶ αὖθις ἄιδος ἱκέσθαι
Λοιπὸν ἄπιθι σιγῶν ἐκ βωμῶν ἡμετέρων.

id eſt.

Puer Hebræus iubet me Deus Dijs imperans
Hanc domum relinquere, & iterum infernum repetere:
Ceterum abi ſilens ab altaribus noſtris.

Probatur QVINTO ex pietate, & cultu Gentilium erga Chriſtum.

PRIMO Auguſti, qui dum audiuiſſet ex Oraculo Apollinis natum puerum Hebræum Deorum Deum poſuit in Capitolio aram Dei Primogeniti: ex Euſebio lib. 4. de præparat. Euang. cap. 10. & lib. 5. cap. 8. eoque anno non eſt paſſus, imo nec auſus ſe dominum omnium appellari: quia verus Dominus totius generis humani inter homines natus erat: ita Genebrard in lib. 2. Chronol. circa an- §. 19.

Euſeb. Gill. Genebrard. Paul. Oroſius..

num ab Vrbe condita 747. vbi citat Oroſium lib. 6. cap. vltim. & Irenæum lib. 3. cap. 25. S. Irenæus.

§. 20. SECVNDO Tiberius ſub quo Chriſtus paſſus eſt cum accepiſſet à Pilato epiſtolam retulit ad Senatum de Apotheoſi Chriſti: agebat enim vt Chriſtus in numerum Deorum adſcriberetur: ſed hoc reſpuit Senatus, eo quod priùs ad Tiberium, quam ad ipſum relatũ fuiſſet: ita Card. Baronius ad annum Chriſti 34. vbi citat Euſebium lib. 2. hiſt. cap. 2. Tertull. in Apolog. cap. 5. & 21. Oroſium lib. 7. cap. 4. Greg. Turon. lib. 1. hiſt. cap. 23. Cæſ. Baron. Euſeb. Tertull. Paul Oroſius. S. Greg. Turon.

§. 21. TERTIO Alexander Seuerus Imperator habuit Chriſtum in Larario. Erat autem Lararium, ſacrarium domeſticum, in quo Lares, & Dij peculiares adorabantur: V. G. Lampridius in Alexandro ſcribit Alexandrum Seuerum in Larario rem diuinam matutinis horis factitaſſe ad effigies Deorum in quibus habebat Apollonium, Orpheum, Abrahamum, & Chriſtum. Lamprid.

§. 22. QVARTO S. Dionyſius cum vidiſſet Chriſto moriente eclipſim extraordinariam Solis, exclamauiſſetque Deum Authorem naturæ pati, perſuaſit Athenienſibus, vt aram ignoto Deo dedicarent, ita Turrianus lib. 6. conſtitution. Clement. refert ex Michaele Syngello commentatore S. Dionyſij: quam poſtea aram S. Paulus inuenit Athenis Actor. cap. 17. docuitque Athenienſes illum Deum ignotum eſſe Chriſtum. S. Dionyſ. Franc. Turrian. Actor. 17.

§. 23. AD RATIONEM DVBITANDI Reſpondeo nihil deperdi naturæ Diuinæ ex illa coniunctione, & ideo non eſſe ſimpliciter humiliationem, nec naturam Diuinam humiliatam, nec minus Incarnationem eſſe ſuſcipiendam: quod bene explicatur

exemplo Gemmæ prætioſiſſimæ in luto latentis: Theodoret. quod etiam Sancti Eccleſiæ Patres varijs adumbrarunt ſimilitudinibus. Theodoretus lib. 10. de prouidentia radij Solaris in cæno: & Medici, qui pro Hugo de S. Victor. ægroto ſordidatur. Hugo de Sancto Victore lib. 1. de Sacram. part. 3. cap. 17. animæ in corpore le- S. Athan. proſo. S. Athanaſius lib. de Incarnatione, & Aduentu pagin. 31. & 32. Dei, quem non dedecet eſſe in toto mundo: ergo nec in parte mundi, nec S. Hilar. in carne. Hinc S. Hilarius lib. 2. de Trinit. *Hæc ſi quis indigna Deo recolit, tanto ſe majoris beneficij obnoxium confitetur: quanto minus hæc Dei conueniunt majeſtati.*

SECTIO IV.

DE MANIFESTATIONE *Incarnationis.*

Articulus eſt fidei Incarnationem Verbi Diuini manifeſtatam fuiſſe non tantum Iudæis: ſed etiam Gentilibus: Iudæis quidem in Iudæa per Angelos corporeo aſpectu apparentes: Gentilibus vero per ſtellam in Orientali plaga coruſcantem. Hæc quinque Controuerſijs ſunt explicanda.

1. Quomodo Incarnatio manifeſtata fuerit Iudæis.
2. Quomodo Incarnatio manifeſtata fuerit Gentilibus.
3. An Incarnatio conuenienter manifeſtata fuerit Iudæis quidem per Angelos corporeo aſpectu apparentes: Gentilibus vero per Stellam in Oriente radiantem.
4. An Angeli corporea viſione Myſterium Incarnationis Chriſti manifeſtantes fuerint ex natura ſua corporei.
5. An Stella, quæ viſa fuit in Oriente à Magis ad manifeſtandam Verbi Incarnati natiuitatem fuerit vna de cœleſtibus, aut cometa, aut aliud meteorum.

CONTROVERSIA I.

Quomodo Incarnatio fuerit manifeſtata Iudæis.

DICO Verbi Diuini conceptionem, & Natiuitatem fuiſſe Iudæis manifeſtatam per Angelos in corpore ſenſibili apparentes, & humano modo loquentes.

PROBATVR ex manifeſtationibus, quæ factæ ſunt in ſpecie humana, & modo loquendi humano.

PRIMA Manifeſtatio facta fuit B. Virgini, quando Gabriel Archangelus corporeo aſpectu apparuit, & cum ea ſermone vocali locutus eſt: ita vt totus diſcurſus Angeli, & B. Virginis fuerit Dialogus de admiranda Verbi Diuini Conceptione. Nam Luc. cap. 1. Ingreſſus eſt Angelus, eamque ſalutauit: Timuit B. Virgo: Angelus eam reficit, & recreat: *Ecce concipies, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum: hic erit magnus, & filius Altiſſimi vocabitur*, &c. Quærit B. Virgo, quomodo iſtud fieri poſſit: cum ipſa emiſerit votum Virginitatis perpetuò ſeruãdæ. Reſpondet Angelus totam Incarnationem faciendam opera Sanctiſſimæ Trinitatis: *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Quod probat primo quia eius filius futurus erat etiam Filius Dei. Secundo ab exemplo cognatæ eius Elizabeth, quæ quamuis eſſet ſterilis, & ſenex: tamen à ſex Menſibus conceperat Ioannem Baptiſtam. TERTIO quia apud Deum nihil eſt impoſſibile. Quibus auditis B. Virgo commendans Deo ſuam

§. 1

Luc. 1.

ſuam virginitatem, & humilitatem dixit: *Ecce ancilla Domini*: deinde prebuit conſenſum ſuum, & ait: *Fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Tunc in eo inſtanti, quo B. Virgo protulit illud Verbum, *fiat*, facta fuit Diuini Verbi Incarnatio: ſicut in prima rerum creatione: in eodem inſtanti quo Deus dixit, *Fiat lux*, facta fuit lux. Angelus vero peracta ſua legatione receſſit.

§. 2 SECVNDA manifeſtatio facta fuit Paſtoribus, qui in Iudæa vigilabant; & cuſtodiebant vigilias noctis ſuper gregem ſuum: iuxta quos ſtetit Angelus clariſſimo amictus lumine, tanquam veſtimento: timent Paſtores; eorum animos reficit Angelus, & ſuæ legationis oracula exponit Luc. cap. 2. *Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo; quia vobis hodie natus eſt Saluator mundi, qui eſt Chriſtus Dominus in Ciuitate Dauid.* Subitò adeſt militia cœleſtis: alij occurrunt Angeli: omnes canunt: cum lætitia, & exultatione annunciant gloriam in cœlo, & pacem in terra, eorumque vocibus reſonat totus aër. Paſtores notant verba agnoſcunt myſterium, & recedentibus Angelis ſe mutuò inuitãt ad Chriſti infantis cunabula inuiſenda. *Tranſeamus*, inquiunt, *vſque Bethleem, & videamus Verbum, quod factum eſt, quod Dominus oſtendit nobis.* Cum autem hæc vox, Verbum, in ſcriptura ſumatur pro omni re, omni facto, omni euentu: vel pro Chriſto æterni Dei æterno Filio; in hoc loco poteſt vtroque modo ſumi: poteſt enim referri vel ad reuelationem, quam à Deo per Angelum factam Paſtores agnouerunt: vel ad Incarnationis opus quod à Deo factum fuiſſe antea narrauerat Angelus B. Virgini Luc. cap. 1. in quo ſenſu S. Ambroſius lib. 2. in Luc. cap. 2. Beda

Luc. 2.

S. Ambroſ.
Beda.

S. Bernard. lib. 1. in Luc. cap. 5. S. Bernard. ſerm. 22. in cantic. Hoc Verbum de Chriſto interpretantur vt dicant Chriſtum eſſe illud Verbum quod erat in principio apud Deum, & quod caro factum eſt, & habitauit in nobis.

SVNT & aliæ duæ manifeſtationes: ſed vtraque facta eſt ſine vlla ſpecie exterioribus ſenſibus obiecta: Vna quidem S. Ioſepho, quem Angelus tantum imaginariè allocutus eſt: dum cum in ſomnis monuit de conceptione Chriſti Matth. cap. 1. de fuga in Ægyptum, & de reditu in terram Iuda Matth. cap. 2. §. 3

Matth. 1. & 2.

Altera facta eſt per internam inſpirationem; quando Luc. cap. 2. Simeon Iuſtus, & Anna Propheteiſſa Spiritu Sancto afflati venerunt eodem momento in Templum, vt Filium Dei Incarnatum ambo viderent, tangerent, eumque eſſe Meſſiam, quem expectabant palam teſtarentur. §. 4

Luc. 2.

CONTROVERSIA II.

Quomodo Incarnatio fuerit manifeſtata Gentilibus.

DICO Verbi Incarnati natiuitatem manifeſtatam fuiſſe Gentilibus, Magis quidem, qui venerant Chriſtum adoraturi per ſtellam de nouo fabricatam; Alijs vero per prodigia, & ſigna miraculoſa. §. 1

Probatur PRIMO de Magis ex ſcriptura. Dicitur enim Matth. cap. 2. *Cum natus eſſet Ieſus in Bethleem Iuda in diebus Herodis Regis: ecce Magi ab Oriente*

Matth. 2.

venerunt Hieroſolymam dicentes: Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? Vidimus enim ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.

§. 2 Probatur SECVNDO de alijs Gentilibus ex hiſtoria. Iulius Obſequens in libro de Prodigijs cap. 128. & Oroſius lib. 6. cap. 22. referunt duo Prodigia diuinitus facta. Vnum eſt de fonte olei, qui Romæ ex Taberna meritoria die integro fluxit vſque ad Tyberim. Alterum eſt de tribus Solibus, ſeu Parelijs, qui in Hiſpania apparuerũt, & in vnum paulatim coiuerunt: quæ duo Prodigia, quamuis vt vult Oroſius non eodem die, quo Chriſtus natus eſt, acciderint: tamen aſſerit S. Thom. in 3. part. quæſt. 36. art. 3. ad 3. fuiſſe indicia Natiuitatis Chriſti: illo enim ſignificabatur vel Chriſtus, qui vnctus dicitur: vel Chriſtiani, qui & vncti dicuntur: & ex Eccleſia tanquam ex taberna meritoria erant orituri. Hoc verò ſignificatur vel Trinitatis myſterium, quod naſcens Filius Dei edocturus erat: vel tres partes mundi in quas ab Antiquis diuidebatur mundus in vnum Chriſti ouile congregandas. Sed de his fuſiùs agendum erit Sect. 5. Contr. 3. quando de tempore, quo facta eſt Incarnatio diſputandum erit.

Iulius Obſeq.

Paul. Oroſius.

Pau. Oroſius

S. Thom.

CONTROVERSIA III.

An Incarnatio conuenienter manifeſtata fuerit, Iudæis quidem per Angelos corporeo aſpectu apparentes: Gentilibus vero per Stellam in Oriente radiantem.

DICO conueniens fuiſſe Verbi Incarnati Natiuitatem manifeſtari Iudæis per Angelos corporeo aſpectu apparentes, Gentilibus vero per Stellam in Oriente radiantem. §. 1

S. Aug. Probatur PRIMO ex Patribus S. Auguſtinus ſerm. 3. de Epiphania ait: *Nos itaque duos dies Natiuitatis & manifeſtationis Domini noſtri ſpirituali lætitia gratiſſimos habeamus: Iudæi Paſtores ad eum Angelo nunciante: Gentiles vero Magi ſtella monſtrante perducti ſunt. Hæc ſtella vanas computationes Aſtrologorum, & diuinationes confundit: cum ſtellarum adoratoribus creatorem cœli, & terræ adorandum potius demonſtrauit.* S. Gregorius hom. 10. in Euang. *Rationabiliter*, inquit, *Iudæis tanquam ratione vtentibus rationale animal id eſt Angelus prædicare debuit: Gentiles vero quia ratione vti neſciebant, ad cognoſcendum Dominum non per vocem, ſed per ſigna perducuntur: quia & illis Prophetiæ tanquam fidelibus, & iſtis ſigna tanquam infidelibus data ſunt.*

S. Gregor.

Probatur SECVNDO hac congruentia. Conueniens eſt Myſteria fidei noſtræ à Deo manifeſtari hominibus per ſigna eis familiaria: Sed Incarnatio Verbi, eiuſque Natiuitas eſt myſterium fidei noſtræ: Iudæis autem, quales erant Paſtores, familiare erat loqui cum Angelis corporea viſione apparen- §. 2

tibus; ſicut etiam familiare erat Magis, qui erant Gentiles, aſpicere cœlum, & notare ſtellas: Ergo conueniens fuit Incarnationem à Deo manifeſtari Paſtoribus, qui Iudæi erant per Angelos corporeo aſpectu apparentes: Magis vero, qui erant Gentiles per ſtellam in cœlo micantem. MAIOR Probatur:
§. 3 quia Deus ſe accommodat naturis rerum, & condeſcendit infirmitati humanæ: quod patet Inductione: Nam Simeoni iuſto, & Annæ Prophetiſſæ, quibus conſuetum erat myſteria fidei aperiri per internas inſpirationes Luc. cap. 2. manifeſtauit abſque ſignis viſibilibus aduentum Chriſti, dum eodem momento ambo Spiritu Sancto afflati venerũt in Templum, vt Meſſiam iampridem expectatum præſentem viderent, & adorarent. Præterea quia Petrus, & Andreas erant Piſcatores, per piſcationem Chriſtus eos ad ſe vocauit Matth. cap. 4. *Venite poſt me, faciam vos fieri Piſcatores hominum: at illi continuò relictis retibus & naui ſecuti ſunt eum.* Præterea Deus Dionyſio Iudici Areopagitæ Aſtrologiæ peritiſſime per extraordinariam ſolis eclipſim factam in plenilunio, quæ naturæ viribus tunc fieri non poterat manifeſtauit Chriſti paſſionem; eumque opera S. Pauli à Gentilitatis erroribus ad cognitionem vnius Dei, fidemque deduxit & ſic de alijs. Luc. 2. Matth. 4.

§. 4 Minor Probatur: tum quia Incarnatio eſt myſterium fidei noſtræ, vt ait S. Athanaſius in Symbolo: *Neceſſarium eſt, vt Incarnationem quoque Domini noſtri Ieſu Chriſti, fideliter credat. Eſt ergo fides recta, vt credamus* &c. tum quia patet ex ſcriptura paſſim Iudæos familiariter locutos cum Angelis corporeo aſpectu apparentibus: quædam loca ego ſelegi. Geneſis cap. 16. Angelus apparuit Agar Ancillæ Saræ, eam- S. Athanaſ.

que docuit, quomodo cum Domina ſua ſe gereret, & puerum Iſmaelem educaret. Geneſ. cap. 19.
Geneſ. 19. Loth excepit hoſpitio duos Angelos: quorum abluit pedes, eiſque conuiuium fecit, coxitque azimos, & comederunt Geneſ. cap. 22.
Geneſ. 22. Angelus prohibuit
Iudic. 13. Abrahæ ne ſacrificaret filium ſuum. Iudic. cap. 13. Angelus dicitur apparuiſſe Manue, & multum ſermonem cum eo miſcuiſſe, & cum vxore eius: qui primò ignotus habitus eſt: deinde cognitus pro viro Dei: tandem tanquam Angelus veneratus. In
Tobiæ hiſt. tota hiſtoria Tobiæ Raphael Angelus tanquam certa perſona Angelica, & naturæ diuerſæ ab humana deſcribitur. In lib. 4. Reg. cap. 1. Angelus locutus eſt ad S. Eliam Prophetã, monuitque eum vt occurreret nuntijs Reg s Samariæ: Deinde ſecundò allocutus eſt eum ſedentem in vertice Carmeli, monuitque vt deſcenderet ad Quinquagenarium: qui etiam antea eum excitauerat dum dormiret ſub Iunipero, eique ſubcinericium panem dederat, & vas aquæ, vt fuſe legitur in lib. 3. Reg. cap. 19.
4. Reg. 1.
3. Reg. 19.
Act. 7.
Dicuntur denique Iudæi act. cap. 7. per Angelos recepiſſe legem. Hæc de Iudæis.

§. 5 Quantum ad Magos, qui erant Gentiles: Certum eſt illis familiare fuiſſe cœlum ſuſpicere, ſtellas notare, ſyderumque motus, ortus, occaſus, eclipſes animaduertere, & ſimilia ad cœli ſtatum pertinentia explorata habere: ſicut ſcribit S. Cyprianus in ſerm. de Stella & Magis. *Arte Mathematica vim & diſcurſum nouerant Planetarum, & elementorum naturam, & aſtrorum miniſteria certis experimentis obſeruabant*: Quæ cum ita ſint couenienſ fuit Verbum incarnatum, eiuſque natiuitatem manifeſtari Iudæis per Angelos corporeo aſpectu apparentes: Magis vero per

ſtellam in Oriente radiantem.

§. 6 OBIICIES PRIMO neque Incarnatio, neque Natiuitas Christi fuit manifeſtata Simeoni Iuſto, nec Annæ Propheti ſſæ per ſignum aliquod ſenſibile, ſed per interiorem Spiritus ſancti afflatum: Ergo nec Iudæis, aut Gentilibus conueniens fuit manifeſtari, per huiuſmodi ſigna externa. Reſpondeo nego conſequentiam: quia homines perfecti, & rerum diuinarum contemplationi dediti, quales erant Simeon, qui apud Luc. cap. 2. iuſtus erat, & reſponſum acceperat à Spiritu Sancto non viſurum ſe mortem, niſi prius videret Chriſtum Domini: & in ſpiritu venit in templum. Anna etiam Propheti ſſa, quæ non diſcedebat de templo ieiunijs, & orationibus ſeruiens die, ac nocte: huiuſmodi inquam homines non indigebant ſignis externis; ſed illis ſufficiebat gratia ſpiritus ſancti interiùs reuelantis per donum Prophetiæ. Alij vero homines rebus corporalibus dediti, quales erant Paſtores, & Magi indigebant non tantum inſpiratione diuina, ſed etiam ſignis externis: per quæ ad tanti Myſterij cognitionem, quaſi per manum deducerentur. Luc. 2.

§. 7 OBIICIES SECVNDO manifeſtationem factam per inſpirationem internam eſſe perfectiorem ea, quæ fit per ſenſus externos: Ergo non fuit conueniens Incarnationem manifsſtari Iudæis per Angelos, ſenſibiliter apparentes, aut Magis per aſpectum ſtellæ alicuius. RESPONDEO manifeſtationem factam per inſpirationem internam eſſe perfectiorem, ſi illa ſit ſola: ſed ſi cum ea concurrat alia per aliquod ſignum ſenſibile: hanc illa eſſe perfectiorem.

§. 8 OBIICIES TERTIO Nntiuitas Chriſti erat

terrena: quippe quæ facta fuit in terra: Ergo non fuit conueniens eam manifeſtari per ſigna cœleſtia.

Respondeo Natiuitatem Chriſti fuiſſe terrenam ſecundum naturam humanam; & cœleſtem ſecundum naturam Diuinam: ſicut enim habebat matrem in terra: ita habebat Patrem in cœlo: Ideo debuit Iudæis, & Gentilibus in terra exiſtentibus manifeſtari per Angelos, qui habitant in cœlo: & per ſtellam apparentem: quia ſtellæ ſunt ornamenta cœlorum, & linguæ, quibus cœli enarrant gloriam Dei: Nam vt ait S. Auguſtinus ſerm. 3. de Epi-
S. Auguſt. phania: *Quid erat illa ſtella, quæ nec vnquam antea inter ſydera apparuit: nec poſtea demonſtranda permanſit? Quid erat niſi magnifica lingua cœli, quæ narret gloriam Dei quæ inuſitatum Virginis partum inuſitato fulgore clamaret: cui non poſtea apparenti Euangelium toto orbe ſuccederet?*

CONTROVERSIA IV.

An Angeli corporea viſione myſterium Incarnationis Chriſti manifeſtantes fuerint ex natura ſua corporei.

Ratio dubitandi eſt quia Angeli annunciantes myſterium Incarnationis apparebant in corporibus ſub humana ſpecie: in quibus exercebant opera vitæ: quod fieri non poterat, niſi habuiſſent corpora ſibi naturaliter vni- §. 1
Luc. 1. ta. Nam Gabriel ingreſſus eſt Luc. cap. 1. Angelus annuncians Paſtoribus natiuitatem Chriſti ſte-
Luc. 2. tit iuxta illos, & locutus eſt Luc. cap. 2. Angeli ambulabant vt Chriſto miniſtrarent poſt ieiunium quadra-

quadragenarium Matth. cap. 4. Angelus annunciãs Chriſti reſurrectionem reuoluit lapidem, & ſedebat ſuper eum, loquebatur cum mulieribus Matth. cap. 28. Marc. cap. 16. Sed ſtare, ſedere ingredi, eggredi, loqui, ambulare ſunt actiones organicæ vitales. Matth. 4. Matth. 28. Marc. 16.

§. 2 Confirmatur PRIMO ex quibuſdam antiquis Eccleſiæ Patribus, qui dixerunt Angelos eſſe corporeos. Origenes lib. 2. Periarch. cap. 8. ſcribit Angelos eſſe corporeos, & habere ſuas animas. Tertullianus libr. de carne Chriſti ait Angelos eſſe alicuius corporis. Lactantius lib. 2. inſtit. cap. 15. vocat Angelos ſpiritus tenues. S. Athanaſius in epiſtola ad Serapionem ait Angelos circunſcribi loco, quod eſt proprium corporum. S. Baſilius in enarratione in cap. 13. Iſaiæ explicans illa verba: *Omne cor hominis tabeſcet*: ſentit Angelos eſſe compoſitos ex anima, & corpore. S. Auguſtin. in Pſal. 85. explicans illa verba: *Eruiſti animam meam ex inferno inferiori*: ait corpora hominum in gloria futura eſſe ſicut corpora Angelorum: & lib. 10. de Ciuit. Dei cap. 10. ait non eſſe contentione laborioſa certandum, ſi quis neget Dæmones habere corpora. Origen. Tertull. Lactant. S. Athanaſ. S. Baſilius. S. Auguſt.

§. 3 Confirmatur SECVNDO quia hi Patres non tribuũt omnibus Angelis corpora eiuſdem rationis: Nam quibuſdam tribuunt cœleſtia, vt Origenes lib. 1. Periarch. cap. 7. quibuſdam aërea, vt S. Auguſtinus lib. 7. de Geneſ. ad lit. cap. 17. quibuſdam ignea, ita S. Baſilius in lib. de Spiritu Sancto cap. 16. nixi tribus ſcripturæ locis. Cœleſtia quidem ex epiſt. ad Epheſ. cap. 6. vbi ait Apoſtolus: *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus ſpirituales nequitias in cœleſtibus*, ideſt in cœle- Origenes. S. Auguſt. S. Baſilius. Epheſ. 6.

Ephes. 2. ſtibus corporibus. Aërea ex eadem epiſtola cap. 2. Vbi Apoſtolus ita loquitur. *Secundum Principem poteſtatis huius aëris* : ideſt Principem Dæmonum in Pſal. 103. aëræis corporibus. Ignea denique ex Pſal. 103. vbi Regius Propheta ſic Deum alloquitur. *Qui facis Angelos tuos Spiritus : & Miniſtros tuos ignem vrentem.*

DICO omnes Angelos, etiam eos, qui manifeſtauerunt myſterium Incarnationis Dominicæ eſſe §. 4 incorporeos ideſt eſſe ſubſtantias omnino ſpirituales intellectuales, & completas in ſua ſpecie, vt intellectuales ſunt.

Probatur PRIMO ex ſcriptura dupliciter : PRIMO ex illis locis, in quibus nomen ſpiritus propriè ſum- §. 5 ptum, ideſt quando attribuitur naturæ intelligenti ſignificat incorporeum : vt patet de Deo, de Angelis, tam bonis, quam malis, & de anima rationali : de Ioan. 4. Deo quidem Ioan. cap. 4. *Deus Spiritus eſt* : de An- Hebr. 1. gelis bonis Hebr. cap. 1. *Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi.* De malis Angelis Matth. 8. Matth. cap. 8. *Obtulerunt ei multos dæmonia habentes,* Ioan. 19. *& eijciebat ſpiritus verbo.* De anima rationali Ioan. Matth. 27. cap. 19. *Inclinato capite tradidit ſpiritum.* Matth. cap. 27. *Clamans voce magna emiſit ſpiritum.* SECVNDO §. 6 ex illis locis in quibus corpus opponitur ſpiritui, & Matth. 26. ſpiritus opponitur corpori : Matth. cap. 26. *Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma.* Ex quibus locis duos conficio Syllogiſmos. VNVS eſt omnis ſpiritus propriè dictus eſt incorporeus : Sed omnis Angelus eſt ſpiritus propriè dictus : Ergo omnis Angelus eſt incorporeus. ALTER Syllogiſmus eſt : Medium debet participare naturam extremorum : ſed Deus, qui eſt vnum extremum eſt incorporeus, & ſpiritualis: Anima rationalis, quæ eſt aliud

extremum eſt incorporea & ſpiritualis: Ergo Angelus qui eſt medius inter Deum, & animam rationalem debet eſſe incorporeus, & ſpiritualis.

§. 7 Probatur SECVNDO ex Concilijs. In Symbolo Concilij Niceni Deus dicitur *factor viſibilium & inuiſibilium.* In Synodo VI. Generali action. 11. Angeli vocantur creaturæ inuiſibiles: res autem inuiſibiles in ſcriptura dici ſolent illæ quæ carent corpore: vt patet ex epiſtola S. Athanaſij ad Thomam Epiſcopum ſcribentis: *Angeli ſpiritus ſunt ab omni corporis figuratione, & natura alieni.* Hoc diſertiſſimè definiendo explicat & explicando definit Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. & refertur in cap. Firmiter de ſumma Trinitate, his verbis. *Simul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam ſpiritualem, & corporalem, Angelicam videlicet, & mundanam, & deinde humanam, quaſi communem ex ſpiritu, & corpore conſtitutam.* Ex qua definitione Concilij duo colligo: Vnum Angelos eſſe creaturas ſpirituales, ideſt incorporeas: Alterum refutari ſententiam illorum, qui dicunt Angelos creatos fuiſſe ex aëre. Nam Concilium apertè definit creatos fuiſſe ex nihilo, ac proinde non eſſe corporeos. Symb. Nicen. Synod. VI. Gen. S. Athan. Concil. Later.

§. 8 Probatur TERTIO ex Sanctis Eccleſiæ Patribus S. Ireneus lib. 3. cap. 23. ſcribit. *Sine carne Angeli ſunt.* S. Epiphanius contra hæreſim 26. inquit: *Dæmon eſt ſpiritus incorporeus.* Sed inter omnes S. Gregorius Nyſſenus digna cædro loquitur. Nam in lib. de oratione explicans illa verba: *Fiat voluntas tua, ſicut in cælo, & in terra*: ait ibi latere myſterium: *quia omnis creatura rationalis partim in incorpoream naturam, partim in corpoream diuiſa eſt. Eſt autem Angelica incorporea: altera vero ſpecies nos homines ſumus: atque illa* S. Irenæus. S. Epiphan. S. Gregor. Nyſſen.

incorporea cum ſit, ſola mente concipitur.

Probatur Qvarto rationibus. Prima ratio à priori, ſcilicet à cauſa efficiente, & finali. §. 9

A cavsa finali: quia propria Angeli operatio eſt intellectio: intellectio autem non eget corpore, niſi quatenus medijs ſenſibus recipit ſpecies: At Angeli non à ſenſibus, ſed immediatè à Deo ſpecies habent.

A cavsa efficiente: Quia Deus in principio mundi potuit producere ea, quæ pertinent ad perfectionem vniuerſi: Sed creaturæ intellectuales, incorporeæ, completæ pertinent ad perfectionem vniuerſi: Ergo Deus in principio mundi potuit producere creaturas intellectuales, incorporeas, completas. Major attingit omnipotentiam Dei: & in ea nulla eſt implicatio contradictionis: Nam ſi Deus fecit animam rationalem, intellectiuam, incorpoream, incompletam tamen: quare non potuit producere Angelum, qui ſit creatura intellectualis, incorporea, completa: quo poſito euidens eſt non magis repugnare ſubſtantiæ completæ, quam incompletæ, imo illa conditio incorporeitatis magis congruere videtur ſubſtantiæ completæ, quam incompletæ. Minor ſcilicet creaturas intellectuales, incorporeas, completas pertinere ad perfectionem vniuerſi: Probatur: tum quia vt ait S. Thomas in 1. part. quæſt. 50. art. 1. pertinet ad vniuerſi perfectionẽ, vt ſit aliqua creatura ſimilis Deo in modo eſſendi quantum fieri poteſt: Deus autem eſt ſubſtantia intellectualis incorporea, completa: tum quia pertinet ad perfectionẽ vniuerſi, vt in eo reperiantur omnes gradus rerum, ſcilicet eſſe, intelligere, ſentire, vegetare: ſed vnus ex illis gradibus eſt

S. Thom.

gradus intellectualis, incorporeus, completus: Ergo hic etiam creari debuit: imo quo gradus iſte eſt perfectior cæteris gradibus in naturali perfectione, eo eſt magis neceſſarius ad perfectionem vniuerſi.
§. 10. SECVNDA ratio eſt à poſteriori ſcilicet ab effectibus hoc modo: Angeli deſcendunt de cœlo in terram: & iterum aſcendunt de terra in cœlum, vt patet ex multis locis ſcripturæ: Ergo penetrant cœlos transeunt enim per illos ſine vlla diuiſione cum ſint indiuiſibiles, & ſolidi, quaſi ære fuſi: vt ait Iob cap. 37. nec frangi, aut corrumpi poſſint: Ergo Angeli ſunt incorporei: Nam cum corporibus non poſſunt cœlos penetrare. Iob. 37.

§. 11. RESPONDENT quidam hoc eſſe verum de bonis Angelis, qui habent corpora glorioſa cum dotibus ſuis, quæ ſunt ſubtilitas, impaſſibilitas, agilitas, & claritas: Non autem de Angelis malis, qui non leguntur aſcendere in cælum, neque deſcendere, ſed in aëre verſari.

ATTAMEN contra: Angeli mali fuerunt creati in cœlo Empyreo, vel in firmamento: dum peccauerunt ceciderunt in terram, & ſic penetrauerunt naturaliter cœlos: quamuis non haberent illas dotes corporis glorioſi. Verum attribuere illas dotes glorioſis Angelorum corporibus nouum eſt: nec quicquam de illis legitur in ſcriptura, vel Patribus. Nam Angeli habent ſubtilitatem, impaſſibilitatem, agilitatem, non aduentitiam, nec ſupernaturalem, Marc. 5.
ſed ſibi connaturalem. Præterea legimus Marc. Luc. 8.
cap. 5. & Luc. cap. 8. Legionem Dæmonum in vnius hominis corpus intrauiſſe. Legio autem complectitur numerum ſex millium ſexcentorum ſexaginta ſex Dæmonum: quod quomodo fieri potuit ſine vlla omnino penetratione naturali? Niſi dicat

aliquis: aut Dæmones intrare in corpus per poros carnis: aut Dæmonis corpus extenuari ad modum fili vnius immenſæ cuiuſdam magnitudinis, vt per vnum porum ingrediatur in corpus. Primum eſt impoſſibile: Nam cum caro ſolida ſit media inter vnum porum, & alium, corpus Angeli diuideretur, & frangeretur in tot partes, quot ſunt pori in carne. Secundum vero ridiculum eſt. Alias rationes à poſteriori prætermitto: fore nimirum, ſi Angeli haberent corpora, vt indigerent alimento, haberent organa, & mouendo cœlos defatigarentur: vt breuiter reſpondeam ad Rationem dubitandi initio propoſitam & ad duas eius Confirmationes.

AD RATIONEM DVBITANDI Reſpondeo Angelos manifeſtãtes Incarnationem Dominicam non fuiſſe ex natura ſua corporeos, nec habuiſſe corpora ſibi vnita, ſed aſſumpta, & ab ipſiſmet fabricata ex aëre, aut ex igne, aut ex alia ſublunari materia: in quibus apparebant ſub ſpecie humana: & finita legatione diſparebant, corporibus in præjacentem materiam redeuntibus. Non poterant autem in illis corporibus vlla vitæ opera exercere: attamen in eiſdem quædam operibus vitæ ſimilia exercuerunt: quare non verè ingrediebantur, aut egrediebantur: nec verè ſedebant, aut ſtabant: nec verè ambulabant, aut loquebantur: ſed tantum metaphoricè, & per ſimilitudinem: ideſt videbantur ingredi, eggredi, ſtare, ſedere, ambulare loqui, & alia operibus vitæ ſimilia facere: Sicut dicebat de ſe Raphael Tobiæ cap. 12. *Cum eſſem vobiſcum videbar quidem manducare, & bibere.* Nam vt docet Molina in 1. part. quæſt. 51. art. 3. Opus vitæ eſt efficienter à principio vitæ intrinſeco rei, quæ mutatur tali

§. 12.

Tob. 12.

Lud. Molin.

operatione vitali: Angeli vero illi non erant intrinſeci corporibus, quæ aſſumebant, in quibus exercebant tales operationes: nec cũ illis faciebant vnum per ſe: non enim erant in illis tanquam formæ informantes: ſed tanquam formæ aſſiſtentes, ſeu vt motores. Et quemadmodum motus baculi licet fiat à viuente: non tamen eſt opus vitæ, ſicut eſt motus manus: eo quod hic fiat à principio intrinſeco ſuppoſito, cuius pars quædam eſt manus: ita motus quo Angelus mouet corpus aſſumptum licet ſit à principio vitæ, nempe ab Angelo: quia tamen non eſt à principio intrinſeco ſuppoſito illius corporis, ſed extrinſeco non eſt opus vitæ. Quod autem Angeli

§ 13. illi facerent in illis corporibus opera ſimilia operibus vitæ, hinc patet: quia ingreſſio, egreſſio, ſeſſio, ſtatio, ambulatio, locutio & ſimiles actiones; quas Angeli nunciantes myſterium Incarnationis exercebant in corporibus aſſumptis dupliciter ſpectari poſſunt: Primo quoad ſubſtantiam: Secundo quoad modum, quem actiones illæ in ſua natura includũt. Primo modo fieri poſſunt ab Angelis non Secundo. Explicatur ſubſtantia eſt ipſemet motus, qui poteſt eſſe tam in viuente, quam in non viuente: Modus eſt reſpectus peculiaris quem huiuſmodi actiones ex ſua natura habent ad tale principium: V. G. Ambulatio eſt acquiſitio loci: Ecce ſubſtantiam: facta à virtute progreſſiua Animalis, cum imaginatione ipſius: ecce modum. ſimiliter locutio eſt productio ſoni: ecce ſubſtantiam: proueniens à tali cauſa cum imaginatione ſonantis ad ſignificandum conceptum mentis ex hominum inſtituto: ecce modum: Atque ſic facilè intelligitur illos felices Angelos non propriè ambulauiſſe, nec propriè fuiſſe

locutos per corpora aſſumpta: ſed tantum analogicè: ideſt feciſſe aliquid ſimile ambulationi, & locutioni, in quantum mouebant corpora aſſumpta de loco in locum: & efformabant ſonos in aëre ſimiles vocibus humanis.

Ad primam Confirmationem Reſpondeo Antiquos Eccleſiæ Patres abijſſe in duas ſententias: quorum quidam ſecuti ſunt Platonem, qui ex S. Auguſtino lib. 8. de Ciuit. Dei cap. 14. 15. 16. aiebat Angelos eſſe corporeos: Alij ſecuti ſunt Ariſtotelem, qui in lib. 12. Metaph. cap. 6. 8. & 10. facit Angelos incorporeos, & omnino ſpirituales: ex quibus antiquis Patribus plures ſunt, & majoris authoritatis ſunt illi, qui ſequuntur Ariſtotelem, quam qui ſequuntur Platonem. §. 14.

Plato. Ariſtoteles.

Ad secundam Confirmationem Reſpondeo explicando illa tria ſcripturæ loca. Nam Apoſtolus *ſpirituales nequitias in cæleſtibus* appellat: Non quia Dæmones ſint præditi corpore cœleſti, aut aëreo, ſed quia habitant in hoc etiam aëre, qui in ſcriptura cœlum appellatur: vt Pſal. 8. *Volucres cæli*: ideſt aëris: quia volant in aëre. Illa autem verba Regij Prophetæ: *Qui facis Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem vrentem*: intelliguntur de Angelis, qui iuſſu Dei aſſumunt ſibi corpora ignea, in quibus ſunt tanquam formæ aſſiſtentes, non informantes: ſeu vt loquuntur Theologi, tanquam motores, qui in ſcriptura leguntur ſæpe in forma ignis apparuiſſe. Nam apparuerunt Moyſi: tum in Rubo ardenti Exod. cap. 3. tum in Monte Sinai: dum inter flammas, & coruſcationes accepit legem Exod. cap. 19. §. 15.

Pſal. 8. Exod. 3. & 19.

Apparuerunt S. Eliæ Prophetæ noſtri Gentilis Carmeli primo Patriarchæ 4. Reg. c. 2. in cuius tranſlatione, §. 16.

4. Reg. 2.

latione, quæ facta eſt miniſterio Angelorum; viſus eſt currus igneus, & equi ignei, qui nihil aliud erãt, quam Angeli ſancti: vt canimus in hymno eius officij: quod ex conceſſione Sedis Apoſtolicæ recitat Religio noſtra, die 20. menſis Iulij.

Te triumphali ſuper alta curru Breuiarium Carmelitarum.
Igneis vectum celeres quadrigis
Angeli attollunt, nimium coruſca
Luce micantem.

Apparuerunt Patri noſtro S. Eliſeo Prophetæ etiam Montis Carmeli incolæ, & habitatori, rerumque cœleſtium ſpectatori. Nam vt legitur in lib. 4. Reg. cap. 6. Cum Benadab Rex Siriæ miſiſſet exercitus vt caperent Eliſæum: mons viſus eſt plenus equorum, & curruum igneorum: quia vt ait S. Hieronym. explicans illum locum: Tunc Angeli ſancti deſcenderunt, qui in defenſionem Eliſei, & in terrorem aduerſariorum ignea corpora aſſumpſerunt.

CONTROVERSIA V.

An ſtella, quæ viſa fuit in Oriente à Magis ad manifeſtandam Verbi Incarnati natiuitatem fuerit vna de cæleſtibus, aut Cometa, aut aliud Meteorum.

§. 1 PRIMA SENTENTIA exiſtimat hanc Stellam fuiſſe Spiritum Sanctum: qui ſicut actor. cap. 2. apparuit Diſcipulis in linguis Act. 2. igneis: ita & tribus Magis in ſigno ſtellæ: eſt authoris librorum de mirabilibus ſacræ ſcripturæ, qui nomine S. Auguſtini circumferuntur tom. 3. ipſius S. Aug. operum lib. 3. cap. 4.

SECVNDA SENTENTIA putat ſtellam illam fuiſſe Angelum, qui in illa ſpecie apparuit Magis, ſicut apparuit Paſtoribus in corpore aſſumpto: §. 2
S. Fulgent. ita S. Fulgentius in homil. de Epiphania. S. Ioannes
S. Io. Chryſoſtom. Chriſoſtomus in cap. 2. Matth. & Theophilactus ibidem.

TERTIA SENTENTIA eſt eorum qui volunt hanc ſtellam fuiſſe vnam de cœleſtibus. Verum Autores huius ſententiæ differunt inter ſe. Nam quidam opinantur fuiſſe vnam ex illis, quæ à principio mundi poſitæ fuerunt in firmamento, quæ lucidior quam ante apparuerit: contra quos diſpu- §. 3
S. Thom. tat S. Thomas in 3. part. quæſt. 36. art. 7.

Alph. Toſt. Alij quorum meminit Abulenſis in caput 2. Matt. quæſt. 11. arbitrati ſunt fuiſſe vnum ex Planetis.
S. Gregor. Nyſſ. S. Gregorius Nyſſenus in homil. de Chriſto Incarnato exiſtimat fuiſſe vnam de cœleſtibus initio mundi productam, quæ Chriſto naſcente ad præſtandum Magis obſequium deſcenderit.

Franciſc. de Mairon. Franciſcus de Maironis in quodam Sermone contendit fuiſſe vnam de cœleſtibus non in principio mundi, ſed Chriſto naſcente productam ex aliqua particula illius lucis primo die mundi creatæ, de qua facta ſunt reliqua corpora cœleſtia: quam particulam ait fuiſſe diuina prouidentia præſeruatam, vt ex ipſa efformaretur illa ſtella tempore, quo Chriſtus naſciturus erat, quæ tamen eſſet eiuſdem omnino naturæ cum alijs.

Priſcillian. QVARTA SENTENTIA eſt Priſcillianiſtarum, qui dicunt illam fuiſſe ſtellam fatalem, ſub qua Chriſtus natus eſt. Priſcillianiſtæ enim, qui naſci vnumquemque hominem conſtitutionibus ſtellarum putant, hoc in ſui erroris patrocinium aſſu- §. 4

munt: quod noua ſtella exijt, cum Dominus carne apparuit: cuius fatum fuiſſe putant eandem ſtellam, quæ apparuit.

§. 5 QVINTA SENTENTIA exiſtimat hanc ſtellam fuiſſe Cometam: ita quidam contra quos diſputat Calcidius ſuper Timeum Platonis: quos ſequitur Maldonatus in caput 2. Matth. & Baptiſta Mantuanus lib. 12. Faſtor. Calcidius Maldonat. Bapt. Mantuan.

Hac quoque nocte Magi clarum videre Cometam
Impendere iugis, cæloque ardere ſereno.

§. 6 SEXTA SENTENTIA tenet fuiſſe quoddam nouum meteorum, & inſolitum; ex materia ſublunari conflatum, eximiæ lucis fulgore conſperſum: quod non ſua vi, ſed alicuius Angeli miniſterio mouebatur: ita Suarez tomo 2. in 3. part. diſp. 14. ſect. 5. & Conimbricenſes in Meteor. tr. 3. cap. 7. Suarez Conimbric.

§. 7 NOTANDVM EST nomen Stellæ quantum ad rem noſtram facit, quadrupliciter in ſcriptura ſumi. PRIMO pro luminaribus cœleſtibus, de quibus in Geneſis cap. 1. dicitur: *Fecitque Deus duo luminaria magna, luminare maius, vt praeeſſet diei, & luminare minus, vt praeeſſet nocti, & ſtellas, & poſuit eas in firmamento cæli, vt lucerent ſuper terram.* SECVNDO pro exhalationibus ignitis, quæ Cometæ, aut ſtellæ crinitæ dicuntur. Sic Abulenſis in cap. 24. Matth. quæſt. 85. 91. 92. & Didacus Stella in Luc. cap. 21. explicant illa verba Chriſti *Stellæ cadent de cælo.* Eſt enim Cometa exhalatio accenſa in materia viſcoſa, & aduſtibili, inflammata ab igne ſpheræ ſuperioris, quæ durat quouſque illa materia finiatur. TERTIO pro Angelis aliquando bonis, vt in Apocalypſi cap. 1. Septem ſtellæ ſunt ſeptem Angeli: aliquando malis, quomodo in Apocalypſi cap. 12. Alphonſ. Toſtat. Didac. Stella Apoc. 1. & 12.

Draco (per quem intelligitur Lucifer) dicitur ſua cauda traxiſſe tertiam partem ſtellarum, ideſt Angelorum. Et nonnulli Theologi apud Maldonatum in cap. 24. Matth. explicantes illa verba: *Stellæ cadent de cœlo*; nomine Cœli, aërem: & nomine Stellarum, Dæmones, quibus plenus eſt aër, intellexerunt. QVARTO pro gratia, Apocal. cap. 2. *Qui vicerit, & cuſtodierit vſque in finem opera mea dabo illi ſtellam matutinam*: vbi Blaſius Viegas coment. 4. ſect. 7. ex Richardo de S. Victore per *ſtellam* intelligit gratiam: per *matutinam* intelligit inchoationem beatitudinis: vtramque autem accommodatè ad rem noſtram complectitur Michael de Bonon. in Pſal. verſic. 1578. vbi explicans illa verba Pſal. 89. *Et ſit ſplendor Domini Dei noſtri ſuper nos* ait: Hic eſt ille gratiæ ſplendor, qui tres Reges direxit ad Chriſtum: iuxta illud Iſaiæ cap. 60. *Ambulabunt Reges in ſplendore ortus tui*. Ex hac Omonimia, quæ eſt in nomine ſtellæ, orta eſt hæc ſententiarum varietas: de quibus vt habeatur quid ſentiendum ſit.

Maldonat. — Apoc. 2. — Viegas. Ricard. de S. Vict. — Mich. de Bonon. — Iſai. 60.

DICO PRIMO Spiritum Sanctum potuiſſe apparere Magis in ſpecie ſtellæ: tamen non apparuiſſe, & conſequenter hanc Stellam non fuiſſe Spiritum Sanctum. §. 8

Concluſio habet duas partes.

PRIMA pars ſcilicet Spiritum Sanctum potuiſſe apparere tribus Magis in ſpecie Stellæ Probatur quia in nouo teſtamento Spiritus Sanctus quadruplici ſpecie apparuit. PRIMO columbæ dum Chriſtus in Iordane baptizaretur Marc. cap. 1. Luc. cap. 3. Ioan. cap. 1. SECVNDO in ſpecie nubis in Monte Thabor dum transfiguraretur Chriſtus Matth. cap. 17. Marc. cap. 9. Luc. cap. 9. TERTIO

Marc. 1. Luc 3. Ioan. 1. Matth. 17. Marc 9. Luc. 9.

flatus; dum inſufflauit Chriſtus, & dedit Apoſtolis poteſtatem remittendi peccata Ioan. cap. 20. Ioan. 20.
QVARTO ignis in die Pentecoſtes, quando apparuerunt *Apoſtolis diſpertitæ linguæ tanquam ignis* Act. cap. 2. Act. 2.
Ergo potuit Spiritus Sanctus apparere etiam in ſpecie ſtellæ fulgentis, vt duceret Magos ad incunabula Chriſti.

§. 9 SECVNDA pars ſcilicet Spiritum Sanctum non apparuiſſe de facto in ſpecie Stellæ. Probatur PRIMO quia omnes apparitiones Spiritus Sancti figuratæ fuerunt in veteri teſtamẽto. Nam PRIMO Columba, quæ eggreſſa eſt ex arca. Geneſ. cap. 8. Gen. 8.
ſignificabat Spiritum Sanctum ſub ſpecie columbæ appariturum in Iordane. SECVNDO columna nubis, quæ obumbrabat Iſraelitas in deſerto Exod. Exod. 13.
cap. 13. figurabat Spiritum Sanctum deſcenſurum in ſpecie nubis in Monte Thabor. TERTIO Paruulus ventus, quem S. Elias Propheta audiuit in 3. Reg. 19.
ſua cauerna 3. Reg. cap. 19. ſignificabat Spiritum Sanctum dandum in flatu. QVARTO ignis, qui Exod. 19.
lucebat in Monte Sinai dum lex dabatur Exod. cap. & 20.
19. & 20. indicabat Spiritum Sanctum in igne mittendum in Apoſtolos in Monte Sion. Sed in veteri teſtamento nulla eſt figura, qua indicatum ſit Spiritum Sanctum debuiſſe apparere in ſpecie ſtellæ: Ergo Spiritus Sanctus non apparuit in ſpecie Stellæ, ſeu quod idem eſt, illa ſtella non erat Spiritus Sanctus.

§. 10. Probatur SECVNDO, ante glorificationem Chriſti Spiritus Sanctus non fuit miſſus ſub aliqua ſpecie viſibili Ioan. cap. 7. *Nondum enim erat Spiritus Sanctus datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus*: ſed Ioan. 7.
quando Stella apparuit, Chriſtus nondum erat glo-

rificatus: quia glorificatio Chriſti fuit, vel Crux ex
Leontius. Theophila. Euthim. Rupert. S. Aug. Beda. Leontio, Theophilacto, Euthimio, Rupetto: vel Reſurrectio, ex S. Auguſtino, & Beda: vel Aſcenſio in cœlum, per quam illam accepit gloriam, vt exaltaretur, & ſederet ad dexteram Patris, detur que illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen: ad
Philipp. 2. Philip. cap. 2. Ergo Spiritus Sanctus non eſt miſſus viſibiliter ad Patres veteris teſtamenti: licet illis factæ fuerint multæ apparitiones diuinarum perſonarum: V. G. Splendor in facie Moyſis, rubus ardens in Oreb: columna nubis per diem, & ignis per noctem &c. Sed hæc ſigna non fuerunt ſigna, niſi viſibilis miſſionis Spiritus Sancti. Ait enim S.
S. Aug. Auguſtinus multa talia facta viſa ſunt illis temporibus non euidenter nominato in eis, vel Patre, vel Filio, vel Spiritu Sancto.

Probatur Tertio viſibilis Miſſio Spiritus Sancti ex Alexandro de Ales in 1. p. quæſt. 71. memb. §. 11.
Alex. de Ales. 2. indicat redundantiam gratiæ in eo ad quem mittitur: ideo miſſus eſt Spiritus Sanctus viſibiliter ad Chriſtum, & ad Apoſtolos: Chriſtus autem redundabat gratia efficienter, meritoriè, & miniſterialiter. Efficienter quidem tanquam Deus: & hoc modo non debuit mitti ad eum Spiritus Sanctus. Præterea meritoriè in Sacramentis: quam ob rem Spiritus Sanctus apparuit ſuper Chriſtum ſub ſpecie Columbæ in Baptiſmo. Tum miniſterialiter in prædicatione: ideo habuit Spiritum Sanctum in Transfiguratione ſub ſpecie nubis lucidæ, & vox Patris intonuit ipſum audite. Apoſtoli etiam debebant redundare gratia, aut conferendo Sacramenta, aut prædicando Euangelium: ideo quando datur eis poteſtas abſoluendi in ſacramento Pœni-

tentiæ, recipiunt ſpiritum ſanctum in flatu: & cum deſtinantur ad prædicandum Chriſti Euangelium; mittitur ad eos ſpiritus ſanctus in linguis igneis: quis autem dicat quando apparuit ſtella Magis, eis datum fuiſſe gratiam baptizandi, vel Euangelium prædicandi.

§. 12. DICO SECVNDO Angelum in habitu ſtellæ hoc miniſterium facere potuiſſe: illam tamen ſtellam non fuiſſe Angelum. Concluſio habet duas partes.

Prima pars ſcilicet in habitu ſtellæ Angelum potuiſſe facere hoc miniſterium Probatur quia Angeli dum ſe hominibus manifeſtant, ſe etiam in multos habitus transformant: Nam in Oreb Angelus ſub ſpecie ignis Moyſem de rubo alloquebatur, Exod. cap. 3. Ioſue etiam apparuit Angelus tanquam vir armatus in agro Vrbis Iericho. Ioſ. cap. 5. Exod. 3. Ioſue 5. Abraham tres Angelos in forma hoſpitum hoſpitio recepit Geneſ. cap. 18. 19. Manue, & eius vxor in Gen. 18. 19 prophetali habitu loquentem ad eos Angelum viderunt Iudic. cap. 13. Quidni, & Angelus Dux Magorum coram Aſtrologis in ſtellæ ſimilitudinem, & Iudic. 13. clariſſimi ſyderis fulgorem transformari potuerit.

§. 13. Secunda pars ſcilicet illam ſtellam non fuiſſe Angelum. Probatur PRIMO ex ſcriptura: quia Euangelium Sancti Matthæi cap. 2. vtitur nomine Matth. 2. ſtellæ idque quater. SECVNDO ex Patribus S. Auguſtinus ſerm. 2. de Epiphania ait: *Nobis hoc lingua nunciauit Apoſtolorum: Stella illis tanquam lingua cælorum.* S. Auguſt. S. Gregorius hom. 10. id probat hac ratione. S. Greg. *Sed quærendum nobis eſt, quidnam ſit, quod Redemptore nato Paſtoribus in Iudæa Angelus apparuit, atque ad adorandum hunc ab oriente, non Angelus, ſed Stella perdu-*

xit? quia videlicet Iudæis tanquam ratione vtentibus rationale animal, ideſt Angelus prædicare debuit: Gentiles vero quia vti ratione neſciebant ad recognoſcendum Dominum non per vocem, ſed per ſigna perducuntur: aliæ rationes. Allatæ ſunt in hac ſect. contr. 3.

DICO TERTIO non fuiſſe vnam de cœleſtibus ſiue fixis, ſiue erraticis: nec fuiſſe ſtellam de nouo productam ex materia cœleſti, quæ Christo naſcente deſcenderit in aërem vicinum terræ, vt Magis monſtraret viam. Concluſio habet duas partes. §. 14.

Prima pars ſcilicet non fuiſſe vnam de cœleſtibus ſiue fixis, ſiue erraticis. Probatur PRIMO ex S. Auguſtino lib. 2. contra Fauſtum Manichæum cap. 5. *Non ex illis erat Stella, quæ ab initio creatæ itinerum ſuorum ordinem creatoris lege cuſtodiunt: ſed noua Virginis partu nouum ſydus apparuit.* SECVNDO Stellæ cœleſtes ſunt incorruptibiles: hæc vero peracto officio rediit in præjacentem materiam: & quidem conuenienter, quia inuento lumine vero alio non indigent mortales: non deſunt tamen, qui dicant, eam reſeruari in cœlo Empyreo vſque in diem Iudicii, vt appareat in confuſionem Iudæorum: ſicut Crux apparebit, & alia inſtrumenta Paſſionis. TERTIO aliæ ſtellæ ſolum noctu fulgent: hæc & diu, & noctu ſplendebat: eius enim lumen non impediebatur à lumine ſolis: quale autem & quantum fuerit hoc lumen dicam in concl. 6. QVARTO aliquando apparebat, aliquando occultabatur: dum enim Magi ingreſſi ſunt Hieroſolymam ſe occultauit: & dum reliquerunt Herodem, ſe iterum monſtrauit. QVINTO aliæ, vel ſunt in firmamento, vt fixæ: aliæ in cœlis planetarum, vt erraticæ:

S. Auguſt.

hæc

hæc erat in aëre prope terram, quia diſtinctè monſtrabat domum, quod facere non potuiſſet, ſi fuiſſet in cœlo. SEXTO aliæ habent continuum motum: non hæc: quia modo ſtabat; modo mouebatur, prout Magi vel ambulabant, vel conſiſtebant: ſicut columna ignis ambulantibus Iſraelitis mouebatur, & quieſcentibus eiſdem conſiſtebat. SEPTIMO aliæ ſtellæ circulariter mouentur: hæc motu recto, ſeu quaſi progreſſiuo mouebatur. OCTAVO aliæ ſtellæ ſunt, vt ſint in ſigna, & tempora, & dies, & annos Geneſ. cap. 1. hæc facta eſt ad dirigendum Magos, & ad Chriſti natiuitatem ſignificandam. Geneſ. 1.

§ 15. SECVNDA pars ſcilicet non fuiſſe ſtellam de nouo productam ex materia cœleſti, quæ Chriſto naſcente deſcenderit in aërem vicinum terræ, vt Magis monſtraret viam.

Explicatur hæc ſecunda pars Cõcluſionis. Quamuis certum ſit vtrumque fieri potuiſſe: Nam ille qui ſeruat S. Eliam Prophetam in terra, vt ante diem Iudicij appareat Antichriſtum expugnaturus, ſua ineffabili prouidentia potuit ſeruare in cœlo aliquam portionem materiæ cœleſtis, vt poſt Chriſti natiuitatem majori lumine illuſtrata fieret ſtella, quæ tale obſequium Magis præſtaret: & qui fecit vt Sol ſtaret, vel retrogrederetur: facere potuit, vt vera ſtella ſtatione relicta in aërem præter naturam ſuam deſcenderit: Tamen crediderim ego non fuiſſe veram ſtellam: ſed aliquod corpus lucidum, & illuminans, ſimilitudinem ſtellæ præ ſe ferens. Quod ſi Euangeliſta S. Matthæus vtatur nomine ſtellæ, hoc fecit propter ſimilitudinem, non propter veritatem: Sicut vulgus cometam vocat ſtellam. Math. 2.

§ 16. Sic explicata hæc Concluſionis pars altera Pro-

Franc. de Moironis. batur: quia Franciſcus de Maironis aut vult ſtellam ex materia cœleſti de nouo fabricatam manſiſſe in cœlo, vel ad regionem ſublunarem deſcendiſſe: ſi primum refutatur rationibus allatis in priori parte huius concluſionis: Si Secundum, refutabitur eodem modo quo S. Gregorius Nyſſenus: qui in ſerm. S. Greg. Nyſ. de Natiuitate Chriſti, dum vult ſtellam relicto cœlo deſcendiſſe, vt duceret Magos ad incunabula Chriſti ponit tria miracula ſine neceſſitate: Primum eſt auulſio ſtellæ à cœlo. Secundum vacuus locus, qui relinquitur, aut rarefactio cœli ad illum locum occupandum: aut poſitio alterius cuiuſdam corporis ad illum replendum. Tertium illius ſtellæ peracto miniſterio in ſuum priſtinum locum reductio: at non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate. Confirmatur, quia ad oſtendendam viam Magis: vel ad ſignificandum Chriſti natiuitatem non erat neceſſaria vera ſtella, ſed ſatis erat ſimilitudo ſtellæ Angelorum miniſterio fabricatæ.

DICO QVARTO hanc Stellam non fuiſſe ſtellam fatalem Natiuitatis Chriſti, ex cuius intuitu §. 17.
Magi potuerint futuros Chriſti euentus contingentes conijcere.

Nolo hic diſputare contra Aſtrologos Iudiciarios: Nam in lib. de Cœlo opuſc. 2. ſect. 10. contr. 2. oſtendi liberas actiones, quæ pendent ex humana voluntate, vel ſucceſſus contingentes, vel caſus fortuitos non poſſe præſciri ab Aſtrologis, ipſoſque de eis prædicere per diuinas, & humanas leges prohiberi: ſed intendo tantum probare Stellam illam, quæ Magis apparuit non fuiſſe ſtellam fatalem Natiuitatis Chriſti. Igitur Concluſio. §.

S. Cyrill. Alex. Probatur PRIMO ex Patribus: S. Cyrillus 18.

Alexandrin. lib. 5. in Ioan. cap. 5. diſputans contra Priſcillianiſtas, ait, *Obijciunt aduerſarij in natiuitate eius ſtellam Magis apparuiſſe, quæ ſui exortus præſtaret indicium: & hanc ei eſſe fatalem, natalitiamque fuiſſe confingunt, quæ cæteris collata ſedibus ortui eius iampridem eſſet deſtinata. Verum dum cæleſtia dimetiri contendunt, & cuique operi Chriſti ſua aſsignare aſtra ea, quæ longe inferiora ſunt, & terrena non ſatis proſpiciuut: Neque attendunt ſtellam illam non in dominium Chriſti effulſiſſe, ſed in obſequium recens productam eſſe, vt Magos ad Chriſti incunabula perduceret, illoque expleto officio prorſus euanuiſſe, atque diſparuiſſe.* S. Auguſtinus lib. 2. contra Fauſtum Manichæum cap. 5. *Et nos quidem*, inquit, *ſub falſo ſtellarum nullius hominis geneſim ponimus, vt liberum arbitrium voluntatis, quo vel bene, vel male viuitur propter iuſtum iudicium Dei ab omni neceſſitatis vinculo vindicemus: quanto minus illius temporalem generationem ſub aſtrorum conditione credimus factam, qui eſt æternus vniuerſorum Creator, & Dominus. Itaque illa ſtella, quam viderunt Magi Chriſto ſecundum carnem nato, non ad decretum dominabatur: ſed ad teſtimonium famulabatur: nec enim ſubijciebat imperio: ſed indicabat obſequio.* Et in hom. 6. de Epiphania: *Hic iam erubeſcat ſtultitia ſacrilega: & quædam, vt ſic dicam, indocta doctrina, quæ ideo putat Chriſtum ſub ſtellarum decreto eſſe natum, quia ſcriptum eſt in Euangelio: quando natus eſt ſtellam eius Magos in Oriente vidiſſe.* S. Gregorius homil. 10. *Sed inter hæc ſciendum eſt, quod Priſcillianiſtæ hæretici naſci vnumquemque hominem ſub conſtitutionibus ſtellarum putant: & hoc in adiutorium ſui erroris aſſumunt, quod noua ſtella exijt, cum Dominus in carne apparuit, cuius fuiſſe fatum eamdem, quæ apparuit ſtellam putant.* Et paulo poſt ait: *Non ſtella fatũ pueri, ſed fatũ ſtellæ is, qui apparuit puer fuit*

S. Auguſt.

S. Greg.

Probatur Secvndo rationibus Prima eſt §. 19.
S. Io. Chryſ. s. Ioan. Chryſoſtomi homil. 6. in Matth. Aſtrologus primò reſpicit horam natiuitatis: poſtea ſtellam fatalem reſpicit: at Magi primo ſtellam viderunt: poſtea tempus natiuitatis cognouerunt. Secvnda
S. Aug. s. Auguſtini lib. 2. contra Fauſtum Manich. cap. 5. Nulli Aſtrologi ita naſcentium hominum fata ſub ſtellis conſtituunt, vt aliqua ſtella homine nato ordinarium curſum reliquerit, & ad eum, qui natus eſt venerit: ſed ſtella quam Magi viderunt non mouebatur ad motum aliarum ſtellarum, & venit ad Chriſtum recenter natum: Ergo illa ſtella non erat vna ex illis ſub quibus Aſtrologi conſtituunt hominum naſcentium fata.

Euthym. Tertia Euthymij in Matth. Stellæ quibus ſubjacere hominum fata dicunt Aſtrologi ſunt eæ, quæ §. 20.
initio mundi fuerunt à Deo creatæ, & in firmamento poſitæ: Sed ſtella hæc, de qua agimus non erat vna ex illis, quæ ſunt in firmamento, vt dixi in ſuperiori concluſione: Ergo hæc ſtella non erat vna ex illis, quibus ſubjacent fata hominum. Maior
Origen. Probatur: quia Origenes apud Euſebium lib. 6. de præparat. Euang. cap. 9. explicat illa verba Geneſ. cap. 1. *Fiant luminaria in Firmamento cæli, & diuidant diem, ac noctem, & ſint in ſigna:* explicat inquam de diuinatione Aſtrologica, quatenus ex obſeruatione aſtrorum actiones humanas, & fortuitos euentus prænoſci, & prædici poſſe autumant. Imo Aſtrologi Iudiciarij illa verba Moyſis ſuæ Aſtormantiæ magnam fidem facere, & authoritatem adiungere gloriantur.
Petr. de Alliac. Et Petrus de Alliaco Cardinalis horum Genethliacorum Protarcha quæſt. 30. in Geneſ. & in lib. de legib. & ſectis diſputans de Stella à Magis in

Oriente conſpecta oſtendit Magos illos Aſtrologiæ peritiſſimos potuiſſe ex Aſtrologicis contemplationibus prænoſcere futuram Chriſti natiuitatem, & vitam. MINOR probatur ex ſuperiori concluſione in qua dictum eſt Stellam illam viſam à Magis in Oriente non fuiſſe vnam de cœleſtibus.

§. 21. DICO QVINTO non fuiſſe Cometam. Probatur PRIMO ex Patribus. Origenes lib. 1. contra Celſum non longe à fine dicit illam ſtellam fuiſſe ad ſimilitudinem Cometæ. SECVNDO ex loco: Cometæ enim ſunt vel in regione ignis, vel in ſuprema regione aëris: hæc autem ſtella erat in infima regione aëris: ducebat enim Magos: & ſupra Chriſti præſepe ſtetit. TERTIO ex motu: quia Cometæ communiter mouentur ab oriente in occidentem circulariter vnà cum ſpheris cœleſtibus, & igne, & ſuprema regione aëris: hæc autem ſtella mouebatur ſecundum voluntatem ſui motoris: idque motu quaſi animali, ſeu progreſſiuo. QVARTO ex ſignificatione: Cometa enim prænunciat ventos, ſterilitatem, bella, Regum mortes: hæc Stella ſerenitatem, abundantiam, ſummam pacem, ſummi Regis natiuitatem portendebat. Origenes.

§. 22. DICO SEXTO Stellam illam fuiſſe meteorum nouum, & inſolitum: Diuina virtute ex materia ſublunari, ſcilicet ex exhalatione generatum: & eximiæ lucis ſplendore circumfuſum.

Concluſio hæc habet tres partes.

Prima pars ſcilicet Stellam illam fuiſſe meteorum nouum, & inſolitum Probatur PRIMO ex refutatione aliarum ſententiarum. SECVNDO quia erat corpus miſtum imperfectum, in ſublimi, ſcilicet in aëre generatum: quale nunquam fuerat viſum:

ideoque nouum, & inſolitum: quod Euangeliſta nomine ſtellæ ſignificauit. Scriptura enim ordinarie vocat res, vt exteriùs apparent: & ſicut Ser-
Num. 21. pentem æneum vocat ſerpentem numer. cap. 21.
Gen. 18. 19. Angelos, qui apparebant in forma humana, viros:
Ioſu. 5. Iudic. 13. Geneſ. cap. 18. & 19. Ioſue cap. 5. Iudic. cap. 13.
Ioan. 6. Euchariſtiam, panem: Ioan. cap. 6. & 1. Cor. cap.
1. Cor. 10. 11. 10. & 11. ita nouum hoc & inſolitum meteorum vocat ſtellam: quia ſtellæ ſimilitudinem præ ſe ferebat: ita vt, inquit Nicephorus, ab his tantum poſſet diſcerni, qui ſyderum inſpectioni dediti erant.

SECVNDA pars ſcilicet hoc meteorum Diuina virtute ex materia ſublunari, nimirum ex exhala- §. 23.
tione fuiſſe generatum Probatur: quia vt dicitur in libris meteororum: Deus aliquando eſt cauſa efficiens meteororum, vel noua creatione, vel cauſarum ſecundarum copulatione extraordinaria, vel alio, quo libuerit modo: quæ poteſt facere, vel per ſeipſum immediatè, vel mediatè per Angelos applicantes naturalia actiua paſſiuis: hoc autem nouum & inſolitum meteorum, quod Chriſto naſcente viſum eſt, vix videtur fieri potuiſſe niſi à Deo nouo, & extraordinario modo cogente eius materiam, ſeu diſponente exhalationem vel per ſe vel per Angelos: ſicut probabile eſt factam fuiſſe columnam ignis, qua veluti face ducebatur per de-
Exod. 13. ſertum populus Dei Exod. cap. 13. & illos armatos equites, quos ſupra vniuerſam Ieroſolymam quadraginta diebus per aëra diſcurrentes apparuiſſe
2. Mach. 5. ſcriptura refert lib. 2. Machab. cap. 5.

TERTIA pars ſcilicet meteorum illud eximiæ §.
lucis ſplendore fuiſſe circunfuſum. Probatur: quia 24.
propter hunc tanti luminis ſplendorem, nomine

Stellæ exprimitur. Obſerua tamen lumen huius meteori fuiſſe maius lumine cuiuſuis ſtellæ: vt docet S. Leo in quodam ſermone de Epiphania his verbis: *Tribus Magis in regione orientis ſtella noua claritatis apparuit, quæ illuſtrior cæteris, pulchriorque ſyderibus facile intuentium in ſe oculos, animoſque converteret: vt confeſtim aduerteretur non eſſe otioſum, quod tam inſolitum videbatur:* Non fuiſſe autem maius lumine ſolis, ſed illi æquale: quia lumen ſolis eſt intentiſſimum lumen, quod naturaliter corpori ſiue miſto, ſiue ſimplici conuenire poſſit.

§. 25. QVOD ſi S. Ignatius in epiſt. 11. ad Epheſios circa finem dicat lumen huius ſtellæ fuiſſe ineffabile, & ſplendore ſuperauiſſe ſolem & lunam: intelligẽdus eſt de ſplendore non intenſiuo, ſed extenſiuo: lucebat enim hoc meteorum, & diu, & noctu: nec impediebatur à lumine ſolis, etiam in pleno meridie, ſicut omnia alia lumina impediri docet experientia. Et quamuis Deus per abſolutam potentiam poſſit lumen infinitè intenſum producere: non fuit tamen neceſſarium, vt hoc Meteorum tam pulchrum, tam lucidum intenſiuè ſplendidius produceretur: nam vt ſuam lucem ſupra lucem ſolis ad terram extenderet, non miraculum opus erat: ſed ſola loci propinquitas & materiæ denſitas ſufficiebat. S. Ignat.

SECTIO V.

DE TEMPORE, QVO FACTA eſt Incarnatio.

Non quæro annum, nec menſem, aut diem, quo Incarnatio Verbi Diuini facta fuit: ſed tempus, quo dominabantur Principes, ſub quibus Verbum Diuinum caro factum cepit inter homines apparere: de quo tres inſtituendæ ſunt controuerſiæ.

1. Sub quibus Principibus facta ſit Incarnatio.
2. Quomodo probetur contra Iudæos Incarnationem eſſe factam ſub Herode.
3. Quomodo probetur contra Gentiles Incarnationem eſſe factam ſub Auguſto.

CONTROVERSIA I.

Sub quibus Principibus facta ſit Incarnatio.

Martyrol. Rom.

NOTANDVM eſt ex Martyrologio Romano Ieſum Nazarenum æternum Deum, æternique Patris Filium de Spiritu Sancto ex Maria Virgine factum fuiſſe Olympiade 194. & §. 1

ab

ab vrbe condita anno 752. quo tempore Herodes in Iudæa: & Octauius Auguſtus in toto terrarum orbe dominabantur. Vnde.

§. 2 DICO Regnante in Iudæa Herode, & imperante in vniuerſo terrarum orbe Auguſto Meſſiam natum fuiſſe; & conſequenter Incarnationem fuiſſe factam. Probatur ex ſcriptura: primum de Herode: Matth. cap. 2. *Cum natus eſſet Ieſus in Bethleem Iuda in diebus Herodis Regis.* Deinde de Auguſto Luc. cap. 2. *Exÿt edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis* &c. *& factum eſt cum eſſent ibi impleti ſunt dies Mariæ, vt pareret, & peperit filium ſuum primogenitum, & pannis inuoluit eum, & reclinauit eum in præſepio.* Hoc Argumentum ab authoritate petitum habet magnam vim apud Chriſtianos, ſed non apud Iudæos, & Gentiles. Contra quos probandum eſt Incarnationem fuiſſe factam ſub illis duobus Principibus.

Matth. 2.

Luc 2.

CONTROVERSIA II.

Quomodo probetur contra Iudæos Incarnationem factam fuiſſe ſub Herode.

§. 1 NOTANDVM eſt ex Thoma Beauxamis tom. 1. Harm. Euang. in cap. 2. Matthei, dum explicat illa verba: *Cum natus eſſet Ieſus in Bethleem Iuda in diebus Herodis Regis*: tres fuiſſe Herodes: Primus dicebatur Aſcalonita natione Idumæus, qui Magos venientes ſtella duce ad incunabula Chriſti allocutus eſt: à quibus illuſus Innocentes occidendos curauit Matth. cap. 2. Secundus fuit huius filius cognominatus Antipas, qui occidit

Thom. Beauxam.

Matth. 2.
Marc 6.

Ioannem Baptiſtam Marc. cap. 6. & Chriſtum in
Luc. 23. paſſione illuſit Luc. cap. 23. Tertius fuit Herodes Agrippa, qui Iacobum decollauit: & Petrum carceri mancipauit. Act. cap. 12.
Actor. 12.

Dico bene probari contra Iudæos Incarnationem Verbi fuiſſe factam regnante in Iudæa Herode Aſcalonita, idque ex Prophetijs, quæ reperiuntur in veteri teſtamento: è varijs ego duas ſelegi explicandas.

Gen. 49. Prima eſt Geneſ. cap. 49. *Non auferetur ſceptrum de Iuda, neque Dux de femore eius, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio Gentiũ.* ideſt Regia poteſtas, & Iudiciaria Dignitas aut omnimoda prærogatiua non auferetur à Tribu Iuda: ab eo ſcilicet tempore, quo ſemel inceperit in Dauide, qui fuit primus Rex de Tribu Iuda, antequam regnauit Saül, & ante Saülem multi fuerunt Iudices, qui principalem regendi, & iudicandi habebant poteſtatem, fueruntque de alijs Tribubus electi: donec veniat Meſſias, qui erit expectatio Gentium: tempore autem, quo Chriſtus natus eſt impleta fuit hæc Prophetia Iacob, & finitum ſceptrum Regni Iuda: quia poſt mortem Hyrcani vltimi naturalis Iudæorum Regis ſtatim Herodes Aſcalonita alienigena, puta ex Patre Idumæo, & Matre Arabica ortus teſte Ioſeph. Ioſepho lib. 14. Antiq. cap. 16. Regnum ſuſcepit: & triginta annis ſuperbè, & tyrannicè contra Iudæorum voluntatem imperauit: qui iam tam dura ſeruitute defeſſi, vltro in Regem acceperunt: eique fidem, & obedientiam promiſerunt. Anno igitur 32. Regni Herodis, & eius legitimi Principatus anno primo Chriſtus natus eſt. Chronologi tamen in
Euſeb. hac annorum cõputatione non conueniunt. Euſeb. §. 2

in chronic. Cyrill. Ieroſol. catech. 12. Epiphan. hæreſ. 55. & 58. Card. Baron. in apparatu. Sed omnes conueniunt in hoc quod Chriſtus natus ſit regnante in Iudæa Herode. Cyrill. Hieroſol. Epiphan. Cæſar Baronius.

§. 3 SECVNDA Prophetia eſt Daniel. cap. 9. *Animaduerte ſermonem, & intellige viſionem: Septuaginta hebdomadæ abbreuiatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper vrbem ſanctam tuam: vt conſummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iuſtitia ſempiterna, & impleatur viſio, & Prophetia, & vngatur ſanctus ſanctorum. Scito ergo, & animaduerte: ab exitu ſermonis, vt iterum ædificetur Ieruſalem vſque ad Chriſtum Ducem hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ erunt: & rurſum ædificabitur platea & muri in anguſtia temporum: & poſt hebdomadas ſexaginta duas occidetur Chriſtus: & non erit eius populus, qui eum negaturus eſt: & Ciuitatem, & Sanctuarium diſſipabit populus cum duce venturo: & finis eius vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada vna: & in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia, & ſacrificium, & erit in templo abominatio deſolationis, & vſque ad conſummationem, & finem perſeuerabit deſolatio.* Daniel 9.

§. 4 Hæc Prophetia eſt difficillima: ad cuius intelligentiam obſeruanda ſunt octo PRIMVM Angelus Gabriel reuelat Danieli futurum, vt intra ſeptuaginta hebdomadas veniret Chriſtus Meſſias, qui poſt ſexaginta duas hebdomadas occideretur: poſt cuius internecionem Ciuitas Hieruſalem, & templum vaſtaretur duraretque deſolatio vſque ad finem mundi. SECVNDVM has hebdomadas eſſe non dierum aut menſium, ſed annorum, non lunarium ſed ſolarium. TERTIVM has hebdomadas dici abbreuiatas, non quod aliqua ablàta ſit ab illo

numero, aut aliqui dies: ſed quia illud tempus erat breuiſſimum ſpatium intra quod Chriſtus venire debebat: vox enim hebræa ſonat, illas hebdomadas fuiſſe præciſas, ſeu ad certum tempus definitas: ad differentiam aliarum Prophetiarum quę de Meſſiæ aduentu indeterminatè prædicebantur. Qvartvm fuiſſe completas circa tempora Herodis, & Augusti: vt mox patebit. Qvintvm eſſe inchoandas non à die reuelationis Angeli, ſed ab exitu ſermonis, vt iterum ædificetur Ieruſalem: ideſt poſt edictum de reædificatione vrbis Ieruſalem: quod edictum factum fuit ab Artaxerce Longimano anno vigeſimo eius Regni, vt patet ex lib. 2. Eſdræ cap. 2. Quandò Artaxerces precibus Neemiæ, quem valde diligebat permiſit Iudæis, vt redirent in patriam, & reædificarent Ciuitatem, qui rurſum vt ait Angelus Gabriel, in hoc loco, ædificarunt plateam, & muros in anguſtia temporum, ideſt in magna temporis breuitate, vel certè in ingenti afflictione: qui enim opus faciebant cogebantur eſſe in armis: & vna manu ædificare, altera pugnare: totumque opus mira celeritate, nimirum quinquaginta diebus fuit abſolutum, anno trigeſimo ſecundo Artaxercis, qui annus dicitur ab Angelo exitus ſermonis, quia tunc edictum illud habuit exitum, quando opus fuit completum, vt colligitur ex lib. 2. Eſdr. cap. 13. Sextvm illæ ſeptuaginta hebdomadæ ſic colliguntur. Ab anno 32. Artaxercis, vſque ad Alexandrum fluxerunt centum tres anni: Alexander vero regnauit ſex aut nouem annis: à quo vſque ad Hircanum non quidem vltimum Regem Iudæorum, ſed filium Simonis fuerunt centum ſeptuaginta ſeptem anni: deniq; ab Hircano vſque

§. 5

2. Eſdr. 2.

2. Eſdr. 13.

§. 6

ad annum quartum Olympiadis ducenteſimæ ſecundæ in qua Chriſtus paſſus eſt fuerunt centum ſexaginta anni: qui omnes efficiunt quadringentos quadraginta annos, ex quibus ſexaginta tres hebdomadæ efficiuntur: & ſi demas triginta tres annos, & aliquot menſes, quibus Chriſtus vixit in hoc mundo: inuenies eius natiuitatem contigiſſe olympiadis centeſimæ nonageſimæ quartæ anno quarto, qui fuit annus quadrageſimus ſecundus Imperij Auguſti: & trigeſimus ſecundus Regni Herodis.
§. 7 SEPTIMVM tranſactis alijs ſex hebdomadis poſt mortem Chriſti, ideſt poſt quadraginta duos annos: populus, ideſt exercitus, cum duce venturo: ideſt Titus, & Veſpaſianus diſſipauit ciuitatem & ſanctuarium: ideſt funditus euertit Ieruſalem, & templum: ſicque initio ſeptuageſimæ hebdomadæ completa fuit tota Prophetia Danielis. Vnde OCTAVVM obſeruandum eſt deſolationem illam adhuc durare, & duraturam vſque ad finem mundi.

CONTROVERSIA III.

Quomodo probetur contra Gentiles Incarnationem fuiſſe facta ſub Auguſto.

§. 1 NOTANDVM eſt ex Plutarcho in Auguſto: poſtquam Ægyptus à Cæſare ſubiugata fuit, & in Romanorum poteſtatem redacta Octauium, Antonium, & Lepidum antea hoſtes capitaliſſimos, poſt diuerſa bella inter ſe geſta ex odio in amicitiam conueniſſe, & in perniciem multorum cum magna Reip. Romanæ Plutarch.

calamitate coniunctam Triumuiratum inſtituiſſe: qui opreſſa iam Republica Romana, vt tyrannidem honeſto aliquo velarent nomine, Triumuiros Reipublicę conſtituendæ cauſa ſe nominari voluerunt.

Dico bene probari contra Gentiles Incarnationem Verbi Diuini fuiſſe factam imperante in vniuerſo terrarum orbe Auguſto, idque ex Sibyllinis oraculis, & ex prodigijs quæ contigerunt tempore Auguſti, circa Chriſti natiuitatem. §. 2

Probatur ergo Primo ex Sibyllinis oraculis: §. 3
Sibyll. quia Sibylla prædixit fore, vt poſt redactam Ægyptum in Romanorum poteſtatem: & poſt ſolutum Triumuiratum: imperante vno Auguſto Chriſtus totius mundi Rex inter homines appareret: cuius Regnum duraturum eſſet in omnem æternitatem: quod bene conſonat verbis Archangeli ad B. Virginem apud Diuum Lucam cap. 1. ſui Euangelij: *Et regnabit in domo Iacob in æternum, & Regni eius non erit finis.* Extat autem hoc Sibyllæ oraculorum in lib. 2. orac. vbi ita vaticinata ait:

Αὐτὰρ ἐπεὶ Ῥώμη καὶ Αἰγύπτου βασιλεύσει
Εἰς ἓν ἰθύνουσα τότε δὴ βασιλεία μεγίστη
Ἀθανάτου βασιλῆος ἐπ᾽ ἀνθρώποισι φανεῖται
Ἥξει δ᾽ ἁγνὸς ἄναξ πάσης γῆς σκῆπτρα κρατήσων
Εἰς αἰῶνας πάντας ἐπιγομένοιο χρόνοιο
Καὶ τότε Λατίνων ἀπαραίτητος χόλος ἀνδρῶν
Τρεῖς Ῥώμην οἰκτρῇ μοίρῃ καταδηλήσονται.

id eſt.

Sed poſtquam Roma & Aegypto imperabit
In vnum concitata, tunc Regnum Maximum
Immortalis Regis in hominibus apparebit
Veniet intaminatus Rex totius terræ ſceptra obtinens
In ſæcula omnia feſtinantis temporis:

Et tunc Latinorum inexorabilis cholera virorum
Tres Romam miſeranda ſorte demonſtrabunt.

§.4 Probatur SECVNDO ex Prodigijs,quæ contigerunt tempore Auguſti circa Chriſti natiuitatem.

PRIMVM eſt:Suetonius in Auguſto cap. 95. Seneca lib. 1.nat. quæſt. cap. 2. Plin. lib. 2. cap. 28. narrant Auguſto ingrediente Romam cum aër ſerenus eſſet circulum Iridi ſimilem corpus ſolis ambijſſe. Paulus Oroſius lib. 6. cap. 18. refert hoc prodigium ad natiuitatem Chriſti : non quod ipſo die natiuitatis viſum ſit (nam Chriſtus natus eſt annò quadrageſimo ſecundo Imperij Auguſti,iuxta Martyrologium Romanum : hic autem circulus apparuit, vt ait Plinius in prima Auguſti iuuenta: & vt clarè docent Suetonius, & Seneca redeunte Auguſto ex Apollonia: quod contigit paulò poſt necem Iulij Cæſaris idest in principio Imperij Auguſti.) Sed quia regnante Auguſto natiuitatem Chriſti futuram præmonſtrauit. Hæc ſunt Oroſij verba:Cum primum Caio Cæſare Auunculo ſuo interfecto ex Apollonia rediens Auguſtus vrbem ingrederetur hora circiter tertia repentè cœlo ſereno circulus ad ſpeciem cœleſtis arcus orbem ſolis ambijt, quaſi vnum eum Auguſtum , ac potentiſſimum in hoc mundo Solemque clariſſimum in orbe monſtraret, cuius tempore venturus eſſet , qui ipſum ſolem, mundumque totum feciſſet, & regnaret.

Sueton. Senec. Plin. Oroſius. Martyr. Rom.

§.5 SECVNDVM Prodigium eſt primo ſimile: Sanctus Antoninus in 1. part. hiſt. titul. 4. cap. 6. §. 10. narrat cum Romani vellent Auguſtum pro Deo venerari conuocato in Capitolium Concilio euocatam fuiſſe Sibyllam,vt per oracula reſponderet. An alius major Auguſto naſciturus eſſet: tunc circa

S. Antonin.

ſolem in meridie exiſtentem circulus aureus apparuit, in cuius medio Virgo erat puerum geſtans in gremio, quem Sibylla oſtendit Auguſto dicens: Hic puer major te eſt: ipſum adora. Auditaque eſt huiuſmodi vox: HÆC EST ARA CÆLI.

Bapt. Mantuan. Hoc Prodigium poeticè explicat Baptiſta Mantuanus lib. 3. Parthenic. Marian.

Hæc Supple Sibylla *cum diuinos cultus, & Templa pararent*
Auguſto cum plebe patres, cita Tyburis arcem
Liquit, & ingentes veniens ad Cæſaris aulas,
Fulgentem nitido monſtrauit in æthere circum,
Irideque incluſam parua cum prole parentem,
Atque manum tendens vultuque ad ſydera verſo,
Ille puer Deus eſt, inquit, Tu deſine Cæſar
Velle coli, pueroque aras ac templa relinque:
Ille regit cælos, atque immortalis Olympi
Poſſidet imperium, & fatalia temperet aſtra.

Illo die qui fuit Natalicius Chriſti Domini Auguſtus vt refert Genebrardus lib. 3. chronog. paulo poſt initium, mandauit ne quis Dominum ſe vocaret: quia cognouerat verum Orbis Principem eſſe natum. Dominus enim eſt cognomen Dei. Verum illa mulier Prophetiſſa, quæ à S. Antonino dicitur Sibylla non potuit eſſe vna ex illis decem quæ celebrantur à Lactantio, à S. Auguſtino, Varrone, & alijs: quamuis Mantuanus eam vocet Tyburtinam: quia Cumana, quæ vltima fuiſſe perhibetur, vixit tempore Tarquinij Regis Olympiade quinquageſima ex Solino Polihiſt. cap. 8. Chriſtus autem natus eſt ſub Auguſto Olympiade centeſima nonageſima quarta, vt habetur in Chronico Euſebij. Nomine ergo Sibyllæ intelligitur mulier quædam fatidica,

Gilb. Genebrard.

§. 6

Solinus.

ca,quæ tempore Auguſti manſit Tyburi: qualis fuit Athenis Diotima tempore Socratis : & Troiæ Caſſandra filia Priami, vt docent Conimbricenſes in libros Meteororum tract. 1. cap. 3. Conimbricenſ.

§. 7 TERTIVM Prodigium refertur à S. Thoma in 3. part. quæſt. 36. art. 3. ad 3. de fonte olei, qui Romæ in Taberna meritoria, vbi nunc eſt Eccleſia S. Mariæ trans Tyberim toto die ſine intermiſſione fluxit vſque ad ipſum Tyberim. Multi exiſtimant hoc Prodigium accidiſſe eadem nocte,qua Chriſtus natus eſt : tamen Oroſius lib. 6. cap. 19. ait accidiſſe anno tertio Triumuiratus ſcilicet annis viginti ſeptem antequam Chriſtus naſceretur : licet illud referat ad Chriſti Natiuitatem præſignificandam : prænunciabat enim,vt ait Ado Viennenſ. in Chronic. ætat. 6.& Chriſtũ,qui vnctus dicitur tempore Auguſti naſciturum : & Chriſtianos, qui vncti etiam dicuntur ex Eccleſia, tanquam ex Taberna meritoria orituri erant. S. Thom. Paul. Oroſ. Ado Vienn.

QVARTVM Prodigium refertur etiam à S. Thoma loco paulo ante citato de tribus ſolibus,qui in Hiſpania apparuerunt,& in vnum paulatim coïuerunt. Huiuſmodi autem ſoles vocantur à Philoſophis Parelia : fiunt autem quando ex latere Solis orientis, vel occidentis occurrit nubes ex qua parte reſpicit ſolem aquea & diaphana , ex altera vero parte opaca inſtar ſpeculi, à quo imagines reflectuntur : tunc in huiuſmodi nube imprimitur ſolis imago, eo modo quo in ſpeculo nobis oppoſito imago noſtra imprimitur,quæ ad oculos noſtros reflexa ſolem nobis repreſentat in ipſa nube : ſicque plures ſoles aſpicere videmur : vnum in proprio orbe exiſtentem , alterum in nube repreſentatũ. Quod ſi ex S. Thom.
§. 8

latere iſti nubi opponatur altera nubes debito modo diſpoſita, quæ etiam recipiat imaginem ſolis, & ad oculos noſtros reflectat: tunc nobis ſimul tres ſoles apparebunt: vnus in proprio orbe duo autem in illis duabus nubibus tanquam ex duobus ſpeculis

Plin. erumpentes. Plinius lib. 2. cap. 31. refert ſæpe tres ſoles viſos fuiſſe tempore Triumuiratus: ſcilicet Sp. Poſthumio, & Quinto Mutio: Quinto Martio, & Marco Portio: M. Antonio, & P. Dolabella: M. Lepido, & Lucio Planco Coss. non dicit tamen in

Petrus de Natalibus. Sebaſt. Barradas. vnum coiuiſſe. Quo prodigio (prout ex Petro de Natalibus refert Sebaſtian. Barradas tom. 1. lib. 8. cap. 14. ſignificabatur: in diebus Auguſti naſciturum Chriſtum ſolem iuſtitiæ, qui myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis hominibus prædicare debebat.

QVINTVM Prodigium eſt Pax generalis in toto terrarum orbe, ſub vno Principe Auguſto facta: quod Prodigium prædictum fuerat à Regio Pro- §. 9

Pſal. 45. pheta Dauide in Pſal. 45. *Venite, & videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram, auferens bella vſque ad finem terræ: Arcum conteret, & confringet arma, & ſcuta comburet igni.* Quod adimpletum fuit, quando in vtero B. Virginis Verbum caro factum eſt. Nam tunc facta generali pace in toto terrarum orbe Iani Templum quod bis tantùm ab Vrbe condita fuerat clauſum (claudebatur enim tempore pacis: aperiebatur vero tempore belli) Auguſtus Impe-

Sueton. rator ter clauſit, vt refert Suetonius in Auguſto cap. 22. Primo poſt victoriam Actiacam: Deinde poſt victoriam Cantabricam: denique temporè Natiuitatis Chriſti. Tunc ergo clauſit Auguſtus tertiò templum Iani quia ſcilicet naſcebatur Princeps pa-

Iſai. 9. cis. Iſai. cap. 9. Vnde Baptiſta Mantuanus lib. 12.

Faſtor. ſuum de Natiuitate Chriſti carmen ſic exorſus eſt.

Fortunata dies vigeſima quinta Decembris,
Tot titulis ſplendens, tantis ornata tropheis
Tota ſub Auguſto, gemini quem limina Iani
Ter clauſiſſe ferunt, tellus pacata ſilebat,
Sæuaque depoſitis Bellona quieuerat armis,
Cum bona tam felix pepererunt ſydera tempus.

§. 10. SEXTVM Prodigium eſt ceſſatio Oraculorum, de qua Plutarchus ſcripſit opuſculum: Sed cauſam veram aut neſciuit, aut tacuit. Vera cauſa eſt: quia *venit Chriſtus, vt diſſoluat opera Diaboli* 1. Ioan. cap. 3. quam cauſam dedit Apollo Delphicus Auguſto quærenti quis ſibi in Imperio ſucceſſurus eſſet. Nam prima fronte obmutuit Oraculum, & ad multum temporis ſpatium conticuit: Quamobrem Auguſtus tantum ſilentium miratus obtulit Hecatomben, ideſt Sacrificium centum victimarum: Sed cum nullum adhuc reſponſum ederetur alterum adiecit Sacrificium: quo oblato reſpondit Apollo, & totam ſui ſilentij cauſam fuiſſe Chriſti Natiuitatem confeſſus eſt. Nam vt ſcribit Suidas verb. Αὔγουστος & refert Nicephorus lib. 1. hiſt. Eccleſ. cap. 17. ego etiam attigi ſupra ſect. 3. contr. 3. §. 18. Auguſto ſciſcitanti ab Oraculo Apollinis quis ſibi in Imperio ſuccederet: reſpondit Puerũ Hebræum natum eſſe, qui cum ſit Deorum Deus ora Dæmonum oracula edentium obturauerat: monuitq; Auguſtũ, vt ex illo loco recederet, nec ampliùs ad ſuas aras rediret. Quo audito Auguſtus Romam reuerſus eſt, & in capitolio maximam erexit aram, quam Deo Primogenito dedicauit cũ huiuſmodi inſcriptione. ARA PRIMOGENITI DEI.

Plutarch.

Suidas.

Niceph.

SECTIO VI.

DE VTILITATE Incarnationis.

Triplex attendi poteſt vtilitas Incarnationis : vna reſpectu vniuerſi : altera reſpectu naturæ humanæ : tertia reſpectu generis humani : Deus enim verè pius, verè miſericors, cum Dominus vniuerſorum ſit, homines potiùs, quam Angelos lapſos dignatus eſt redimere, non per aſſumptionem naturæ Angelicæ, ſed per admirabilem Verbi ſui Incarnationem. De quibus omnibus fient quinque controuerſiæ.

1. An Incarnatio fuerit vtilis ad complementum vniuerſi totius.
2. An Incarnatio fuerit vtilis ad perfectionem naturæ humanæ.
3. An Incarnatio fuerit vtilis ad redemptionem generis humani.
4. Quare Deus voluerit redimere hominem potiùs per Incarnationem, quam per aſſumptionem naturæ Angelicæ.
5. Quare Deus redemerit hominem potiùs, quam Angelum.

CONTROVERSIA I.

An Incarnatio fuerit vtilis ad complementum Vniuerſi.

§. 1 NOTANDVM PRIMO dupliciter aliquid poſſe dici perfectum: Primo abſolutè: quia excludit omnem imperfectionem; & includit omnem omnino perfectionem: quo modo ſolus Deus eſt perfectus. Secundo ſecundum quid, quod ſcilicet habet omnem perfectionem naturæ ſuæ debitam: vt homo dicitur perfectus, cui nihil deeſt perfectionis naturæ humanæ: ſiue illa perfectio neceſſaria ſit ad rei conſtitutionem: ſiue tantùm debita ad maiorem integritatem: & hoc modo Vniuerſum dicitur eſſe perfectum.

§. 2 NOTANDVM SECVNDO Vniuerſum non poſſe fieri perfectius tripliciter Primò ex modo operandi, qui ſe tenet ex parte operantis: quia Deus non poteſt operari majori bonitate, potentia, aut ſapientia, cum hæc ſint ipſa Dei eſſentia. SECVNDO additione noui alicuius gradus primarij generici: quia omnes, qui ſunt, & eſſe poſſunt reperiuntur in Vniuerſo: ſcilicet Subſtantia, Accidens, & ſic de alijs Categorijs: cauſa, cauſatum: corporeum, incorporeum: & ex vtroque compoſitum: animatum, inanimatum: neceſſarium, contingens: ſimplex, miſtum: & quadruplex ille gradus eſſendi, ſcilicet eſſe, viuere, ſentire, intelligere. TERTIO ex parte eſſentialis perfectionis ſpecierum & eorum, quæ

talem eſſentiam, tanquam proprietates conſequuntur, vt ſitus, & locus elementorum : quia ex Ariſtotele lib. 8. metaph. text. 10. eſſentiæ ſpecierum conſiſtunt in indiuiſibili, nec augeri aut minui poſſunt. Non enim poteſt terra non ſubeſſe omnibus elementis: nec ignis omnibus ſupereminere.

Ariſtot.

NOTANDVM TERTIO Vniuerſum poſſe fieri à Deo perfectius tripliciter: PRIMO ratione partium ex quibus componitur quoad Indiuiduorum multiplicationem: Nam poſſent plures orbes cœleſtes, & plura aſtra fieri: imo tempore Pij V. Pontificis Maximi peritiores Aſtrologi ſtellam nouam fatentur exortam, & poſtea extinctam. Plures etiam ſpecies cœlorum, & animalium produci poſſent: imo vi naturali nouas animalium ſpecies oriri teſtatur Ariſtoteles lib. 8. de hiſtor. anim. cap. 28. vbi refert commune illud prouerbium Semper aliquid noui affert Affrica: quia nimirum Serpentes diuerſarum ſpecierum coeunt inter ſe & nouas ſpecies efficiunt: quo modo etiam quotidie naſcuntur Muli: ſine quibus aliquando fuit vniuerſũ. SECVNDO ratione proportionis partium: quia ſi corpora ſimplicia fierent majora & illuſtriora proportio eorum redderetur amplior & quodãmodo perfectior: & ſi producerentur nouæ ſpecies, nouus etiam ordo, proportio, ornatuſque perfectior, redundaret: ſicut exercitus nobilium dicitur illuſtrior, & perfectior exercitu Ruſticorum. TERTIO ratione finis: quia vniuerſum perfectiùs ſuum finẽ Deum attingeret, ideſt meliùs repreſentaret Deum, eiuſque ſummam teſtaretur perfectionem: igitur §. 3

Ariſtot.

DICO myſterium Incarnationis fuiſſe vtile ad perfectionem, & quaſi complementum Vniuerſi. §. 4

Probatur PRIMO quia ad omnimodam vniuerſi perfectionem facit, & ſpectat, vt conſtet ex omnibus rerum gradibus, vt dixi in notand. 2. ſicque euadat Deo ſimillimum: ergo cum in diuinis eadem natura in pluribus perſonis, & in humanis vna natura in vna perſona reperiatur congruum & admodum vtile fuit, vt plures naturæ in vna perſona inuenirentur: ſicut contingit in myſterio Incarnationis.

§. 5 Probatur SECVNDO Congruum & admodum vtile fuit ad pulchritudinem, & complementum vniuerſi, vt aliquis homo generaretur ex Matre ſine Patre: Nam ex S. Leone quem citat Suar. tom. 1. in 3. part. diſp. 3. ſect. 3. quatuor modis fieri poteſt Generatio hominis. PRIMO ſine patre & ſine matre, quod factum eſt in generatione Adami Gen. cap. 1. SECVNDO ex viro ſine muliere, quod factum eſt quando Eua ex coſta Adami educta eſt virtute Diuina Geneſ. cap. 2. TERTIO ex viro, & muliere, qui modus communis eſt: & primus omnium ita generatus fuit Caïn. Geneſ. cap. 3. S. Leo. Geneſ. 2. Geneſ. 3.

QVARTO ex muliere ſine viro: & iſte quartus modus deerat, & nunquã fuerat in vniuerſo: quod adimpletum eſt in generatione Meſſiæ Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ex Virgine Maria ſine ope viri natus eſt. Ergo Incarnatio Verbi Diuini nouum gradum, nouum ordinem, nouam perfectionem attulit mundo: ergo valde fuit vtilis Vniuerſo.

§. 6 Probatur TERTIO quia in homine cætera omnia velut in compendio continentur ideoque Μικρόκοσμος ideſt paruus mundus, ſeu abbreuiatus mundus appellatur: & nomine omnis creaturæ exprimitur Marc. cap. vltim. *Prædicate Euangelium omni*

Io.Damaſc. *creaturæ* vt obſeruarunt S. Ioan. Damaſcenus lib. 2.
S. Ireneus. de fide orth. cap. 12. S. Ireneus lib. 3. cap. 18. S.
S. Greg. Gregorius hom. 29. & nomine mundi Ioan. cap. 1.
Ioan. 1. *Ecce qui tollit peccata mundi.* Ioan. cap. 3. *Sic Deus di-*
Matth. 5. *lexit mundum.* Matth. cap. 5. *Vos eſtis lux mundi:* quia
S. Greg. vt explicat S. Gregorius: homo habet eſſe commune cum lapidibus: viuere cum plantis: ſentire cum brutis: & intelligere cum Angelis: Ergo Deus aſſumendo, ſicque perficiendo naturam humanam videtur totum orbem in hoc homine compendioſè comprehenſum ſibi peculiariter vniuiſſe, nouamque & ſpecialem perfectionem, ac nobilitatem ei contuliſſe: vt explicat S. Ioan. Damaſcenus ſub finem Orationis de Transfiguratione Domini. Con- §. 7
firmatur hæc tertia ratio PRIMO quia idcirco omnes Creaturæ, vtpote ſummatim in homine exiſtentes ad hoc myſterium perficiendum inui-
Iſai. 45. tantur: Iſai. cap. 45. *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Confirmatur SECVNDO quia ideo Incarnatio à §. 8
Iuſtino Martyre in expoſitione fidei: Gregorius
S. Greg. Nazian. Nazian. circa initium orationis 42. S. Ioan. Damaſ-
S. Ioan. Damaſc. cenus lib. 3. de fide orth. cap. 1. & 2. vocatur œconomia ideſt generalis diſpenſatio, ſeu adminiſtratio domus, quia videlicet per Incarnationem cunctis mundanæ familiæ rebus prouidetur dum hoc homine mediante illa cedit in dignitatem, & vtilitatem totius mundi.

Epheſ. 1. Confirmatur TERTIO ex cap. 1. Epheſ. vbi dicitur Deus Ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα τῷ χριςῷ: ideſt inſtaurare, ſeu vt vertit S. Hieronymus recapitulare omnia in Chriſto: ideſt omnia ſummatim colligere: ſicque collecta ſibi coniungere ac perficere.

Confir-

Digitized by Google

§. 10. Confirmatur QVARTO quia per Incarnationem homines quatuor mundi plagas inhabitantes venire debebant in cognitionem Euangelij: quod reualatum fuit S. Petro in actib. Apoſtol. cap. 10. quando *vidit cælum apertum, & deſcendens vas quoddam velut lintheum magnum, quatuor initijs ſubmitti de cælo in terram: in quo erant omnia quadrupedia, & ſerpentia terræ, & volatilia cæli.* Act. 10.

Quæ verba S. Cyrillus Conſtantinopolitanus in ſua epiſtola ad Abbatem Ioachim aptè, congruenterque ad rem propoſitam ſic explicat. *Quatuor Euangeliſtarum vna, & eadem eſt fides, & doctrina, quæ de cælo per Dominum Chriſtum ſubmiſſa eſt in terram, ſcribentibus eam Euangeliſtis. In hoc vaſe viſa ſunt omnia quadrupedia, & ſerpentia terræ, & volatilia cæli. Homo enim cum in honore eſſet, non intellexit; ideo comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Quadrupedia itaque terræ ſunt homines terrenis hærentes; & ſerpentes ſunt homines virulenti, & doloſi: ſed volatilia ſunt homines ſuperbi. Omnia enim hominum peccatorum genera admittuntur ad obſeruantiam Euangelij; ſicut Dominus ait: Prædicate Euangelium omni creaturæ.* S. Cyrill. Conſtantinopolit.

CONTROVERSIA II.

An Incarnatio fuerit vtilis ad perfectionem naturæ humanæ.

DICO Incarnationem fuiſſe admodum vtilem naturæ humanæ, vergentem in magnam eius commoditatē ac perfectionem. §. 1

Probatur PRIMO quia Deus prædeſtinauit hoc
1. cor. 2. myſterium ad gloriam noſtram 1. Cor. cap. 2. & per illud ita euecta eſt natura humana, vt quo altius attollatur non habeat ex S. Auguſtin. lib. de prædeſt. ſanctor. cap. 14. & 15. Siquidem per Incarnationem contigit, vt homo ſit excellentior Angelis, ſit capax infiniti meriti, & perfectæ iuſtitiæ coram Deo, pluriumque aliarum perfectionum, quæ nulli puræ creaturæ conuenire poſſunt, vnoque verbo, vt ſit verus Deus.

Probatur SECVNDO quia plena, & integra §. 2
Beatitudo conſiſtit in cognitione Dei, & Chriſti.
Ioan. 17. Ioan. cap. 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Homo autem per Incarnationem obtinuit, vt oculo animæ videret Diuinitatem, & oculo corporis humanitatem: vt fuſè perſequitur S. Cyprianus lib. de Cardinalib. Chriſti operib. cap. de Natiuit. Chriſti. S.
S. Cypr.
S. Aug. Auguſtin. lib. de ſpirit. & liter. cap. 4. & in Enchir. cap. 25.

Probatur TERTIO quia cum amor, & exhibitio amoris, & ſimilitudo vehementer inducant ad §. 3
amandum: Deus vero in Incarnatione homines

amauerit. Ioan. cap. 13. *Cum dilexiſſet ſuos, in finem* Ioan. 13.
dilexit eos: tum amorem eis oſtendit. Ioan. cap. 3.
Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum da-
ret: ſimiliſque hominibus euaſerit. ad Philip. cap. 2. Philip. 2.
In ſimilitudinem hominum factus & habitu inuentus vt
homo: ſine dubio per hoc myſterium excitauit Deus
homines ad majorem ſui amorem: ideoque Luc.
cap. 12. dicebat Chriſtus: *Ignem veni mittere in ter-*
ram; & quid volo, niſi vt accendatur.

§. 4 Probatur QVARTO quia per hoc myſterium
Chriſtus 1. cor. cap. 1. factus eſt nobis Sapientia, 1. cor. 1.
Iuſtitia, & Sanctificatio: ideſt effectiuè, & merito-
riè: non formaliter. Sapientia quidem, illuminans
omnem hominem Ioan. cap. 1. & teſtimonium per-
hibens veritati Ioannis cap. 18. ideſt veram Beati- Ioan. 18.
tudinem, & optimam illius obtinendæ viam docens.
Iuſtitia vero oſtendens promiſſam eſſe paratamque
mercedem iuſtis, & pœnam iniuſtis. Denique San-
ctificatio, quatenus eſt fons totius Sanctitatis, &
gratiæ, *de cuius plenitudine accepimus* Ioan. cap. 1. & Ioan. 1.
ſubdit rationem, ibidem. *Quia lex per Moyſem data*
eſt: gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Venit
enim Chriſtus, vt vitam (ſupple) ſpiritualem ha-
beamus Ioan. cap. 8. *& in Chriſto benedixit nos Deus* Ioan. 8.
benedictione ſpirituali in cœleſtibus ad Epheſ. cap. 1.

§. 5 Probatur QVINTO quia per Incarnationem
homines in genere gratiæ habuerunt caput homo-
geneum, quod fuit eis valdè vtile vt innuit Apoſto-
lus Coloſſ. cap. 1. Epheſ. cap. 4. & S. Auguſtinus Coloſſ. 1.
tract. 8. in Ioan. Cumque eadem Eccleſia ex ho- Epheſ. 4. S. Aug.
minibus, & Angelis conſtituatur, debuit eorum eſſe 1. cor. 12.
idem caput 1. cor. cap. 12. quod tamen potiùs eſſet
homo, quam Angelus: tum vt clariùs innoteſceret

gratia, non natura hominem eſſe Angelo ſuperiorem: tum vt major excellentia naturæ Angelicæ ſupra humanam compenſaretur in aliquo homine per dignitatem perſonalem.

Probatur SEXTO quia per Incarnationem Eccleſia habuit Summum Sacerdotem qui obtulit Sacrificium, cruentum in cruce, & incruentum in vltima cœna, vtroque modo honoratiuum, impetratorium, expiatorium culpę, ſatisfactorium pœnæ. §. 6
Habuit etiam Eccleſia per Incarnationem Septem Sacramenta, ex quibus gratiæ, quæ ſunt ſemina vitæ æternæ tanquam ex ſeptem canalibus de fontibus Saluatoris cum ſummo gaudio hauriuntur: ſicut
Iſai. 12. cecinit Iſaias cap. 12. in ſuo Cantico, quo inuitat omnes Redemptos ad gratiarum actionem pro gratijs à Deo per Incarnationem acceptis. Iſaias enim in illo carmine alludit ad petram, quam Moyſes
Exod. 17. virga percuſſit Exod. cap. 17. quæque conuerſa eſt
Pſal. 113. in fontes aquarum Pſal. 113. quibus populus ſitibundus cum ſummo gaudio hauſtis bibit. Hæc au- §. 7
1. cor. 10. tem petra erat figura Chriſti, gratiæ authoris 1. cor. cap. 10. *Bibebant autem de ſpiritali conſequente eos petra: petra autem erat Chriſtus*: qui virgis Iudæorum percuſſus, ſpiniſque, & clauis perforatus factus eſt
Ioan. 4. fons aquæ viuæ ſalientis in vitam æternam. Io. c. 4.
S. Cyril. Alex. Theophilac. Euthy. S. Iren. per hanc aquã viuam ſalientem in vitã æternã S. Cyrillus Alexandr. Theophilactus, Euthymius S. Ireneus lib. 3. cap. 9. intelligunt gratiam Spiritus Sancti: quæ gratia dicitur aqua: quia abluit, & purgat animas: dicitur viua, quia non eſt ſtagnans, aut veluti mortua: dicitur ſaliens, quia non eſt immobilis, ſed per nouos, & nouos gradus aſcendens, diſponit homines, & traducit in vitam æternam: quæ eſt Incarnationis vtilitas maxima.

CONTROVERSIA III.

An Incarnatio fuerit vtilis ad redemptionem Generis humani.

§. 1 NOTANDVM PRIMO ex communi vſu loquendi Redimere nihil aliud eſſe quam ſeruum, ſeu captiuum oblata compenſatione, aut pretio liberare ab eo, in cuius poteſtate violenter detinetur: & reddere alteri, in cuius poteſtate antea liber erat.

§. 2 NOTANDVM SECVNDO ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. 1. Hominem ante peccatum fuiſſe ſub poteſtate Dei, cum ſuo libero arbitrio: qui tamen per peccatum factus eſt captiuus Diaboli, infinitis propemodum miſerijs addictus, & æternæ damnationi obnoxius: nec non traditus Diabolo, æternæ ſeruitutis iugo premendus: ideo indigebat Redemptore, vt ab illis ærumnis liberatus in priſtinam libertatem reſtitueretur. Hæc ſunt verba Concilij: Declarat Sancta Synodus ad Iuſtificationis doctrinam probè, & ſincerè intelligendam oportere, vt vnuſquiſque agnoſcat, & fateatur: quod cum omnes homines in præuaricatione Adæ innocentiam perdidiſſent, facti immundi, & vt Apoſtolus inquit, natura filij iræ: quemadmodum in decreto de peccato originali expoſuit, vſque adeo ſerui erant peccati & ſub poteſtate Diaboli, ac mortis, vt non modo Gentes per vim naturæ, ſed ne Iudæi quidem per ipſam etiam literam legis Moyſi, inde liberari, aut ſurgere poſſent quamuis liberum arbi- Conc. Trid.

trium in eis minimè eſſet extinctum, viribus licet attenuatum, & inclinatum.

Ioan. Bacho. NOTANDVM TERTIO ex Ioanne Bachone in 3. diſt. 20. quæſt. 1. art. 1. non eſſe exiſtimandum hominem per peccatum ex poteſtate Dei, eiuſque ſeruitute, omnino cecidiſſe in poteſtatem, & ſeruitutem Diaboli: quia Diabolus non habebat tantum ius, nec tam abſolutum dominium in hominem, vt poſſet eo pro arbitrio ſuo vti, aut de eo in quacunque occaſione diſponere, niſi inquantum Deus permittebat. Deus enim eſt Dominus omnium, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Quamobrem, vt homines à Diaboli tyrannide, à quo iniuſtè, & tantùm Deo permittente captiui detinebantur, forent liberi, non Diabolo, ſed ipſi Deo pro redemptione facienda fuit compenſatio, & pretium offerendum. §. 3

DICO Incarnationem fuiſſe valdè vtilem ad redemptionem generis humani. §. 4

Pſal. 6. Probatur PRIMO ex Scriptura, Pſal. 6. *Nequando rapiat vt leo animam meam, dum non eſt qui redimat, neque qui ſaluum faciat.* Quæ verba Michael de Bononia ſic explicat: Si non veniat Chriſtus carnem aſſumendo, qui nos redimat, & ſaluos faciat: Leo ſcilicet Diabolus, qui tanquam Leo rugiens circuit, rapiet animā meam, ſcilicet de corpore ad pœnam æternam. Matth. cap. 20. *Filius hominis venit dare animam ſuam in redemptionem pro multis.* Gloſſa interlinearis habet: non pro omnibus, ſed pro prædeſtinatis. Roman. cap. 3. *Iuſtificati per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu.* id eſt vt explicat Nicolaus de Lyra per paſſionem, efficienter quidem & meritoriè. ad Galat. cap. 4. *Miſit Deus filium ſuum factum ex mu-*

Mich. de Bononia.
Gloſ. interl.
Rom. 3.
Nic. de Lyr.
Galat. 4.

liere factum ſub lege: vt eos, qui ſub lege erant redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus. 1. Timot. cap. 2. *Chriſtus Ieſus qui dedit redemptionem ſeipſum pro omnibus.* Iacobus Tyrinus ſic explicat: Qui dedit ſemetipſum in mortem pro omnibus redimendis ac ſaluandis. 1. Timot. 2. Tyrin.

§. 5 Probatur SECVNDO ex Patribus S. Baſilius in Pſal. 48. *Frater non redimit: redimet homo? id eſt non purus homo, ſed homo Deus Ieſus Chriſtus.* Cui ſubſcribit S. Auguſtinus in Enchir. cap. 108. *Neque per ipſum liberaremur mediatorem hominem Chriſtum niſi eſſet Deus.* S. Baſil.

Probatur TERTIO ex Symbolis: S. Athanaſij: *Qui paſſus eſt pro ſalute noſtra.* Conſtantinopolitanum: *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis & Incarnatus eſt.*

§. 6 Probatur QVARTO Rationibus PRIMA petitur ex grauitate peccati, & valore ſatisfactionis. Nam grauitas peccati deſumitur ex perſona, quæ offenditur: ſiquidem, quò dignior eſt perſona in quam peccatur, eò grauior eſt iniuria ſeu offenſa: ita vt ſi perſona offenſa fuerit infinita, ſeu infinitæ dignitatis, & ipſa offenſa infinita cenſeatur. Valor autem ſatisfactionis ſpectatur non ex perſona, cui ſatisfit, ſed quæ ſatisfacit: ita vt ſi perſona ſatisfaciens fuerit infinita, eius quoque ſatisfactio infinita cenſeri debeat. Certum ergo eſt peccatum primi hominis fuiſſe infinitum: omnem autem ſatisfactionem cuiuſcumque puri hominis, eſſe finitam: vnde purus homo debebat, ſed non poterat: Deus poterat, ſed non debebat offerre pretium condignum pro redemptione humani generis: ſolus ergo homo Deus id facere potuit per Incarnationem:

quæ cum non fuerit ſimpliciter neceſſaria ad redimendum genus humanum: quia potuit Deus alio modo redimere hominem à ſeruitute peccati, quam per Incarnationem: ſequitur fuiſſe neceſſariam ſecundum quid: quod nihil aliud eſt, quam fuiſſe valde vtilem ad redemptionem humani generis.

§. 7 SECVNDA ratio petitur ex diſcordia, aut quaſi diſcordia, quæ ante Incarnationem videbatur eſſe inter Iuſtitiam, & Miſericordiam Dei: Nam Iuſtitia clamabat vindictam: Miſericordia poſtulabat veniam: vtramque conciliauit Incarnatio, quando Filius Dei homo factus vt Iuſtitiæ Dei fieret ſatis, corpus ſuum in cruce ſacrificandum tradidit, & ſuum ſanguinem in pretium Redemptionis humanæ Patri ſuo obtulit miſericorditer acceptandum. Confirmatur ex Pſalmo 84. *Miſericordia, & veritas obuiauerunt ſibi: Iuſtitia, & pax oſculatæ ſunt.* Quæ verba S. Bernardus citatus à Michaele de Bononia explicat de pace, quæ facta fuit inter Deum & homines beneficio Incarnationis. Refert enim Michaël de Bononia in Pſalm. verſic. 1463. Sanctum Bernardum ſibi imaginari, ante Aduentum Chriſti motam fuiſſe quæſtionem quandam de Redemptione generis humani inter miſericordiam, & veritatem ex vna parte: & inter iuſtitiam & pacem ex alia parte: quam quidem quæſtionem Chriſtus incarnatus terminauit. Nam tunc miſericordia, & veritas obuiauerunt ſibi: quando homini parcendum eſſe iudicauerunt: Iuſtitia autem & Pax oſculatæ ſunt, quando pacis vinculo omnes hæ virtutes vnitæ inuicem reconciliatæ ſunt. Et quia reconciliatæ ſunt per Incarnationem, ſignum eſt priùs inter illas fuiſſe contentionem. Quam S. Bernardi piam meditationem, quæ

Pſal. 84.
S. Bern.
Mich. de Bononia.

quæ habetur in ſermon. 1. de Annunciatione, fusè proſequitur Michaël de Bononia loco ſupra citato. Mich. de Bononia.

§. 8 TERTIA ratio petitur ex ſatisfactione, quam fieri ab eodem qui iniuriam fecerat, vtiliſſimum fuit ad redemptionem humani generis: quia alioquin Deus potuiſſet nolle acceptare ſatisfactionem factam ab alio quam ab homine: Sicut enim perſona offenſa habet ius perſonale in perſonam offendentem: ita offendens habet obligationem perſonalem, cui per aliam ſatisfacere non poteſt. Confirmatur, quia offenſus non tenetur acceptare ſatisfactionem, niſi fiat ab offendente: offendens autem fuit homo: & ſatisfactio facta etiam ab homine: ſi non ab eodem numero, ſaltem ab eodem ſpecie.

CONTROVERSIA IV.

Quare Deus voluerit redimere hominem potius per Incarnationem, quam per aſſumptionem naturæ Angelicæ.

§. 1 THOMAS VVALDENSIS in tom. 1. Doctrinalis Antiquitat. fidei lib. 1. art. 3. cap. 44. n. 4. refert Vvicleffum in ſuo lib. de Incarnat. cap. 6. pertinaciter aſſeruiſſe nullam aliam humanitatem fuiſſe à Verbo Diuino aſſumptibilem præter eam ſingularem, & indiuiduam, quam aſſumpſit ad redimendum genus humanum, quem refutat Thomas Vvaldenſis tum ex omnipotentia Dei: tum quia in hac re nulla eſt contradictio: idque conformiter doctrinæ S. Thomæ, qui in 3. diſt. 2. quæſt. vnica, art. 1. concludit quamlibet na-

Tho. Vvald. Vvicleff. Tho. Vvald. S. Thom.

turam ſubſtantialem completam, & perfectam ſiue ſit ſpiritualis, vt Angelica, ſiue ſit corporea tam rationalis, vt humana, quam irrationalis, vt leonina, ouina, bouina abſolutè loquendo poſſe aſſumi à Deo: irrationalem quidem ſecundum capacitatem obedientialem: rationalem vero etiam ſecundum congruentiam: quam in 3. part. quæſt. 4. art. 1. ait exurgere ex duplici capite ſcilicet ex dignitate naturæ aſſumptibilis, & ex neceſſitate redemptionis. Cum ergo potentia obedientialis, & talis congruentia reperiantur in natura humana, & in natura Angelica: quæritur quare Deus potius aſſumpſerit naturam humanam ad redimendum hominem, quam naturam Angelicam: Maximè vero cum hæc ſit illa dignior, hæc etiam peccauerit, ſicut illa.

DICO congruentius fuiſſe Deo, & vtilius hominibus redimi à Deo per aſſumptionem naturæ humanæ, quam per aſſumptionem naturæ Angelicæ. §. 2

Hebr. 2. Probatur PRIMO ex ſcriptura: Hebræor. cap. 2. *Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit*. Quæ verba Iacobus Tyrinus ita explicat. Nuſquam, ideſt nequaquam; Angelos, ideſt Angelicam naturam: apprehendit, ideſt hypoſtaticè ſibi vniuit Filius Dei. Et hanc eſſe ait SS. Patrum explicationem. Suarez tom. 1. in 3. part. diſp. 34. ſect. 2. addit: ex illis verbis Apoſtoli colligi, vtrumque fuiſſe poſſibile: & magnum humanitati collatum beneficium à Deo, & priuilegium, quod illam naturæ Angelicæ in aſſumptione hypoſtatica prætulerit.

Tyrin.

Suarez.

Probatur SECVNDO varijs congruentijs ex Sanctis Eccleſiæ Patribus depromptis: PRIMA vt Dæmon vinceretur per eandem naturam, quam §. 3

gloriabatur ſe tenere captiuam ex S. Anſelmo lib. 1. Cur homo Deus cap. 18. SECVNDA vt Iuſtitia magis ſeruaretur: cùm non quidem idem numero, qui peccauit, ſatisfacit: ſed idem ſpecie: tunc enim moraliter idem debitor dicitur ſatisfacere. Vnde S. Auguſtinus tract. 2. in Ioan. ait, *Caro te excæcauit: caro te ſanat.* TERTIA ne conquererentur Dæmones, qui erant eiuſdem ſpeciei cum alijs Angelis ſe à Deo deſeri: homines vero redimi, qui erant diuerſæ naturæ ab eis: idcirco ait S. Gregorius lib. 2. moral. cap. 11. *Redemptor noſter non Angelus, ſed homo factus eſt: quia hoc procul dubio fieri debuit, quod redemit: vt & perditum Angelum non apprehendendo deſereret: & hominem in ſemetipſo apprehendendo repararet.* QVARTA eruditio hominum fuiſſet obſcurior, eo quod per inuiſibilia fieri debuiſſet modo Angelis accommodato, qui inuiſibiles ſunt: quod ſi talis Angelus Deo hypoſtaticè vnitus aſſumeret figuram corporis humani, vt humano modo loquens erudiret homines: cur opus eſſet natura Angelica, & non potius illa natura, cuius propria eſſet illa figura exterior ab Angelo aſſumpta? ex S. Auguſtin. lib. 13. de Ciuit. Dei cap. 2. QVINTA ne deeſſet occaſio exercendi exceſſum charitatis, quem Christus exercuit in paſſione: quia Angelus non eſt capax mortis: vnde non ita congrua fuiſſet ſatisfactio, quę debet eſſe duplicis pœnæ inflictæ propter peccatū: ſcilicet Damni, & Senſus: ita S. Gregorius lib. 17. moral. cap. 18. SEXTA vt totius mundi, & omnium creaturarum eſſet major gloria, quæ in natura humana, quaſi in ſumma continetur: & cum homo ſit finis aliarum creaturarum, dum ille ſit perfectior per Incarnationem: fiunt & iſtæ: ex S. Gre-

S. Anſelm.

S. Aug.

S. Gregor.

S. Auguſt.

S. Greg.

S. Greg.

gor. lib. 6. moral. cap. 7. & 8. & homil. 29. in Euāg. Huc refero, quod ſupra probaui contr. 1. huius ſectionis, Incarnationem fuiſſe vtilem ad complementum Vniuerſi totius.

OBIICIES PRIMO: natura Angelica eſt magis aſſumptibilis à Perſona Diuina, quam natura humana: Ergo ad redemptionem hominum cōgruentius fuit naturam Angelicam aſſumi à Perſona Diuina, quam naturam humanam. Antecedens Probatur: Quia natura aſſumptibilis à Perſona Diuina debet habere duas conditiones: vna eſt potentia obedientialis, quæ tam latè patet ac omnipotentia Dei: altera eſt congruentia ad vnionem hypoſtaticam, quæ ex duobus capitibus petitur: ſcilicet ex dignitate naturæ aſſumptibilis, & neceſſitate redemptionis: Sed potentia obedientialis eſt æqualis in homine, & in Angelo, ſicut & neceſſitas redemptionis: dignitas autem multò major reperitur in natura Angelica quam in humana: Ergo natura Angelica fuit Magis aſſumptibilis à Perſona Diuina, quam natura humana, ſeu congruentius fuit ad redemptionis humanæ opus peragendum naturam Angelicam aſſumi à Verbo Diuino quam naturam humanam. RESPONDEO, nego Antecedens. ad Probationem DICO inter creaturas aſſumptibiles humanitatem fuiſſe magis aſſumptibilem: non propter potentiam obedientialem, quæ eſt æqualis in omnibus ſubſtantijs; ſed propter congruitatem, ac decentiam majorem, quæ in illa reperitur ſupra creaturas irrationales ex parte dignitatis, quia videlicet ſit intellectualis: & ſupra Angelos ex parte neceſſitatis, quia natura humana indigebat redemptione per vnionem hypoſtaticam facienda; natura

vero Angelica non indigebat tali redemptione. Inſtabis, &c.

§. 5 OBIICIES SECVNDO homo peccauit, ideo indigebat redemptione: Angelus etiam peccauit: Ergo Angelus etiam indigebat redemptione. Cum ergo Potentia obedientialis, & neceſſitas redemptionis reperiantur æqualiter in homine, & Angelo: certè dignitas naturæ, quæ eſt multò major in Angelo, quam in homine faciet, vt natura Angelica ſit magis aſſumptibilis à Perſona Diuina, quam natura humana. RESPONDEO PRIMO ex Michaele de Bononia in 2. diſt. 7. quæſt. vnic. concl. 2. Naturam Angelicam non indiguiſſe redemptione, ſicut natura humana: quia huius peccatum erat remiſſibile, illius vero peccatum erat irremiſſibile. Porro peccatum Angeli dicitur irremiſſibile: quia vt ait Michael de Bononia ibid. eius voluntas eſt inflexibilis: & ideo incapax & Pœnitentiæ, & redemptionis: voluntas enim Angeli poſt primam electionem deliberatam, & poſt peccatum naturaliter eſt immutabilis vt docet S. Thomas in 1. part. quæſt. 64. art. 2. & ideo S. Ioan. Damaſcenus lib. 2. de fid. orthodox. cap. 3. vocat Angelum ineptum Pœnitentiæ: cuius rei rationem reddens cap. 4. ait: Quod hominibus mors, hoc Angelis eſt lapſus: poſt lapſum enim non eſt illis pœnitentiæ locus aut redēptionis, ſicut neque poſt mortē hominibus.

Mich. de Bononia.

S. Thom.
S. Ioan. Damaſc.

§. 6 RESPONDEO SECVNDO S. Thomam in 3. part. quæſt. 4. art. 1. in corp. & ad tertium velle congruentiam hanc oriri ex dignitate naturæ, & ex neceſſitate redemptionis ſimul iunctis: quod ſi vna deſit, non vult eſſe congruentiam, etiam ſi alia ſit major: Quamuis ergo dignitas naturæ Angelicæ

S. Thom.

ſit major in ſuo genere, quam dignitas naturæ humanæ: tamen quia natura humana vtramque habet conditionem, & natura Angelica vnam tantum, licet majorem, natura humana fuit magis aſſumptibilis à Verbo Diuino, quam natura Angelica.

CONTROVERSIA V.

An conuenientius fuerit Deo redimere hominem, quàm Angelum lapſum.

Mich. de Bononia. Bañes. Molina. Suarez.

AFFIRMANT Michael de Bononia in 2. diſt. 7. quæſt. vnic. concluſ. 2. & in Pſalm. verſicul. 570. 1743. & 1754. Dominicus Bañes in 1. part. quæſt. 64. art. 2. Ludouicus Molina in 1. part. quæſt. 63. art. 6. concluſ. 5. Franciſcus Suarez tom. 1. in 3. part. diſp. 4. ſect. 1. concluſ. 2. §. 1

Iſai. 14.

NOTANDVM PRIMO in ipſo mundi exordio Angelum peccauiſſe appetendo æqualitatem Dei: Iſai. cap. 14. *In cælum aſcendam ſupra aſtra Dei exaltabo ſolium meum: ſedebo in monte teſtamenti in lateribus Aquilonis: aſcendam ſuper altitudinem nubium, & ero ſimilis Altiſſimo*: vnde Angeli deſertores in Inferos lapſi, & ad ignem æternum deſtinati debitas ſuo peccato luunt pœnas.

Gen. 2.

NOTANDVM SECVNDO hominem etiam peccauiſſe comedendo fructum à Deo vetitum Geneſ. cap. 2. *Ex omni ligno Paradiſi comede: de ligno autem ſcientiæ boni, & mali ne comedas: in quacumque enim die comederis ex eo, morte morieris*: vnde homo infinitis propemodum miſerijs addictus, & æternæ damnationi obnoxius, traditus fuit Dæmonibus §. 2

miſerabili ſeruitutis iugo premendus.

His præmiſſis cum Angelus peccauerit: homo etiam peccauerit: ille ſuperbia: hic inobedientia: quæritur cur Deus reparauerit hominem potius, quam Angelum: quandoquidem vterque lapſus eſt.

§. 3 DICO conuenientius fuiſſe Deo redimere hominem, quàm Angelum lapſum.

Hæc Concluſio patet ex ipſo facto; non enim excepta Dei voluntate poteſt probari rationibus, niſi aſſignando præcipuas congruentias, quibus permotus Deus voluit homines reparare, non Angelos. Varias Authores initio huius controuerſiæ citati, ex Sanctis Eccleſiæ Patribus collegerunt. Michael de Bononia habet tres. Bañes quatuor. Molina tres. Suarez nouem. Ego octo proferam: ſit ergo

§. 4 PRIMA Congruentia ex S. Auguſtino in
Enchirid. cap. 29. quia minor pars naturæ S. Auguſt.
Angelicæ, tota vero natura humana corruerat. S. Anſel.
SECVNDA eſt S. Anſelm. lib. 1. cur Deus homo
cap. 16. & 17. quia docuit numerum Angelorum
lapſorum reparari per homines Angelis inferiores,
eleuando eos ad vacuas Angelorum ſedes occupandas
& replendas: non fuit autem ita cõueniens
alios homines de nouo creatos, vel aliam naturam
humana inferiorem, & gloriæ capacem recenter S.Greg.Nyſ.
conditam, ſi dari queat, in locum naturæ humanæ S. Ioan. Damaſc.
lapſæ ſubſtituere. TERTIA eſt S. Gregorij Nyſ- Caſſian.
ſeni lib. 1. Philoſ. cap. 7. S. Damaſceni lib. 2. de S. Greg.
fide orth. cap. 3. & 4. Caſſian. collat. 4. cap. 13. &
14. S. Gregorij lib. 4. moral. cap. 9. & 10. quia
Angelus eſt purus ſpiritus, ideoque perſpicacior:
homo vero eſt carnis indumento contectus, ideo-
§. 5 que imbecillior, & non tam perſpicax ad cauendum S. Bernard.
peccatum: QVARTA eſt S. Bernardi ſermon. 1.

de Aduent. quia Angelus ſaltem ſupremus, cuius forſitan ſuaſione, & exemplo cæteri prolapſi ſunt, nullo ſuggerente, impellente, occaſionem præbente, ex mera malicia, & improbitate cecidit: ſinguli etiam Angeli mali propria ſponte, ac voluntate ceciderunt: primus verò homo, fuit ab vxore ſeductus, quam Dæmon prius deceperat: & omnes homines exceptis Adamo, & Eua in aliena voluntate
Caſſian. peccauerunt. QVINTA eſt Caſſiani coll. 4. cap. 3. tali, tantaque velocitate Angelus operatur, vt priorem mentem vix mutare, & corrigere valeat: cum tamen homo diſcurſu, & longa deliberatione
S. Athan. in ſuis actionibus vtatur. SEXTA eſt S. Athanaſij initio libri de Incarnat. Verbi: quia congruum fuit §.6
omnes homines à fœlicitate non decidere: ne gloriaretur Diabolus ſe victoriam reportaſſe, & obtinuiſſe quod intenderat, dum præ inuidia tentauit primos parentes. SEPTIMA eſt S. Theodoreti, circa finem libri de Prouidentia quia ſicut Deus eſt ſimpliciter finis vltimus, ob quem mundus eſt conditus: ita homo eſt finis minus præcipuus mundi, ad quem quodammodo referuntur omnia quæ à Deo condita ſunt in mundo. Noluit ergo Deus eum relinquere in perpetua miſeria propter quem omnia creauerat. OCTAVA eſt Authoris librorum de mirabilibus Sacræ Scripturæ apud S. Auguſtinũ lib. 1. cap. 2. quia Angelus creatus fuit in loco beatitudini proximo, nempe in cœlo; vt ſtatim ſi voluiſſet in gratia confirmaretur, & Deo frueretur: homo vero fuit in loco remotiori, videlicet in terra poſitus, & generationi deſtinatus, vt poſt aliquod temporis ſpatium tranſiret ad meliorem vitam:

SECTIO VII.

DE MESSIA, SEV CHRISTO, IN QVO completum eſt Incarnationis myſterium.

Meſſiam veniſſe ſupra probatum eſt in ſect. 3. Equidem contra Iudæos controu. 1. contra Gentiles controu. 2. Nunc quis qualiſve fuerit contra eoſdem explicandum eſt: Et quia hoc nomen Græcum χριςὸς, quod vertitur Latinè Vnctus in veteri teſtamento attribuitur Sacerdotibus, Prophetis, & Regibus, qui vngebantur: quia etiam Prophetiæ nihil aliud ſonant quam Meſſiam in Prophetam; & Sacerdotem, & Regem fuiſſe vngendum: eam ob rem: An illud nomen χριςὸς conueniat Ieſu Nazareno: & an huiuſmodi Prophetiæ in eo impletæ fuerint, inueſtigandum eſt in hac Sectione, quæ ideo diuidetur in quatuor Controuerſias.

1. An nomen Meſſiæ, ſeu Chriſti conueniat Ieſu Nazareno.
2. An Ieſus Nazarenus fuerit Propheta.
3. An Ieſus Nazarenus fuerit Sacerdos.
4. An Ieſus Nazarenus fuerit Rex.

CONTROVERSIA I.

An nomen Meſſiæ, ſeu Chriſti conueniat Ieſu Nazareno.

MESSIAS Hebraicè, Χριστὸς Græcè, redditur Latinè Vnctus, vt fusè probat Galatinus lib. 3. de Arcanis cap. 2. ideoque communiter in Scripturis ſacris, & præſertim in veteri teſtamento nomen illud tribuitur omnibus, qui habent ſimilitudinem cum Chriſto quantum ad vnctionem interiorem, vel exteriorem, vt ſunt Reges, Prophetæ, & Sacerdotes. Petr. Galati. §. 1

DICO hoc nomen Meſſiæ, vel Chriſti, vel vncti bene conuenire Ieſu Nazareno. §. 2

Probatur PRIMO ex tribus locis Scripturæ PRIMVS Pſal. 44. *Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* quæ verba Genebrardus explicat de Ieſu Nazareno, ſeu de Chriſto, qui in primo inſtanti, ſeu in ipſo momento conceptionis ſuæ habuit animam tam perfecto vſu rationis, & intelligentiæ præditam, vt dilexerit iuſtitiam, & oderit iniquitatem, propter quod Deus vnxerit eum oleo lætitiæ: quod oleum hic ſumitur vel pro gratia vnio- Pſal. 44.

nis hypoſtaticæ, ita S. Auguſtin. in Pſal. 44. vel pro S. Aug.
donis Spiritus Sancti: ita S. Bernardus ſerm. 16. in S. Bernard.
Cantica: vel pro dotibus Chriſto in ſua reſurrectione collatis in præmium ſuæ iuſtitiæ: ita S. Hieronymus in Pſal. 44. vel pro gratia habituali, quæ dicitur gratia Spiritus Sancti: ita S. Athanaſius ſerm. 1. contra Arianos, circa finem. quæ omnia Chariſmata Spiritus Sancti dicuntur vnctiones, quibus delibutus fuit Ieſus Nazarenus, vt ſectando iuſtitiam, & odio habendo iniquitatem ſuum Meſſiæ munus diligentiſſimè exequeretur, Chriſtique nomen ſibi aſſumeret præ conſortibus ſuis, ideſt ſupra omnes cohæredes & comparticipes Regni Dei: ita vt ſit ſenſus: Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem, propter quod vnxit te, ô Deus Fili, Deus Pater tuus oleo lætitiæ ſpirituali pluſquam participes tuos.

S. Hierony. S. Athanaſ.

§. 3 SECVNDVS locus eſt Ioan. cap. 1. vbi Andreas dixit fratri ſuo Petro: *Inuenimus Meſſiam (quod eſt interpretatum Chriſtus) & adduxit eum ad Ieſum.* Quæ verba de nullo alio intelligi poſſunt, quam de Ieſu Nazareno, qui erat verus Meſſias, ſiue Chriſtus, ſiue vnctus. Quod ipſemet teſtatus eſt, & liberè confeſſus: quando Ioan. cap. 4. Mulier Samaritana dixit ei: *Scio quia Meſſias venit (qui dicitur Chriſtus) cum ergo venerit ille annunciabit nobis omnia: Dixit ei Ieſus, Ego ſum, qui loquor tecum.* Circa quæ verba duo ſunt obſeruanda ex Toleto in commentar. Primo hoc verbum [venit] eſſe in tempore præſenti, quod tamen vim habet futuri: quaſi diceret Samaritana: Scio, quia veniet, aut ſcio eſſe venturum. Secundo, illa verba [qui dicitur Chriſtus] eſſe verba Euangeliſtę interpretantis verbum Hebræum: Meſſias enim apud Hebræos, idem quod apud Græcos Chriſtus

Ioan. 1. Ioan. 4.

Act. 10. ſignificat. TERTIVS locus eſt Actor. cap. 10. *Ieſum à Nazareth: quomodo vnxit eum Deus Spiritu Sancto.* Vbi, vnctus clarè vocatur Ieſus à Nazareth, ſeu Nazarenus cap. 2. Vnctio dicitur Spiritus Sanctus: Vngens eſt Deus, ſeu tota Trinitas: & conuenienter: quia tres perſonæ Trinitatis in nomine Chriſti intelliguntur, ſcilicet Pater vngens, Filius vnctus, Spiritus Sanctus Vnctio: iuxta illud S. Ambroſij lib. 1. de Spirit. Sanct. cap. 3. Qui benedicitur in Chriſto, in Patre, & Spiritu Sancto benedicitur: quia eſt vnum nomen, vna poteſtas. Et paulò poſt: Qui Chriſtum nominat, & dicit filium, qui vnctus eſt; & Patrem, à quo vnctus eſt: & Spiritum Sanctum, quo vnctus eſt. §. 4

S. Ambroſ.

S. Hierony. Probatur SECVNDO ex Patribus S. Hieronymus in comment. in Prophetam Habacuc cap. 3. explicans illa verba: *Eggreſſus es in ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chriſto tuo*: ait, *Super omnia vnguentorum genera, eſt vnguentum ſpirituale, quod vocatur oleum exultationis, quo vngitur Saluator.* S. Auguſtinus in Pſal. 44. *Sic accipite: ſic intelligite: ſic in Græco euidentiſſimum eſt. Ergo quis eſt Deus vnctus à Deo? Dicant nobis Iudæi: ſcripturæ iſtæ communes ſunt: vnctus eſt Deus à Deo: vnctum audis, Chriſtum intellige: etenim Chriſtus à Chriſmate. Hoc nomen, quo appellatur Chriſtus, vnctionis eſt, nec in aliquo alibi vngebantur Reges, & Sacerdotes niſi in illo Regno, vbi Chriſtus prophetabatur & vngebatur: & vnde venturum erat Chriſti nomen.* §. 5

S. Auguſt.

Probatur TERTIO rationibus. PRIMA petitur ex communi vſu Eccleſiæ: nam non ſolum in hoc tractatu, ſed etiam in tota Eccleſia Catholica hoc nomen Meſſias vel Chriſtus, propriè, & ſtrictè per excellentiam accipitur pro vno Ieſu Nazareno §. 6

ſummo, videlicet, eximio, & ſingulari Chriſto, ſic appellato: quia Deus Pater vnxit illum ſpirituali oleo lætitiæ, ideſt vnctione Diuinitatis præ conſortibus ſeu participibus ſuis, ideſt præ cæteris hominibus eamdem cum ipſo naturam humanam participantibus vt habetur Pſal. 44. & Hebræor. cap. 1. Pſal. 44. Hebr. 1.
§. 7 SECVNDA ratio petitur à Simili: hoc modo: Cyrus Rex Perſarum, & Medorum dictus eſt Chriſtus Habacuc cap. 3. *Eggreſſus es in ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chriſto tuo*. Quæ verba Thomas Beauxàmis homilia 23. in Prophetam Habacuc ita explicat. *Eggreſſus es* cum exercitu Perſarum: *in ſalutem Populi tui* captiui, vt tandem ei liceret per Perſarum Regem in terram ſuam remigrare. *Eggreſſus es in ſalutem* hanc, *cum Chriſto tuo* Cyro: de quo Iſaiæ cap. 45. hæc leguntur promiſſa: *Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt ſubijciam ante faciem eius gentes, & dorſa regum vertam, & aperiam coram eo ianuas: & portæ non claudentur. Hanc autem Deus Perſis victoriam peperit, vt tandem potiti Ciuitate, liberos dimitterent Iſraelitas. Hæc autem omnia in figura contingebant illis:* Cyrus enim typum geſſit Ieſu Nazareni: vnde obſeruat Lyranus Cyrum ibi non dici Chriſtum niſi inquantum figura fuit Ieſu Nazareni: ideoque hanc literam ad Ieſum Nazarenum eſſe principaliter referendam, vt ſit ſenſus: ſicut fuiſti cum Cyro ad liberandum populum tuum de Babilone: ſic eris cum Ieſu Nazareno ad liberandum populum tuum de Inferno: quæ ſalus figurata eſt per ſalutem populi à Cyro factam.

Abacuc 3. Thom. Beauxam. Iſai. 45. Lyran.

§. 8 TERTIA ratio petitur ab Etymologia: nomen enim hoc [Chriſtus] venit ab hoc nomine Græco χριστὸς quod ſignificat vnctum: erant autem tria genera hominum, qui vngebantur

1. Reg. 10. Reges, vt Saül 1. Reg. cap. 10. Sacerdotes, vt Aa-
Exod. 29. ron Exod. cap. 29. Prophetæ, vt Eliſeus 3. Reg. cap.
3. Reg. 19. 19. Sed Ieſus Nazarenus fuit Rex Pſal. 2. Sacerdos
Pſal. 2. Pſal. 109. Pſal. 109. Propheta Deuter. cap. 18. Ergo Ieſus
Deut. 18. Nazarenus debet vocari Chriſtus. Verum quia nullus vnquam præter ipſum habuit ſimul illas tres dignitates: multi quidem fuerũt tantùm Reges, multi tantùm Sacerdotes, multi tantùm Prophetæ: tamen nullus fuit ſimul Rex, Sacerdos, Propheta præter Ieſum Nazarenum: ideo Chriſti nomen illi ſoli per Antonomaſiam, ſeu per excellentiam accommodatè tributum fuit. 4. QVARTA ratio petitur à Defi- §. 9
Suarez. nitione: Deſcribitur autem à Suare initio diſputationis primæ tom. 1. in 3. part. hoc modo, vt ſit verus Rex, Sacerdos & Propheta, Deus & homo oleo Diuinitatis vnctus: ſeu breuiùs Deus Incarnatus: cuius definitionis particulæ optimè cõueniũt
S. Athanaſ. Ieſu Nazareno: ſicut notauit S. Athanaſius in Symbolo, dicens: *Eſt ergo fides recta, vt credamus, & confiteamur, quia Dominus noster Ieſus Chriſtus Deus & homo eſt.*

OBIICIES PRIMO multos in veteri teſta- §. 10.
1. Reg. 16. mento vocari Chriſtos 1. Reg. cap. 16. Dauid dixit puero Amalecitæ, qui Saülem Regem alioquin nequiſſimum interfecerat, *quare non timuiſti mittere manum tuam, vt occideres Chriſtum Domini?* Ergo hoc nomen Chriſtus cõuenit alijs à Ieſu Nazareno. CONFIRMATVR ſicut Saül vocatur à Dauide Chriſtus Domini: ita Ieſus Nazarenus vocatur à
Luc. 2. Simeone iuſto Chriſtus Domini Luc. cap. 2. *niſi videret Chriſtum Domini.* RESPONDEO ad Argu- §. 11.
mentum ſimul & ad eius Confirmationem Reges, Prophetas, & Sacerdotes in veteri teſtamento vo-

catos fuiſſe Chriſtos ab vnctione exteriori, quæ erat materialis, fiebatque in corpore, & vt refertur in Exod. cap. 30. componebatur ex oleo oliuarum, varijs odoribus myrrhæ, caſſiæ, cinnamomi, calami aromatici, & balſami imbuto, & certa proportione condito: quæ compoſitio vocabatur oleum vnctionis, ſeu oleum ſanctum. Sic Leuitic. cap. 8. Moyſes conſecrãs Aaronem ſacerdotem ſummum fudit ſuper caput eius tantam olei copiam, vt deſcenderit in barbam, & vſque ad infimam oram veſtimenti eius Pſal. 132. At Ieſus Nazarenus dictus eſt Chriſtus ab vnctione interiori; quia vnctus eſt à Deo vnctione ſpirituali, quæ eſt gratia Spiritus Sancti, ſeu gratia habitualis, quæ in beata eius anima tanta fuit, vt omnes omnium Sanctorum gratias ſuperauerit ſimul ſumptas. Inſtabis, & Exod 30. Leuit. 8. Pſal. 132.

§. 12. OBIICIES SECVNDO lib. 3. Reg. cap. 19. Deus præcepit Eliæ, vt vngeret Eliſeum in Prophetam, quem tamen non vnxit vnctione exteriori, vel materiali, vel corporea: *ſed miſit pallium ſuum ſuper illum*: quam immiſſionem pallij Lyranus vocat vnctionem: Iacob. Tyrin. vocationem ad inſtitutum Eliæ Patris noſtri, & cœtum Religioſorum eius, qui Eliſeum inueſtiuit pallio ſuo tanquam habitu monachali: Emman. Sa. acceptionem Spiritus, de quo ſcilicet S. Ambroſius ſerm. 87. ait *Elias cum ſimplicem ſanctitatis haberet Spiritum Eliſeo duplicem dereliquit*: Quidam tamen volunt Eliam poſt hanc pallij ſui immiſſionem, vnctione ſeorſim adhibita conſecraſſe Eliſeum Prophetam: ſed hoc non reperitur in ſcriptura. Similiter dicitur lib. 1. Paralip. cap. 16. & Pſal. 104. *Nolite tangere Chriſtos meos*: quæ verba Genebrardus explicat de Sanctis Patriarchis, aitque 3. Reg. 19. Lyran. Iac. Tyrin. Em. Sa. S. Ambroſ. 1 Parali. 16 Pſal. 104. Genebr.

eos fuiſſe oleo inuiſibili vnctos, ideſt Spiritu Sancto, & eius gratia: ob quam vnctionem etiam ait nos vocari Chriſtianos: ergo in veteri lege multi vocati ſunt Chriſti, qui non fuerunt vncti vnctione corporea, ſed ſpirituali, ſicut Ieſus Nazarenus.

RESPONDEO PRIMO ſi qui ex Patribus veteris teſtaméti vncti fuerint vnctione interiori, & ſpirituali eos habuiſſe quidē gratiam habitualem infuſam, ſed limitatam: Ieſum autem Nazarenum habuiſſe gratiam habitualem ſibi quidem cum cæteris hominibus communem, ſed ſine menſura, Ioan. cap. 3. vt omnium hominum, imo & Angelorum gratiæ ab ea emanarent omnes, iuxta illud Ioan. cap. 1. *De plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia: quia lex per Moyſem data eſt: gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* RESPONDEO SECVNDO in Ieſu Nazareno præter gratiam habitualem fuiſſe gratiam vnionis hypoſtaticæ, per quam humanitas Diuinitate vncta eſt, & ab ea ſanctificata, quando ei hypoſtaticè vnita fuit. ita S. Gregor. Nazianzenus oratione 4. de Theolog. vbi explicans illud Pſal. 44. *Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis*: per *oleum lætitiæ* intelligit Diuinitatem, qua humanitas fuit vncta per vnionem hypoſtaticam: & in orat. 2. de Paſchate ait humanitatem Chriſti fuiſſe delibutam, & vnctam. Vnde concludit Ieſum Nazarenum præ cæteris optimè vocari per Antonomaſiam Chriſtum: quia quantum Diuinitas ſuperat omnes creaturas: tantum vnctio hypoſtatica ſuperat omnes alias vnctiones.

Marginal notes: § 13. (beside "RESPONDEO PRIMO"); Ioan. 3.; Ioan. 1.; § 14. (beside "RESPONDEO SECVNDO"); Greg. Nazi. Pſal. 44.

An

CONTROVERSIA II.

An Ieſus Nazarenus fuerit Propheta.

§. 1 RATIO DVBITANDI petitur ex tribus potiſſimum Scripturæ locis.

PRIMVS locus eſt Matth. cap. 11. *Omnes Prophetæ, & lex vſque ad Ioannem Prophetauerunt:* Ergo ſicut lex in Ioanne Baptiſta ceſſauit, ita & Prophetæ: Sed Chriſtus venit poſt Ioannem Baptiſtam Ioan. cap. 1. Ergo Chriſtus non fuit Propheta. Matth. 11.

SECVNDVS locus eſt 1. Corinth. cap. 13. *Prophetiæ euacuabuntur*, ſcilicet in patria: *ex parte prophetamus* ideſt imperfectè: *cum autem venerit, quod perfectum eſt* ſcilicet Beatitudo, quæ conſiſtit in clara Dei viſione, *euacuabitur quod ex parte eſt*: & ſic in Patria, vbi clarè omnia videntur in Verbo, nulla erit Prophetica cognitio: Ex quo loco ſic Argumentor: Nullus Beatus poteſt eſſe Propheta: Sed Chriſtus in hoc mundo erat beatus: ergo &c. 1. Corinth. 13.

TERTIVS locus eſt Hebr. cap. 1. *Multipharíam, multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis: nouiſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in filio, quem conſtituit hæredem vniuerſorum.* Ideſt olim Deus loquebatur Patribus antiqui teſtamenti per Prophetas: nouiſſimè autem in lege Euangelica locutus eſt nobis per Chriſtum, qui eſt filius eius naturalis, & hæres. Cum ergo tunc Deus non ampliùs loqueretur hominibus per Prophetas, ſed per ſuum filium: ſequitur Chriſtum Filium Dei non fuiſſe Prophetam. Hebr. 1.

His, & alijs ſcripturæ locis moti grauiores Theologi in duas ſententias abierunt, quærentes: An Chriſtus fuerit Propheta.

Toſtat. PRIMA SENTENTIA negat, ita Toſtatus Epiſcopus Abulenſis, qui in caput 11. libri numeror. quæſt. 64. ait Chriſtum non fuiſſe verè Prophetam, ſed ſolùm nomine tenus, & ſecundum populi æſtimationem: quia talis à populo æſtimabatur, taliſque ab omnibus appellabatur. §. 2

S. Thom. Suar. Vazquez. Greg. de Valent. Tho. Beaux. Matth. 1. Tyrin. Deuter. 18. SECVNDA SENTENTIA affirmat, ita S. Thomas in 3. part. quæſt. 7. art. 8. Suarez tom. 1. in 3. part. diſp. 21. ſect. 1. Vazquez in 3. part. diſp. 44. cap. 2. n. 10. Greg. de Valent. tom. 4. diſp. 1. quæſt. 22. punct. 5. Thomas Beauxamis in ſua harmon. Euang. explicans illa verba Matth. cap. 1. *Liber generationis Ieſu Chriſti*. Iacob. Tyrini in Deuterono. cap. 18. n. 15. qui dicunt in Chriſto fuiſſe Prophetiam, eumque per antonomaſiam vocant Prophetam.

NOTANDVM eſt nomen Prophetæ in Sacra ſcriptura quinque modis vſurpari. PRIMO pro §. 3
ad Tit. 1. Poeta ſeu Vate: ad Titum cap. 1. *Dixit quidam ex illis proprius eorum Propheta: Cretenſes ſemper mendaces, beſtiæ malæ, ventres pigri.* Vbi Apoſtolus loquitur de quodam Epimenide, qui erat Poëta Epicus, patria Cretenſis, qui ſcripſit librum de vitijs ſuæ Gentis, quæ tria fuiſſe refert Apoſtolus: Primum mentiri, & fallere: Secundum mordere & nocere, quod eſt beſtiarum proprium. Tertium otio, & ventri indulgere: huius etiam meminit Plato in lib. 1. & 3. de legib. & Cicero in lib. 1. de Diuinat. ſect. 34. & alij. SECVNDO nomen Prophetæ ſignificat Pſaltem ſeu Cantorem, qui Pſalmos

Plato. Cicero.

cantat, & Hymnos in laudem Dei: ſic lib. 1. Reg. cap. 10. Chorus canentium dicitur *Grex Prophetarum*: ſimiliter canentes *in pſalterio, tympano, & tibia, & cithara* dicuntur *Prophetantes*, quibus adiunctus Saül *prophetauit in medio eorum* ideſt cecinit. Et lib. 1. Paralipom. cap. 15. *Prophetia* ponitur pro melodia dum *Chonenias* dicitur. *Præfuiſſe Prophetiæ*, & vocatur *Princeps Prophetiæ inter cantores*. Denique ibidem cap. 25. Rex Dauid & Magiſtratus exercitus multos deputarunt, qui *in citharis, pſalteriјs & cymbalis prophetarent confitentes, & laudantes Dominum*. TERTIO ſumitur pro eo, qui dictante Spiritu Sancto ſcribit libros Canonicos, etiam ſi ſint hiſtorici, nullamque rerum futurarum prædictionem cõtineant: quo modo libri Ioſue, & Ruth dicuntur Prophetici à S. Hieronymo in Prologo Regum, qui dicitur Galeatus: & Scriptura ſacra dicitur *Propheticus Sermo* à S. Petro in ep. 2. cap. 1. QVARTO pro interprete myſteriorum fidei noſtræ, ſeu Euangelij Prædicatore: & in hac ſignificatione vſurpauit nomen Prophetæ S. Lucas in actibus Apoſtolor. cap. 13. *Erant autem in Eccleſia, quæ eſt Antiochiæ Prophetæ, & Doctores, in quibus Barnabas, & Simon* &c. Idem fecit Apoſtolus in epiſt. 1. ad Corinth. cap. 14. per totum: quos ſequitur S. Gregorius lib. 1. Regiſtri cap. 24. vbi etiam citat Ieremiam Threnor. cap. 3. dicentem: *Prophetæ tui viderunt tibi falſa, & ſtulta: nec aperiebant tibi iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent*.

1. Reg. 10. 1. Paralip. 15. & 25. 2. Petr. 1. Act. 13. 1. Cor. 14. S. Greg. Thren. 3.

QVINTO nomen Prophetæ propriè ſumitur pro eo, qui prædicit futura; res abſentes enunciat, & ſecreta cordium manifeſtat. Atque in hac ſignificatione intelligitur noſtra quæſtio: cœteræ enim ſunt metaphoricæ: quia illi, ſcilicet Poëta, Pſalmi-

ſtæ, Scriptores canonici, & Doctores vocati ſunt Prophetæ, per quandam analogiam, ad hanc, de qua nunc agimus nominis Prophetę vſurpationem: quatenus Diuina tractantes Spiritus Sancti afflatu locuti ſunt. His præmiſſis

DICO Ieſum Nazarenum fuiſſe verè, & propriè Prophetam. §. 4

Probatur PRIMO ex varijs ſcripturæ locis.
Deuter. 18. PRIMVS locus in lib. Deuteronom. cap. 18. vbi Moyſes ſic allocutus eſt populum: *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis ſicut me ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus, ipſum audies.* & paulo poſt Deus ſic allocutus eſt Moyſem: *Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum ſimilem tui, & ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi.* Quem locum in actibus Apoſtolorum de Ieſu Nazareno explicāt
Act. 3. & 7. Matth. 21. S. Petrus cap. 3. & S. Stephanus cap. 7. SECVNDVS locus eſt Matth. cap. 21. *Cum introiſſet Ieroſolymam commota eſt vniuerſa Ciuitas dicens: Quis eſt hic? Populi autem dicebant: Hic eſt Ieſus Propheta à Nazareth Galileæ.* Vbi Ciues per inuidiam, & contemptum dicebant: *Quis eſt hic?* Populi autem per fidem reſpondebant: *Hic eſt Ieſus Propheta à Nazareth Galileæ.* Quem dum publicè, & cum alachritate vocant Prophetam, non intelligunt qualemcumque: ſed magnum illum
Deuter. 18. Luc. 24. Prophetam à Deo promiſſum Moyſi Deuteron. cap. 18. qui erat Meſſias promiſſus in lege. TERTIVS locus eſt Luc. cap. 24. *De Ieſu Nazareno, qui fuit vir Propheta, potens in opere, & ſermone coram Deo, & omni populo.* Ex quibus verbis nullus relinquitur dubitandi locus: An Ieſus Nazarenus fuerit verè, & propriè Propheta: talem enim duo illi Diſcipuli eum nominant: & non qualemcumque, ſed *potentem in ope-*

§. 5

re,& ſermone : ideſt miraculis,& doctrina: quod confirmant Dei, & hominum teſtimonio : vt innuerent illum eſſe Prophetam magnum,quem Deus promiſerat populo Iſraëlitico Deuter. cap. 18. QVARTVS Ioan. 4

§.6 locus eſt Ioan. cap. 4. *Domine video, quia Propheta es tu*. Samaritana non dicit ſimpliciter Chriſto : *Propheta es tu* : ſed *video,quia Propheta es tu* : ideſt cognoſco te eſſe propriè, & verè Prophetam. & id cognouit ex duplici Prophetiæ effectu : ſcilicet ex reuelatione ſecreti ſui adulterij,& ex cognitione rerum abſentium, quæ procul factæ fuerant, tanquam ſi præſentes fuiſſent. Attamen quia certò nouit Ieſum Nazarenum eſſe Prophetam verum,& magnum, ei tanquam Prophetæ proponit quæſtionem de Adoratione.

§.7 Probatur SECVNDO ex Patribus, præſertim illis qui paſſim exponunt locum ſupra citatum ex Deuteron. cap. 18. S. Auguſtinus lib. 16. contra Fauſtum Manicheum cap. 18. ait: *De Chriſto eſſe prædictum : Suſcitabo illis Prophetam de fratribus eorum ſimilem tibi*. & tract. 15. in Ioan. explicat illa verba [ſimilem tibi] hoc modo *Similem ſcilicet ad formam carnis, non ad eminentiam majeſtatis : ergo inuenimus Dominum Ieſum dictum Prophetam*. S. Hieronym. in cap. 1. Ierem. Prophetæ poſtquam explicauit illa verba: *Antequam exires de vulua ſanctificaui te, & Prophetam in Gentibus dedi te*, ſubdit : *Quidam hunc locum ſuper Saluatore intelligunt, qui propriè Propheta Gentium fuit, & per Apoſtolos vocauit omnes nationes. iſte enim verè priuſquam in vtero Virginis formaretur : & antequam exiret de vulua matris ſanctificatus eſt*. quam explicationem,quamuis nomine aliorum referat : tamen eam probat,& confirmat in cap. 21. Matth. his verbis :

Deuter. 18. S. Auguſt. S. Hier. Ierem. 1. Matth. 1.

Hic eſt Ieſus Propheta à Nazareth. Galileæ. Propheta, quem & Moyſes ſimilem ſui dixerat eſſe venturum, & qui propriè apud Græcos ſcribitur cum τῦ ἄρθρυ μαρτυρία idcſt cum articuli teſtimonio. S. Cyrillus Alexand. lib. 8. in Iulianum paulo poſt initium, ait Chriſtum nominari Prophetam à dono Prophetiæ, his verbis: *Nominatus eſt Propheta, quamuis ſit Dominus Prophetarum: oportebat enim demetientem ſe ad humilitatem, vt humanitatis ſubiret menſuram: Prophetiæ enim donum in ordine ſummarum dignitatum humanitatis menſura recenſetur.* S. Chriſoſtomus hom. 15. in Ioan. *Exiſtimabant quidem Prophetam quemdam eximium venturum: eo, quod inquit Moyſes; Prophetam ſuſcitabit vobis Dominus Deus de medio fratrum veſtrorum, tanquam me, ipſum audite. Hic autem erat Chriſtus.*

S. Cyrill.

Io. Chryſ.

Probatur TERTIO rationibus. PRIMA ratio eſt S. Thomæ in 3. part. quæſt. 7. art. 8 quæ petitur ex Etymologia nominis. Propheta enim latinè dicitur quaſi procul fans, vel procul videns: quia cum ſit viator cognoſcit, & annunciat ea, quæ ſunt procul ab aliorum viatorum notitia. Ea autem, quæ procul ſunt à viatorum cognitione in triplici reperiuntur differentia: Prima temporis, & ſunt futura. Secunda loci, & ſunt res abſentes. Tertia ſenſuum humanorũ, & ſunt ſecreta cordium. Nam Propheta res quæ ſunt objecta Prophetiæ cognoſcit, & videt in illa triplici differentia, eáſque profatur, quod Græci vocant προφητεύειν, ideſt vaticinari, ſeu προφητίζειν, ideſt prædicere: vnde deriuatur nomen Græcum Προφήτης, ideſt Propheta, ſeu videns, in lib. 1. Reg. cap 9. §. 8

S. Thom.

Hæc ratio ab etymologia nominis Prophetæ deducta, iuxta illam triplicem differentiam, tribus §. 9

exemplis ex veteri teſtamento, ſub quo Prophetæ maximi floruerunt, eſt confirmanda: Sic enim PRIMO Iſaias videbat futuram Chriſti conceptionem ex B. Virgine, quando cap. 7. admirabundus exclamauit: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium: & vocabitur nomen eius Emmanuel.* ideſt nobiſcum Deus. SECVNDO Eliſeus Propheta magnus res abſentes tam apertè, ac ſi præſentes eſſent cognoſcebat: maximè verò quando, vt legitur in lib. 4. Reg. cap. 5. Giezi famulum ſuum à loco, in quo ipſe erat, procul remotum oculis non corporis, ſed animi intuitus eſt accipientem pecunias, & veſtimenta à Naamam Syro, quem à lepra in Iordane ſepties lotum miraculosè mundauerat: de quo Giezi domum reuerſus cum interrogaretur, negauit. Tunc Eliſeus ait: *Nonne cor meum in præſenti erat, quando reuerſus eſt homo de curru ſuo in occurſum tui: nunc igitur accepiſti argentum, & accepiſti veſtes* &c. TERTIO Samuel, qui in lib. 1. Reg. cap. 3. vocatur fidelis Propheta Domini, ſecreta cordis reuelauit, quando lib. 1. Reg cap. 9. Saüli quærenti domum videntis, vt ex eo ſciſcitaretur de aſinis patris ſui, quas amiſerat, reſpondit: *Ego ſum videns: Aſcende, & omnia, quæ ſunt in corde tuo indicabo tibi: & de aſinis quas nudius tertius perdidiſti non ſolicitus ſis: quia inuentæ ſunt.* Simile quid præſtitit Daniel ex ſpiritu prophetico coram Nabuchodonozore Rege: vt patet ex eiuſdem libro cap. 2. dum ſomnium Regis, quod ipſemet Rex oblitus fuerat enarrauit, & reuelante Deo myſterium interpretatus eſt.

Iſai. 7.

§. 10.

4. Reg. 5.

§. 11.

1. Reg. 3. & 9.

§. 12. Quod ſi Deus, aut Angeli, vel etiam Beati cognoſcant, & enuncient ea, quæ in illa triplici differentia procul ſunt à notitia noſtra: non tamen dici

S. Thom. poſſent Prophetæ: quia vt ait S. Thomas loco paulò ante citato, *in nullo ſtatum noſtrum attingunt*: ideſt non ſunt viatores, ſicut nos. Chriſtus autem in hoc mundo non fuit tantùm comprehenſor: ſed etiam fuit nobiſcum viator: Ideoque verè, & propriè fuit Propheta: imo multo major, quam Iſaias, quam Eliſeus, quam Samuel, aut Daniel, vel quiuis alius, quicunque tandem ille fuerit.

Nam Ieſus Nazarenus, qui eſt Chriſtus PRIMO §. 13.
prædixit multa futura, quæ ego mox in ſecunda ratione, & tertia ſigillatim recenſebo. SECVNDO cognouit res abſentes, & procul à loco, vbi erat, diſtantes. Cum enim Ioan. cap. 4. Ieſus Nazarenus (Ioan. 4.) poſt miraculum aquæ in vinum mutatæ eſſet adhuc in Chana Galilææ, venit ad eum Regulus ſupplex rogans pro ſalute filij ſui, qui ita infirmabatur Capharnaum, vt inciperet iam mori, cuius petitioni annuens Chriſtus dixit: *Vade filius tuus viuit.* Quantum autem diſtaret Capharnaum à Chana Galilææ: vel hinc maximè colligitur: quod Regulus tunc ſaltem vnius diei iter feciſſet, quando ſerui eius, qui ei reuertenti occurrebant, dixerunt: *heri hora ſeptima reliquit eum febris.* Ex quo Pater cognouit illam fuiſſe horam, in qua Chriſtus dixerat: *filius tuus viuit,* Item Ioan. cap. 11. Chriſtus Diſcipulis ſuis ait: (Ioan. 11.) *Lazarus mortuus eſt: & ego gaudeo propter vos, quia non eram ibi.* Erat enim tunc in Bethabara, quæ multum diſtabat à Bethania, vbi Lazarus vitam exhalabat: & patet: quia Chriſtus poſtquam dixit, *Lazarus mortuus eſt: manſit in eodem loco duobus diebus*: deinde tertio die aggreſſus eſt iter in Bethaniam: quarto deniq; die illuc appulit, & Lazarum quatriduanum in monumento fœtentem ad vitam reuocauit.

TERTIO

TERTIO cognoſcebat internas hominum cogitationes,& ſecreta cordiũ manifeſtabat vg. Matth. cap. 9. *Quidam de Scribis dixerunt intra ſe, hic blaſphemat: & cum vidiſſet Ieſus cogitationem eorum dixit: vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* Matth. cap. 12. *Phariſæi concilium faciebant aduerſus eum,quomodo perderent eum: Ieſus autem ſciens receſſit inde.* Luc. cap. 6. *Obſeruabant eum Scribæ, & Phariſæi, ſi in Sabbato curaret, vt inuenirent, vnde accuſarent eum: ipſe vero ſciebat cogitationes eorum.* Matth. 9. Matth. 12. Luc. 6.

§. 14. SECVNDA ratio petitur ex triplici tempore: ſcilicet Præſenti, Præterito,& futuro,quo Prophetę inſtinctu diuino, afflatuque ſua fundunt oracula, hoc modo: Omnis,qui res præſentes, præteritas, & futuras à naturali cognitione remotas ex diuina inſpiratione cognoſcit, & effatur eſt verè, & propriè Propheta.

Sed Ieſus Nazarenus res præſentes,præteritas,& futuras à naturali cognitione remotas ex diuina inſpiratione cognouit, & effatus eſt:

§. 15. Ergo Ieſus Nazarenus fuit verè & propriè Propheta. Major probatur ex S. Ioan. Chryſoſtomo in Procemio in Pſalmos: vbi ait: *Vniuerſum Prophetiæ genus tripliciter diuiditur, in futurum, præſens, & præteritum: quoniam Prophetia eſt, eius quod eſt occultum inuentio.* Et continenter ſubdit exemplum S. Petri, qui furtum Ananiæ,& Saphiræ detexit. Probatur etiam ex S. Gregorio hom. 1. in Ezechiel. vbi ait Prophetiæ tempora tria ſunt: Præteritum, Præſens, & futurum. & continenter ſubdit exempla: de futuro quidem profert illud Iſaiæ oraculum cap. 7. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.* De Præterito citat Moyſem Geneſ. cap. S. Ioan. Chryſoſt. S. Greg. Iſai. 7. Gen. 1. 1. Cor. 14.

1. In principio creauit Deus cœlum, & terram, &c. & rationem affert: quia de illo tempore dicit homo, quo non erat homo. De Præſenti deniq; affert verba S. Pauli 1. cor. 14. *Si autem omnes prophetent: intret autem quis infidelis, aut hypocrita, cõuincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus occulta eius manifeſta fiunt.* Quibus verbis S. Gregor. vult contineri Prophetiã de præſenti: quia inquit Propheta dicitur nõ quia prædicit futura: ſed quia prodit occulta. Denique Confirmatur exemplo Elizabeth vxoris Zachariæ, quæ Luc. cap. 1. dicitur Prophetaſſe dum Spiritu Sancto repleta in hæc verba myſteriorum pleniſſima erupit: *Vnde hoc mihi vt veniat mater Domini mei ad me?* ecce præſens. *Beata quæ credidiſti*: ecce præteritum. *Perficientur ea quæ dicta ſunt tibi à Domino*: ecce futurum.

Luc. 1.

Minor Probatur PRIMO quia Ieſus Nazarenus ex inſpiratione diuina cognouit præſentia occulta quando cognouit adulterium Samaritanę Ioan. cap. 4. quando videbat ſecretas hominum cogitationes. Matth. cap. 9. & 12. Luc. cap. 6. quando eum non latuit proditio, quam Iudas perduellionis reus in ſuo pectore reuoluebat, & quam Chriſtus reuelauit Ioan. cap. 13. his verbis: *Quod facis, fac citiùs.* SECVNDO cognouit præterita à naturali hominum cognitione remota: quando dixit Matth. cap. 13. *Aperiam in parabolis os meum: eructabo abſcondita à conſtitutione mundi.* ideſt vt interpretatur Tyrinus: manifeſtabo iam illis, quæ nulli ante vel non niſi pauciſſimis Prophetis aperueram. TERTIO prædixit multa futura, quæ iam videmus impleta: vg. reprobationem Iudæorum Ioan. cap. 8. *Ego vado, & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini.* Deſtructionem Templi Ieroſolymitani Matth. cap. 22. Diſci- §. 16.

Ioan. 4. Matth. 9. & 12. Luc. 6. Ioan. 13. Matth. 13. Iacob. Tyri. Ioan. 8. Matth. 22.

puli mirabantur ædificationem Templi, quibus ipſe dixit: *Videtis hæc omnia: Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur.* Suam Paſſionem Luc. cap. 18. *Tradetur enim Gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur, & poſtquam flagellauerint occident eum.* Suam Reſurrectionem etiam teſtimonio inimicorum: Matth. cap. 27. *Seductor ille dixit adhuc viuens: poſt tres dies reſurgam.* Traditionem Iudæ Matth. cap. 26. *vnus veſtrum me traditurus eſt.* Negationem Petri Luc. cap. 22. *Non cantabit hodie Gallus, donec ter abneges noſſe me.*

Luc. 18. Matth. 27. Matth. 26. Luc. 22.

§. 17. TERTIA ratio petitur ex diuerſo euentu Prophetiarum, quarum quædam pollicebantur bona, qualis erat illa Ioëlis cap. 2. *Filij Sion exultate, & lætamini in Domino Deo veſtro: quia dedit vobis Doctorem iuſtitiæ, & deſcendere faciet ad vos imbrem matutinum, & ſerotinum, ſicut in principio, & implebuntur areæ frumento, & redundabunt torcularia vino, & oleo: & reddam vobis annos, quos comedit locuſta, bruchus, rubigo, & eruca.* Quædam minabantur mala: qualis erat illa Iſai. cap. 14. *Vlula porta, clama Ciuitas, proſtrata eſt Philiſtea omnis: ab Aquilone enim fumus veniet, & non eſt, qui effugiat agmen eius.* Ieſus etiam Nazarenus aliquando prædicebat bona futura ad conſolationem ſuorum v. g. lætitiam ſuæ Reſurrectionis Matth. cap. 26. *Poſtquam autem reſurrexero præcedam vos in Galilæam.* Suam in cœlum Aſcenſionem, & miſſionem Spiritus Sancti. Ioan. cap. 6. *Si ergo videritis filium hominis aſcendentem vbi erat prius.* Ioan. cap. 14. *Ego rogabo Patrem meum, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum.* Apoſtolorum prædeſtinationem, & futuram beatitudinem, nec non iudiciariam poteſtatem. Luc. cap. 22. *Ego diſpono vobis, ſicut diſ-*

Ioel. 2. Iſai. 14. Matth. 26. Luc. 22.

poſuit mihi Pater meus regnum, vt edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo: & ſedeatis ſuper thronos iudicantes duodecim tribus Iſrael. Aliquando vero prædicebat mala futura in impiorum confuſionem v. g.
Luc. 13. maximas Iudæorum calamitates. Luc. cap. 13. *Venient dies in quibus dicent: Beatæ ſteriles, & ventres, qui non genuerunt, & vbera, quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus, cadite ſuper nos, & collibus, operite nos.* Similiter prædixit excidium Ciuitatis Ieroſoly-
Luc. 19. mitanæ. Luc. cap. 19. *Venient dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo, & circundabunt te, & coangustabunt te vndique, & ad terram proſternent te, & filios tuos, qui in te ſunt, & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem: eo quod non cognoueris tempus viſitationis tuæ.*

QVARTA ratio petitur ex varijs Prophetarum §. 18.
Maldonat. officijs. Maldonatus in caput 1. Ioan. n. 22. quinque enumerat, quæ omnia Chriſtus exercuit. PRI-
Ierem. 1. MVM eſt mitti à Deo. Ierem. cap. 1. *Ad omnia, quæ*
Matth. 15. *mittam te ibis*: Chriſtus Matth. cap. 15. aiebat: *Miſſus ſum ad oues, quæ perierunt domus Iſrael.* SECVNDVM
Pſal. 50. docere populum: Pſal. 50. aiebat Regius Propheta:
Luc. 4. *Docebo iniquos vias tuas.* Chriſtus Luc. cap. 4. *Docebat in Sinagogis eorum, & magnificabatur ab omnibus.* TERTIVM arguere, & obiurgare eos, qui à via
Iſai 58. Dei aberrabant: Iſai. cap. 58. *Clama ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam: & annuncia populo meo ſcelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.* Chriſtus Matth.
Matth. 23. 23. Scribas & Phariſæos obiurgans clamabat: *Serpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis à iudicio gehennæ.* QVARTVM ad Pœnitentiam adhortari:
Ezechiel 18 Ezechiel. cap. 18. *Agite pœnitentiam ab omnibus ini-*
Luc. 13. *quitatibus veſtris.* Chriſtus Luc. cap. 13. exemplo quorumdam Galilæorum, qui propter ſcelera ſua

à Pilato inter ſacrificia interfecti ſunt: & exemplo octodecim Ieroſolymitanorum, qui ſub ruina turris iuxta riuulum Siloë collabentis oppreſſi perierunt, hortatur peccatores ad Pœnitentiam dicens: *Niſi pœnitentiam habueritis, ſimiliter omnes peribitis.* QVINTVM denique officium Prophetarum eſt: Peccatores ad Deum conuertere: Oſeę cap. 4. *Conuertere Iſrael ad Dominum Deum tuum* &c. Chriſtus Matth. cap. 18. adducto in medium paruulo, ſic alloquebatur Diſcipulos ſuos: *Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini, ſicut paruuli non intrabitis in Regnum cœlorum. Quicunque ergo ſe humiliauerit ſicut paruulus iſte, hic eſt major in Regno cœlorum.* Oſe. 4. Matth. 18.

§. 19. Ex his ſatis, ſuperque probatum videtur Chriſtum fuiſſe verè & propriè Prophetam: & non fuiſſe tantummodo Prophetam appellatum iuxta æſtimationem vulgi, vt voluit Toſtatus, cuius ſententiam Suarez exiſtimauit eſſe valde falſam, eiuſque fautoribus Vazquez non dubitat inijcere temeritatis notam: imo rationes, quibus Toſtatus ſuam probat ſententiam idem Vazquez vocat friuolas: Verum quæ, & quales ſint, quantumque pondus habeant inueſtigemus. Suarez. Vazquez.

§. 20. OBIICIT Toſtatus PRIMO Deus non poteſt eſſe Propheta: Sed Ieſus Nazarenus, ſeu Chriſtus erat Deus: Ergo Ieſus Nazarenus non potuit eſſe Propheta. Majorem probat: quia Deus & Propheta diſtinguntur, cum Deus reuelet, & Propheta recipiat à Deo reuelationem: Quod confirmat ex illo Exod. cap. 7. *Dixit Dominus ad Moyſem: Ecce conſtitui te Deum Pharaonis, & Aaron frater tuus, erit Propheta tuus.* RESPONDEO Chriſtum fuiſſe Deum, & hominem: tanquam Deus reuelabat: & tanquam Exod. 7.

homo accipiebat à Deo reuelationem. Ad illum locum Exod. cap. 7. RESPONDEO Moyſem non dici Deum eſſentialiter, quaſi Deus communicauerit illi naturam Diuinam: ſed analogicè, quia Deus dedit illi tantam authoritatem & potentiam, ad Pharaonem per miracula puniẽdum: vt ipſum Pharao tanquam Deum pertimeſceret, & reuereretur: Aaron etiam non dicitur ſimpliciter Propheta, ſed Propheta Moyſis, ideſt Interpres. Cum enim Moyſes haberet linguę impedimẽtum, eſſetque ruſticus in loquendo, & ineptus ad perſuadendum: Deus dedit ei Aaronem fratrem ſuum in comitem, qui ea, qua pollebat eloquentia plagas in Ægypto à Moyſe faciendas coram Pharaone pronunciaret, aut ipſemet tanquam miniſter Moyſis illas inferret. Vnde patet illum locum Exodi, quem Toſtatus citauit in confirmationem ſui argumenti, nullo modo eius opinioni ſuffragari: nam Moyſes accipiebat à Deo reuelationes, quas Aaron Ægyptijs interpretabatur: quam ob cauſam in cap. 4. eiuſdem libri Aaron os Moyſis à Deo vocatus fuit.

Exod. 4.

OBIICIT SECVNDO obſcura cognitio eſt de eſſentia Prophetię: ſed in Chriſto nulla fuit obſcura cognitio, quia erat Beatus, & vt talis omnia videbat clarè in Verbo: ergo in Chriſto non fuit Prophetia. NEGO MAIOREM: quia S. Thom. in Secunda Secundę quæſt. 171. art. 1. ad 4. ait per Prophetiam tolli obſcuritatis, & ignorãtię velamen in 3 part. quæſt. 7. art. 8. ad 1. negat Prophetiam eſſe cognitionem ænigmaticam: S. Cyrillus Alexand. lib. 3. in Iſai. initio ſeu cap. 25. loquens de Prophetis, ait eos Aduentus tempus velut inſtans animi oculis vidiſſe, & nondum præſens minimè §. 21.

S. Thom.

S. Cyrill. Alex.

ignorauiſſe. S. Auguſt. lib. 5. de Ciuit. Dei cap. 9. Prophetiam vocat luce clariorem: propter quam cognitionis claritatem Prophetę vocabantur Videntes 1. Reg. cap. 9. quę dici non poſſent ſi obſcuritas eſſet de eſſentia Prophetię. AD MINOREM Reſpondeo ex S. Thom. in Secunda Secundę quęſt. 174. art. 5. ad 3. Chriſtum in hoc mundo fuiſſe comprehenſorem, & viatorem. tanquam comprehenſor videbat omnia in Verbo, ſicut Beati, qui non ſunt Prophetę, quia vt ait S. Thom. in 3. part. quęſt. 7. art. 8. in corp. *in nullo noſtrum ſtatum attingunt*, ideſt nullum habent ſtatum viatorum nobiſcum: tanquam viator erat Propheta: quia quamuis clarè cognoſceret omnia in Verbo: tamen inter homines degebat, & cum hominibus conuerſabatur, quod non conuenit Beatis.

S. Aug.

1. Reg. 9.

S. Thom.

S. Thom.

§. 22. OBIICIT TERTIO Matth. cap. 11. Ioannes non dicitur Propheta, ſed pluſquam Propheta: Ergo à fortiori Chriſtus non eſt dicendus Propheta, ſed pluſquam Propheta. RESPONDEO Ioannem Baptiſtam fuiſſe verè, & propriè Prophetam vt patet Matth. cap. 1. Marc. cap. 3. Luc. cap. 3. Ioan. cap. 1. ſed dici pluſquam Prophetam: vel quia in dono Prophetię alijs pręcelluit: vel quia non ſolum prænunciauit Chriſtum venturum, quod alij Prophetę iam fecerant: ſed quia Chriſtum præſentem digito demonſtrauit: *Ecce Agnus Dei* Ioan. cap. 1. quod nullus Prophetarum adhuc fecerat. Chriſtus etiam fuit verè Propheta, quia futura prędixit, abſentia cognouit, cordium ſecreta manifeſtauit: potuit tamen dici pluſquam Propheta: quia in ſcientia Prophetię ordinaria cæteris omnibus Prophetis, imo & Ioanni Baptiſtæ in infinitum antecelluit.

Matth. 1.
Marc. 3.
Luc. 3.
Ioan. 1.

Ioan. 1.

Ioan. 1. INSTABIS ex Euang: S. Ioan. cap. 1. Ioannes §.
Baptiſta interrogatus à Iudæorum Sacerdotibus, & 23.
Leuitis An eſſet Propheta: reſpondit *non*: ſeu negauit ſe eſſe Prophetam, quia iuxta Chriſti dictum
Matth. 11. Matth. cap. 11. erat pluſquam Propheta: Ergo bene negat Toſtatus Ioannem Baptiſtam fuiſſe Prophetam: quia ex Chriſti teſtimonio erat pluſquam Propheta.
S. Io. Chryſ. S. Cyrill. Theophila. Euthym. RESPONDEO ex S. Ioan. Chryſoſtom. homil. 15. in Ioan. S. Cyrill. lib. 1. in Ioan. cap. 24. Theophilacto in cap. 1. Ioannis. Euthym. ibidem Ioannem Baptiſtam reſpondiſſe iuxta interrogantium intentionem. Cum enim Iudęi cognouiſſent ex ſcripturis duos magnos Prophetas mittendos eſſe tempore Aduentus Meſſię: vnum Moyſi promiſſum Deuteronom. cap. 18. *Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum ſimilem tui, & ponam verba mea in ore eius* &c. alterum promiſſum Malach. cap. 4. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini*: ſciſcitati ſunt à Ioanne Baptiſta, an eſſet Chriſtus, an vero alteruter illorum duorum Prophetarum: & cum cognouiſſent eum non eſſe Chriſtum, neque Eliam: interrogauerunt, an eſſet magnus ille Propheta promiſſus Moyſi in Deutero.
Deut. 18. Ioan. 1. cap. 18. Vnde in textu Græco Ioan. cap. 1: Propheta deſcribitur cum articulo, his verbis ὁ Προφήτης εἶ σύ, ideſt: es tu ille Propheta: vt non quicumque Propheta intelligatur: ſed ille Moyſi à Deo promiſſus. Non negauit ergo Ioannes Baptiſta ſe eſſe Prophetam: ſed Prophetam illum, qui expectabatur à Deo promiſſus, quique fuit Chriſtus.

OBIICIT QVARTO quædam ſcripturæ loca, quibus nititur probare Chriſtum non fuiſſe Prophetam formaliter, ſed tantum denominatiuè ſecundum §. 24.

cundum opinionem vulgi. Hæc ſunt eius verba *Licet mulier Samaritana vocauit Chriſtum Prophetam Io. 4. & Iudæi ita dixerunt: Propheta magnus ſurrexit in nobis Luc. 7. & Diſcipuli ſui aliquando eum ſic vocauerunt Luc. 24. De Ieſu Nazareno qui fuit vir Propheta: Illi tamen dicebant hoc quia non cognoſcebant Chriſtum, quis eſſet in veritate: tamē Chriſtus non erat Propheta.* Et paulo poſt: *Aliquando tamen ipſe condeſcendens infirmitati, & ignorantiæ Iudæorum vocabat ſe Prophetam vt patet Luc 13. Ite dicite vulpi illi, quia non capit Prophetam perire extra Ieruſalem: ideſt ego non poſſum occidi extra Ieruſalem. Dicendum ergo quod Chriſtus non erat Propheta.* RESPONDEO hos, & ſimiles locos Scripturæ explicari à Sanctis Eccleſiæ Patribus de Chriſto, quatenus fuit verè, & propriè, ſeu formaliter, & non tantùm denominatiuè Propheta: quam explicationem eſſe germanam, patet ex generali regula explicandæ Scripturæ ſacræ: quam ex S. Auguſtin. lib. 3. de Doctr. Chriſt. cap. 10. refert Ludouic. Molina in 1. part. quæſt. 1. art. 10. diſp. 2. ſcilicet Scripturam ſacram interpretandam eſſe in ſenſu literali proprio, nec recurrendum eſſe ad metaphoram, aut tropum, niſi euidens neceſſitas, aut alia cauſa iuſta cogat, vel Eccleſiæ authoritas aliud doceat: at quæ neceſſitas, aut alia cauſa iuſta cogit explicare analogicè nomen Prophetæ de Chriſto? Dicent Toſtati Adſtipulatores: quia Chriſtus erat Deus, & vt homo erat beatus: ſed vtrumque refutatum eſt in obiection. 1. & 2. necnon in concluſ. probat. 3. ration. 1. circa medium.

S. Aug. Molin.

§. 25. OBIICIT QVINTO alium locum ex Scriptura, vt probet donum Prophetiæ non fuiſſe in Chriſto. Hæc etiam ſunt eius verba: *Quando de eo*

dicitur Iſaiæ cap. 11. quod requieſcet ſuper eum Spiritus Domini: non intelligitur de ſpiritu Prophetiæ: quia ſtatim ſequitur, quis Spiritus eſſet ille: ſcilicet Spiritus ſapientiæ, & intellectus, ſpiritus conſilij, & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ, & pietatis, & replebit eum ſpiritus timoris Domini.

RESPONDEO PRIMO Iſaiam in illo cap. 11. diuidere dona Spiritus Sancti: ſicut Apoſtolus 1. cor. cap. 12. diuidit gratias gratis datas, inter quas numeratur Prophetia: quæ ideo non debuit poni in diuiſione donorum: quamuis dona, & gratiæ emanent ab eodem Spiritu, qui ſuper Chriſtum requieuit. RESPONDEO SECVNDO donum Prophetiæ cõtineri ſub dono ſcientiæ ſupernaturalis, quæ duplex fuit in Chriſto: vna beata, altera infuſa, à quibus non fuit realiter diſtincta cognitio Prophetica, quæ erat in beata Chriſti anima, qui per vtramque ſcientiam cognoſcebat, pręterita, pręſentia, & futura etiam à naturali hominum cognitione remota: quam ob cauſam, quandiu fuit in ſtatu viatorum Propheta fuit.

AD RATIONEM DVBITANDI initio huius controuerſiæ poſitam reſpondendum eſt

AD PRIMVM locum RESPONDEO nomine legis intelligi legem veterem, in qua figuræ adumbrabant, & Prophetę prædicebant Chriſtum venturum, quem Ioannes Baptiſta proprijs oculis intuitus eſt, & digito ſuo monſtrauit: non tamen propterea dicendum eſt in lege noua nullos fuiſſe Prophetas. Nam S. Hieronymus lib. 2. in Matth. cap. 11. refert ex actibus Apoſtolorum cap. 11. Agabum Prophetaſſe: & ex cap. 21. Philippo Diacono fuiſſe quatuor filias virgines prophetantes: ab illis autem temporibus ſucceſſiuè fuiſſe in Eccleſia §. 26.

S. Hieron.

Prophetas experientia comprobatum eſt. Nam quinque prioribus poſt Apoſtolos ſæculis in Eccleſia Dei prophetauerunt Gregorius Taumaturgus ex S. Baſilio in lib. de Spir. ſanct. cap. 29. Antonius ex S. Athanaſio in eius vita: Ioannes Abbas ex S. Auguſt. lib. 5. de Ciuit. Dei cap. 26. Hos ſecutus eſt S. Benedictus, qui vt refert S. Gregor. lib. 2. dialog. cap. 15. dum Totilam Regem Gothorum increparet, ait: multa mala facis, multa mala feciſti, iam aliquando ab iniquitate conquieſce. Equidem Romam ingreſſurus es, mare tranſiturus, nouem annis regnans decimo morieris, quę omnia adimpleta fuiſſe ſuo tempore teſtatur S. Gregorius. Huic ſucceſſerunt innumeri propemodum alij: ex quibus tantùm duos referam & ſanctitate, & Prophetię dono inſignes Franciſcum primum Ordinis Minorum Patriarcham, & Angelum Carmelitam Ieroſolymitanum, qui ſibi Romæ in Eccleſia Lateranenſi occurrentes de ſe inuicem Diuino afflatu oracula ediderunt: nam vt ſcribunt Ioannes Paleonidorus lib. 1. Antiquitatum Montis Carmeli cap. 3. Petrus Lucius in Bibliotheca Carmelitana litera A. Franciſc. Maurolycus in ſuo Martyrologio, die 5. Maij. Petrus de Natalibus in vita S. Angeli: Angelus Franciſco Stigmatum Chriſti in ſuo corpore impreſſionem prædixit, à quo pariter Angelus ſui Martyrij prædictionem accepit: quæ duo oracula in conſpectu S. Dominici edita Baptiſta Mantuanus heroico carmine decantauit in ſuo libr. 5. Faſtor.

S. Baſil. S. Athan. S. Aug. S. Gregor.

Franciſcus Maurolycus Petr. de Natalibus.

Bapt. Mant.

Cum mare tranſiſſes cupiens inuiſere Romæ
Relliquias, ſacros cineres, monumentaque Patrum,
Et Lateranenſis ſtares in limine templi,
Contigit æternis res commemoranda diebus.

Nam Minor Etruſca veniens de monte Lauerna
Ad tua Franciſcus ſeſe veſtigia flexis:
Proſtrauit genibus, ſacris dedit oſcula plantis:
Inſuper adiecit: ſalue Pater Angele Montis
Incola Carmeli, te mors manet inclyta, Chriſti
Teſtis eris, tibi Rex Diuum decus annuet iſtud.
Te quoque Franciſco memorant reſponſa dediſſe
Talia, ſoluenda tanto pro munere grates
O Franciſce Deo: ſed erit tua gloria nuſquam
Inferior, tibi Chriſtus enim ſua vulnera quinque
Imprimet, & fies Chriſti patientis imago,
Domnicus Hiſpanis, qui tunc veniebat ab oris
Forte aderat tam mira notans præſagia Patrum;
Et tulerat caſus mundi hæc tria lumina in vnum.

Io. de Cartagena.

Mantuano ſubſcribit Ioan. de Carthagena Ordinis Minorum de Obſeruantia in ſuo Mariali tom. 4. lib. 17. homilia 3. vbi poſtquam enumerauit aliquos viros ſanctos Ordinis Carmelitarum ex Hiſpania oriundos ſubdidit: *Conſultò vltimo loco refero S. Angelum Ieroſolymitanum inſignem martyrem, qui dono Prophetiæ futura ſolitus vaticinari, Stigmata Domini patriarchæ noſtro D. Franciſco imprimenda fore, præſente B. Dominico prædixit Romæ in Eccleſia S. Ioannis Lateranenſis.*

Suar.

AD SECVNDVM locum RESPONDEO à varijs variè explicari: Nam Suarez ſupra citatus vult Apoſtolũ ibi loqui non de Prophetia, vt eſt cognitio futurorũ: ſed de Prophetia, vt eſt interpretatio ſermonum, & myſteriorum fidei, iuxta quartam ſignificationem nominis Prophetæ ſupra in Notando obſeruatam, quę euacuabitur in Patria per claram Dei viſionem: quia tunc nullus alteri interpretabitur §. 27.

ſermonem: & hic ſenſus non facit contra concluſionem noſtram. Gregor. de Valentia etiam ſupra citatus eumdem locum explicat de Prophetia propriè dicta iuxta modum, quo reperitur communiter in puris hominibus, nimirum obſcurè, & ineuidenter, in quo ſenſu dicitur ab Apoſtolo, *ex parte prophetamus*, non vult tamen obſcuritatem, & ineuidentiam eſſe de eſſentia Prophetiæ: quia Prophetia abſtrahit à claritate, & obſcuritate, vt patet: nam Prophetia in Chriſto cum claritate; in alijs viatoribus cum obſcuritate reperiebatur: Adde quod in Patria obſcuritas euacuabitur: claritas vero manebit cum futurorum cognitione, quæ eſt eſſentia Prophetiæ, cuius vſus habetur in via, euacuatur in patria, vbi nullus alteri futura manifeſtat cum Beati clarè omnia videant in Verbo ex his ſoluitur Argumentum propoſitum: quia quamuis Chriſtus in hoc mũdo beatus eſſet, & omnia in Verbo clarè videret: tamen Propheta erat, & Prophetiæ vſum habebat, quia viator erat. Greg. de Valent.

§. 28. AD TERTIVM locum RESPONDEO PRIMO ſenſum illius non eſſe nullos reperiri in Eccleſia Prophetas, quaſi finierint in Ioanne Baptiſta: nam ipſemet Paulus, qui fuit poſt Ioannem Baptiſtam, imo & poſt Chriſtum numeratur inter Prophetas actor. cap. 13. multa etiam futura prædixit: præſertim vincula, & tribulationes, quæ illum manebant Ieroſolymis act. cap. 20. Et cum in mari tempeſtas horribilis exorta eſſet: nullam ſui Sociorumque amiſſionem præterquam nauis futuram eſſe prædixit act. cap. 27. fatetur etiam ipſe in ſua epiſtola ad Epheſios cap. 4. Chriſtum voluiſſe in Eccleſia eſſe Prophetas: cum de Chriſto loquens ait: *Ipſe dedit*

Act. 13. Act. 20. Act. 27. Epheſ. 4.

quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Euangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores. Neque dicas hic nomen Prophetæ intelligi de Interprete Sermonum: Nam S. Ambroſius explicans illa verba, ait, in nouo teſtamento Prophetas dici tum expoſitores ſcripturarum: tum eos qui in primordio fidei futura prædicebant. Vbi pro exemplis affert Agabum, & filias Philippi Diaconi. S. Ambroſium ſecuti ſunt Nicol. de Lyra, & Gloſa interlinearis.

S. Ambr.

Lyra.
Gloſa.

§. 29. RESPONDEO SECVNDO hanc fuiſſe mentem S. Pauli in cap. 1. epiſt. ad Hebr. vt perſuaderet Hebræis iam ad fidem Chriſti conuerſis Chriſtum eſſe verum Deum: quod antequam aggrediatur probat in principio capitis legem Euangelicam eſſe præſtantiorem Lege Moſaica, hoc modo: *Olim*, ſcilicet in lege veteri, *Deus loquens*, ideſt locutus eſt *Patribus in Prophetis*, ideſt *per Prophetas*, qui tunc temporis in Sinagoga erant quamplurimi, *multifariam*, ideſt multipartitè, ſeu per partes, id ſiquidem ſonat vocabulum Græcum πολυμερῶς: Nam Deus non omnia reuelauit ſingulis Prophetis, ſed quædam vni, quædam alteri, quædam alijs: multiſque modis, Græcè eſt πολυτρόπος, ideſt non apertè, ſed per multas figuras, per ſomnia, per viſiones, per internas locutiones per inſpirationes propheticas: *Nouiſſimè diebus iſtis*, ideſt in lege Euangelica *locutus eſt nobis in filio*, ideſt per filium, cui tanquam Prophetæ maximo omnia ſimul & ſoli reuelauit: & tanquam hæredi vniuerſorum omnes theſauros ſapientiæ, & ſcientiæ, imo & Diuinitatis theſauros impertiuit.

CONTROVERSIA III.

An Ieſus Nazarenus fuerit Sacerdos.

§. 1 PRIMA SENTENTIA facit Chriſtum verum, & propriè dictum Sacerdotem: eſt communis: eius Authores, quia ſunt tum Hæretici, tum Catholici in varias abierunt ſententias, & explicationes. Nam

§. 2 SECVNDA SENTENTIA eſt veterum, & recentiorum Hæreticorum, qui voluerunt Chriſtum eſſeSacerdotem ſecundum naturam Diuinam ſolam: ita Arius, qui apud Euſebium lib. 10. de demonſtratione cap. 1. dixiſſe fertur: *Verbum, vt Pontificem aſſumpſiſſe corpus humanũ inſtar agni de grege noſtro.* Hic error iampridem obierat: ſed eum ab interitu vendicarunt recentiores Hæretici Staniſlaus Sarnicius apud Card. Bellarm. lib. 5. de Chriſt. mediator. cap. 3. dixit *naturam Diuinam eſſe Sacerdotem, & naturam humanam eſſe victimam.* Hunc ſecutus eſt Iuellus quidam natione Anglus, qui in libro quem edidit contra Hardingum ait: *In Chriſto duæ naturæ fuerunt, Deitas, atque humanitas: Chriſtus natura humana immolatus fuit: Diuina vero Sacrificulus extitit.* Arius. Euſeb. Stan. Sarn. Bellarm. Iuell.

§. 3 TERTIA SENTENTIA eſt Hæreticorum noſtri temporis, qui pertinaciter ſuum errorem tuiti ſunt: ſcilicet Chriſtum fuiſſe Sacerdotem ſecundum vtramque naturam, Diuinam & humanam: inter quos numerantur Caluinus in duabus epiſtolis ad Polonos. Ioſias Simlerus in libro contra Stancarum. Martin. Bullingerus & Petrus Martyr in Caluin. Ioſ. Siml. Mart. Bulli. Petr. Mart.

Mart. Kem. duabus alijs epiſtolis ad Polonos. Martin. Kemnitius, qui in lib. de duabus naturis: inter abſurdas ſententias refert, quod Chriſtus ſit mediator ſecundum ſolam naturam humanam.

Fr. Stanch. QVARTA SENTENTIA eſt Franciſci Stanchari, qui apud Card. Bellarm. lib. citato cap. 2. opinatus eſt quidem Chriſtum eſſe Sacerdotem ſecundum ſolam naturam humanam: ſed in hoc errauit, quod Chriſto vt homini ita tribuit officium Sacerdotis, vt ſuppoſito Diuino nihil omnino conceſſerit. §. 4

QVINTA SENTENTIA eſt eorum qui dicunt Chriſtum fuiſſe Sacerdotem ex Ordine Leuitico: pro hac ſententia citantur quidam à Petro Caniſio lib. 1. de Maria Deipar. Virg. cap. 3. ſcilicet Rabbinus quidam, & Philippus Argentarius Theodoſij Imperatoris familiaris. §. 5

Petr. Caniſ. Rabbi. Philip. Argentar.

SEXTA SENTENTIA eſt S. Thomæ in 3. part. quæſt. 22. art. 5. & 6. Suar. tom. 1. in 3. part. diſp. 46. ſect. 4. Gregorij de Valent. tom. 4. diſp. 1. quæſt. 22. punct. 4. Vazquez in 3. part. diſp. 85. & 86. Ioan. de Lugo in 3. part. diſp. 29. ſect. 3. qui aſſerunt Chriſtum fuiſſe Sacerdotem nouæ legis æternum ex ordine Melchiſedech. §. 6

S. Thom. Suar. Greg. de Val. Vazquez. Io. de Lugo.

NOTANDVM PRIMO nullam fuiſſe vnquam legem ſine Sacerdote, nullumque Sacerdotem ſine lege, vt ait Ieremias cap. 18. *lex non peribit à Sacerdote*: ſeu vt ego interpretor Sacerdos non peribit à lege. Tres ſiquidem fuerunt leges à principio mundi, ſcilicet lex naturæ, lex Moyſis, lex Euangelica: ſed nulla fuit ſine Sacrificijs, & conſequenter ſine Sacerdote: quia tanta eſt coniunctio inter hominem, religionem, ſacrificium, Sacerdotem: & è §. 7

Ierem. 18.

contra

contra inter Sacerdotem, Sacrificium, religionem, hominem: vt vnum non poſſit eſſe ſine alio. Nam da mihi hominem oportet habeat in anima aliquam Religionem. Da Religionem, debet illa habere Sacrificium, quo Deum honoret. Da Sacrificium, habebit Sacerdotem, qui illud offerat: ita vt Sacerdos ſit pro Sacrificio, Sacrificium pro Religione, & Religio pro homine.

§. 8 NOTANDVM SECVNDO in lege naturæ primos Sacerdotes fuiſſe capita familiarum: tales fuerunt Caïn & Abel Geneſ. cap. 4. poſt diluuium Noë Geneſ. cap. 10. Melchiſedech Gen. cap. 14. Abraham Gen. cap. 24. in lege veteri Moyſes iuſſu Dei Exod. cap. 29. Leuitic. cap. 8. Aaronem, & filios eius Sacerdotes conſecrauit. Tunc Sacerdotium Leuiticum fuit inſtitutum, Tabernaculum conſtructum, Templum ædificatum, in quo Aaron & filij eius altaria victimarum ſanguine cruentarũt: quos deinceps qui ſubſecuti ſunt Sacerdotes ex tribu Leui oriundi inter ſacrificandum ſunt imitati. Samuel 1. Reg cap. 7. & alij quamplurimi. In lege noua Sacerdotum alij ſunt ſuperiores, vt Epiſcopi; alij inferiores, vt Præsbiteri: vtrique in Eccleſia ſub ſpeciebus panis, & vini Sacrificium incruentum corporis, & Sanguinis Chriſti, quotidie Deo offerentes primùm ſibi, deinde populo ſumendum adminiſtrant.

Geneſ. 4. Geneſ. 10. Gen. 14. Gen. 24. Exod. 29. Leuit. 8. 1. Reg. 7.

§. 9 DICO PRIMO Chriſtum fuiſſe verè, & propriè Sacerdotem. Concluſio hæc eſt de fide.

Probatur PRIMO ex ſcriptura. Hebr. cap. 4. *Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetrauit cælos Ieſum filium Dei*, ibid. cap. 7. *Talis enim decebat nobis, vt eſſet Pontifex ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus*

Hebr. 4. ibid. 7.

à peccatoribus, & excelſior cœlis factus, ibid. cap. 9. *Chri-ſtus aſsiſtens Pontifex futurorum bonorum* &c. Denique
Hebr. 9. S. Paulus in eadem epiſtola à cap. 7. vſque ad 10. continuò diſputat de Sacerdotio Chriſti: cui addo
1. Petr. 2. illud 1. Petr. cap. 2. *Conuerſi eſtis nunc ad Paſtorem, & Epiſcopum animarum veſtrarum.*

S. Cyrill. Probatur SECVNDO ex Concilijs. S. Cyrillus §. 10.
Alexandrin. in epiſt. 10. quæ eſt ad Neſtorium, & Synodum Alexandriæ congregatam explicans illud Pſal. 39. *Sacrificium, & oblationem noluiſti:* ait, *Obtulit enim pro nobis in odorem bonæ fragrantiæ proprium corpus, & non pro ſeipſo,* quæ epiſtola fuit approbata in Con-
Conc. Eph. cilio Epheſino tom. 1. cap. 14. & confirmatur ex Anatematiſmo 10. ex his qui ſunt in fine eiuſdem epiſtolæ. *Si quis Chriſtum etiam pro ſeipſo oblationem, & non magis pro nobis obtuliſſe dicit* (*non enim opus habuit oblatione, qui peccatum non nouit*) *anathema ſit.* Conci-
Conc. Trid. lium Tridentin. ſeſſ. 22. cap. 1. & 2. definiendo docet, & docendo definit Chriſtum eſſe Sacerdotem, qui duplex obtulit Sacrificium: vnum cruentum in ara crucis moriendo: alterum incruentum, ſub ſpeciebus panis, & vini ſuum corpus & ſanguinem relinquendo, vt hoc illius memoriale eſſet ſempiternum.

Greg. Nyſſ. Probatur TERTIO ex Patribus: Greg. Nyſſen. §. 11.
in lib. de perfecti hominis Chriſtiani forma explicans illud 1. cor. cap. 5. *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus:* ait. *Pro nobis verè Paſcha immolatus eſt Chriſtus: Sacerdos autem ſacrificium obtulit Deo idem Chriſtus.*
S. Leo. Leo in epiſtola 23. cap. 4. *Quod vnquam* inquit *Sacrificium ſacratius fuit, quam quod verus Pontifex altari crucis per immolationem ſuæ carnis impoſuit.*

Probatur QVARTO rationibus. PRIMA ratio §. 12.

eſt: vt aliquis verè & propriè ſit Sacerdos duo præcipuè requiruntur. Primum eſt electio à Deo facta: Secundum eſt poteſtas ſacrificandi: Sed Chriſtus fuit à Deo electus Sacerdos, & habuit poteſtatem ſacrificandi: Ergo Chriſtus verè, & propriè fuit Sacerdos. MAIOR probatur ex S. Paulo in epiſt. ad Hebr. cap 4. vbi ait *Omnis namque Pontifex ex hominibns aſſumptus pro hominibus conſtituitur in his quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona, & ſacrificia pro peccatis.* & paulo poſt: *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron*, & ratio eſt: quia neque homo authoritate propria, & placito ſuo poteſt ſeipſum creare Sacerdotem: neque Reſpublica poteſt eligere & creare Sacerdotes, ſicut eligit & creat Reges, Duces, Principes: ſolus Deus id poteſt, quia ſolus circa res ſacras pleniſſimam habet poteſtatem. MINOR habet duas partes: Prima pars eſt, Chri- Hebr. 4.

§. 13. ſtum fuiſſe à Deo electum Sacerdotem. Probatur ex Pſal. 109. vbi dicitur *Dixit Dominus Domino meo ſede à dextris meis:* & paulo poſt *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: tu es Sacerdos in æternum:* & ex eadem epiſt. ad Hebr. loco citato, vbi Apoſtolus dicit: *Chriſtus non ſemetipſum glorificauit, vt Pontifex fieret, ſed qui locutus eſt ad eum: filius meus es tu: ego hodie genui te: quemadmodum; & in alio loco dicit: Tu es Sacerdos in æternum.* Pſal. 109. Hebr. 4.

§. 14. SECVNDA pars eiuſdem Minoris eſt: Chriſtum habuiſſe poteſtatem Sacrificandi: Probatur, quia actu ſacrificauit: Primo quidem in vltima cœna, quando incruentè ſacrificauit ſuum corpus, & ſuum ſanguinem ſub ſpeciebus panis, & vini. Secundo in cruce, quando cruentè per internecionem ſui corporis, & effuſionē ſui ſanguinis ſeipſum hoſtiam puram & immaculatam æterno Patri obtu-

lit ſacrificandum. Confirmatur ex ipſiuſmet Chriſti verbis Ioan. 17. *Pro eis ego ſanctifico meipſum* : ideſt *ſacrifico*, vt explicant S. Chriſoſtom. hom. 81. in Ioan. Cyrillus lib. 4. in Ioan. cap. 12. & lib. 11. cap. 25. Theophilactus, & Euthymius in eum locum. SECVNDA ratio eſt S. Thom. in 3. part. queſt. 22. art. 1. Proprium Sacerdotis officium eſt eſſe mediatorem inter Deum, & populum : idque tribus de cauſis : Primo vt Diuina det Populo: Sacerdos enim vocatur, quaſi ſacra dans. Secundo, vt preces populi Deo offerat. Tertio, vt pro populi peccatis aliqualiter ſatisfaciat Deo. Sed hæc omnia conueniunt Chriſto. Eſt enim mediator Dei, & hominum non ſolum mediatione ſubſtantiali, quia eius perſonalitas duas naturas diuerſas, Diuinam & humanam mirabili vnione hypoſtatica tanquam communi vinculo copulauit: Sed etiam mediatione accidentali, quæ conſiſtit in triplici operatione accidentali. Prima quia per eum Diuina dona hominibus collata ſunt, iuxta illud 2. Petr. 1. *Per quem* (ſcilicet Chriſtum) *maxima & pretioſa nobis promiſſa donauit : vt per hæc efficiamini Diuinæ conſortes naturæ.* Dona autem illa promiſſa ſunt, iuxta Gloſam Ordinariam, vita æterna, aduentus Spiritus Sancti, iuſtificatio, potentia miraculorum, Sacramenta aliaque fidei noſtræ myſteria, quæ in lege veteri fuerant fidelibus promiſſa. Secundo, quia orauit, & ſupplicauit Deo pro hominibus, propter quod Rom. cap. 8. dicitur interpellare pro nobis. S. Ioan. cap. 1. dicitur Aduocatus noſter apud Deum : cuius rei cauſam dat S. Paulus Hebr. cap. 5. *Qui in diebus carnis ſuæ preces ſupplicationeſque ad eum, qui poſſit illum ſaluum facere à morte cum clamore valido, & lachrimis offerens exauditus*

Marginalia: Chriſoſt. Cyrill. Theophila. Euthym. — §. 15. — §. 16. — 2. Petr. 1. — Gloſ. Ord. — Rom. 8. — Hebr. 5.

eſt pro ſua reuerentia. Tertio ſatisfecit Deo de rigore iuſtitię pro peccatis hominum. Ideo Apoſtolus 1. Timot. cap. 2. cum dixiſſet *vnus mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus:* ſubdit rationem dicens: *Qui dedit ſemetipſum in redemptionem pro multis.* 1. Timot. 2.

§. 17. OBIICIES PRIMO Officium Sacerdotis eſt interficere hoſtiam in altari: Sed Chriſtus non interfecit ſeipſum in cruce: Ergo Chriſtus non eſt functus officio Sacerdotis in cruce. RESPONDEO Sacerdotem non tantum eſſe cauſam phyſicam interfectionis hoſtiæ, ſed etiam poſſe aliquando eſſe ipſius cauſam moralem: ſi nimitum non impediat eius internecionem, cum poſſit: aut hoſtiam certæ morti exponat. Chriſtus exiſtens in cruce ſeipſum phiſicè non interfecit, ſed fuit cauſa moralis ſuæ internecionis: quia non impediuit mortem per ſuam Diuinitatem, & omnipotentiam, ſicut poterat, & antea ſæpius fecerat, quotieſcumque quærebatur ad mortem & nondum venerat hora eius Ioan. cap. 7. Nam ita perterrefecerat hoſtes ad prolationem illorum verborum, *Ego ſum*, vt abierint retrorſum, & ceciderint in terram. Ioan. cap. 18. Reddiderat etiam ſe inuiſibilem Iudæis, qui eum ex montis ſupercilio præcipitare volebant Luc. cap. 4. Imo potuit petere à Patre ſuo pluſquam duodecim legiones Angelorum, qui eum contra Iudæos tutarentur Matth. cap. 26. Poterat denique ex redundantia gloriæ animæ ſuæ in corpus reddere illud impaſſibile, ſicut contigit in Transfiguratione Matth. cap. 17. Verum liberè euidentiſſimo mortis periculo ſe expoſuit, dum veniẽtibus Iudæis, vt eum apprehenderent occurrit, dixitque: *Quem quæritis?* Qui cum reſpondiſſent *Ieſum Nazarenum*: ait, *Ego ſum.* Ioan.

Ioan. 7. Ioan. 18. Luc. 4. Matth. 26. Matth. 17. Ioan. 18.

cap. 18. tunc ſicut ouis ductus eſt ad occiſionem, & oblatus eſt quia ipſe voluit, Iſai. cap. 53. & in crucem affixus ſeipſum pro hominibus *ſanctificauit* Ioan. cap. 17. ideſt, vt explicat S. Ioan. Chriſoſtomus hom. 81. in Ioan. in Sacrificium, & hoſtiam obtulit. Inſtabis, &

Isai. 53. Ioan. 17. Io. Chryſ.

§. 18. Obiicies secundo: hoc modo martyres poterunt dici Sacerdotes: quia ſunt cauſæ morales ſuæ internecionis: quandoquidem tormenta non fugiunt: ſed vltro Tyrannis ſe obijciunt excarnificandos, & ineuitabili morti ſe exponunt, vt Deum eſſe ſupremum Dominum per vitæ ſanguiniſque effuſionem coram hominibus confiteantur. Respondeo martyres propterea non dici Sacerdotes: quia eis deeſt præcipua Sacerdotis conditio, quæ eſt electio à Deo facta. Quod ſi Deus homines eligeret Sacerdotes ad ſeipſos ſacrificandos: ſiue per ſuioccisionem, quod iubente Deo poſſet fieri: ſiue per acceptationem mortis à carnificibus illatæ, verum offerrent Sacrificium tanquam legitimi Sacerdotes à Deo ad hoc officium inſtituti.

§. 19. Obiicies tertio ex epiſt. ad Hebr. cap. 5. Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus debet offerre Sacrificia pro peccatis: non tantùm pro Populo: ſed etiam pro ſemetipſo: Sed Chriſtus non potuit offerre Sacrificium pro ſemetipſo: quia peccatum non fecit, 1. Petr. cap. 2. Respondeo primo Apoſtolum in eadem Epiſtola cap. 7. excipere Chriſtum, quem ait fuiſſe *innocentem, ſanctum, ſegregatum à peccatoribus: qui non habuit neceſſitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, priùs pro ſuis delictis hoſtias offerre: deinde pro Populi.* Respondeo secundo duplicem eſſe effectum Sacrificij Chriſti: vnus §. 20.

Hebr. 5. Hebr. 7.

eſt expiatio peccatorum: alter meritum: primus non pertinuit ad Chriſtum, ſed ad homines: ſecundus vero pertinuit ad Chriſtum: Nam per ſuum Sacrificium in cruce oblatum meritus eſt primo corporis ſui gloriam Luc. cap. 24. *Nonne oportuit hæc Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam*: ſecundo nominis ſui exaltationem Philip. cap. 2. *Humiliauit ſemetipſum factus obediens, vſque ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod & Deus exaltauit illum; & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen* &c. Potuit etiam pro ſemetipſo Sacrificium illud idem offerre in gratiarum actionem de beneficijs acceptis: tum quia ſecundum humanitatem erat ſubditus Deo: tum quia Deum ſupremum Dominum, & vitæ, mortiſque authorem agnoſcebat, & profitebatur.

Luc. 24.

Philip. 2.

§. 21. DICO SECVNDO Chriſtum non potuiſſe eſſe Sacerdotem ſecundum naturam Diuinam ſolam. Hæc concluſio eſt contra Authores Secundæ Sententiæ: ſed

Probatur: quia Officium Sacerdotis eſt Sacrificare, preces ſupplicationeſque ad Deum offerre, & aliqualiter ſatisfacere Deo pro peccatis populi: Sed Chriſtus ſecundum naturam Diuinam ſolam non potuit Sacrificare, nec preces ſupplicationeſque ad Deum offerre, nec ſatisfacere pro peccatis populi: Ergo Chriſtus ſecundum naturam Diuinam ſolam non potuit fungi officio Sacerdotis. MAIOR Probatur à S. Paulo in epiſtol. ad Hebr. cap. 5. 8. 9. & à S. Thom. in 3. part. quæſt. 22. art. 1. Patet etiam ex mox dictis in ſecunda ratione ſuperioris Concluſionis. MINOR Probatur: quia ille qui ſacrificat eſt minor eo, cui ſacrificat: ille qui ſupplicat eſt inferior eo, cui ſupplicat, ſicut & ille qui ſatisfacit pro

Hebr. 5.
S. Thom.

peccatis aliorum. Chriſto autem ſecundum naturam Diuinam nullus eſt major, nullus ſuperior: quandoquidem in Trinitate nulla eſt prioritas, nulla poſteritas, nulla ſuperioritas, nulla inferioritas: ſed inter perſonas Diuinas ſumma, & omnimoda reperitur æqualitas. CONFIRMATVR primo, quia implicat contradictionem Deum vt Deum ſubeſſe alicui: Sacerdotium autem eſt poteſtas ſub Deo, collata à Deo, ad Deum ſupremo Latriæ cultu honorandum: Ergo implicat contradictionem Chriſtum vt Deus eſt, ſeu ſecundum naturam Diuinam ſolam eſſe Sacerdotem. CONFIRMATVR ſecundo: Arianiſmus eſt dicere filium Dei æternum eſſe minorem Deo Patre: hoc dixerunt Ariani, quia putabant filium eſſe creaturam Patris: & ſic in eſſe, & in fieri dependere à Patre: hæc autem hæreſis damnata fuit in Concilio I. Nicæno, cui interfuerunt 318. Epiſcopi: vbi etiam Arius fuit condemnatus: Ergo qui dicit Chriſtum Filium Dei æternum ſecundum naturam Diuinam eſſe Sacerdotem Arianus eſt: quia dicit Filium Dei æternum eſſe Patre æterno minorem. §. 22.

Conc. Nicæn. I.

DICO TERTIO Chriſtum non fuiſſe Sacerdotem ſecundum vtramque naturam, Diuinam ſcilicet, & humanam. Concluſio hæc eſt contra Caluinum, Bullingerum, Kemnitium, & alios Authores citatos in tertia ſententia, quæ inclinat in hæreſim Eutychetis. §. 23.

Probatur, quia operatio Sacerdotalis, qualis eſt Sacrificare, Satisfacere, preces, ſatisfactioneſque offerre, vel eſt operatio humana elicita ab humanitate: vel Diuina elicita à Diuinitate: vel vtraque ſimul confuſa, atque ex Diuina; & humana mixta:

ſi prim.

ſi primum, vera eſt quarta ſententia, ſcilicet Chriſtum eſſe Sacerdotem ſecundum ſolam naturam humanam: ſecundum dici non poteſt, quia impoſſibile eſt aſſignare per quid, aut cur illa operatio conueniat potiùs Filio Dei, quam Patri, aut Spiritui Sancto, cum opera Trinitatis ad extra ſint indiuiſa, & communia tribus Perſonis: Si tertium, patet aditus ad hæreſim Eutychetis, qui vt contradiceret Neſtorio, qui ponebat in Incarnatione duas naturas, & duas perſonas, voluit quidem in Chriſto ante vnionem hypoſtaticam fuiſſe duas naturas, Diuinam, & humanam: poſtea vero ex Verbo, & carne factam fuiſſe vnam naturam, vnamque perſonam, cuius operatio eſſet mixta ex Diuina, & humana, ſicut & natura.

§. 24. DICO QVARTO Chriſtum fuiſſe Sacerdotem ſecundum ſolam naturam humanam, à Verbo Diuino ſuppoſitatam: Concluſio hæc eſt contra ſupradictos Hæreticos & ex parte contra Franciſcum Stancharum: eſt tamen communis Theologorum magni nominis.

Probatur PRIMO ex ſcriptura: Hebr. cap. 5. vbi Apoſtolus narrat Chriſtum à Deo Sacerdotem fuiſſe inſtitutum, & in carne paſſibili pro hominibus ſibi obtemperantibus Sacrificium obtuliſſe: hæc ſunt eius verba: *Qui in diebus carnis ſuæ preces, ſupplicationeſque ad eum, qui poßit illum ſaluum facere à morte cum clamore valido, & lachrymis offerens exauditus eſt pro ſua reuerentia.* Ex quibus colligit S. Thom. art. 4. ad 1. orationem illam pertinuiſſe ad Chriſti Sacerdotium ſecundum paſſibilitatem carnis: cum afferatur ab Apoſtolo ad confirmandum id, quod antea dixerat ſcilicet Chriſtum eſſe Sacerdotem.

Hebr. 5.

S. Thom.

S. Ambroſ. Probatur SECVNDO ex Patribus. S. Ambro- §.
ſius lib. 3. de fide cap 10. ait, *Sacerdotium humanæ* 25.
S. Cyril. Alc. *conditionis eſt*. S. Cyrill. Alex. in Apologet. pro duo-
decim capitibus contra Orientales in defenſione
Anathematiſmi decimi: *Quando factus eſt homo*, in-
quit, *vocatus eſt Pontifex. Audiens quod dictus eſt Sa-*
S. Auguſt. *cerdos propter humanitatem erubeſcis ne?* S. Aug. lib. 10.
de Ciuit. Dei cap. 20. *Chriſtus Ieſus cum in forma Dei
ſacrificium cum Patre ſumat: tamen in forma ſerui Sacrifi-
cium maluit eſſe, quam ſumere, ne vel hac occaſione quiſ-
quam exiſtimaret cuilibet ſacrificandum eſſe creaturæ. Per
hoc & Sacerdos eſt: ipſe offerens: ipſe oblatio.* Idem dicit
in lib. de fide ad Petrum cap. 2. circam finem. *Idem
ſcilicet Sacerdos & Sacrificium: idem Deus, & Templum.
Sacerdos per quem ſumus reconciliati: Sacrificium quo recon-
ciliati: Templum, in quo reconciliati: Deus, cui reconciliati.
Solus tamen Sacerdos, Sacrificium, & Templum: & hæc om-
nia Deus ſecundum formam ſerui.*

Probatur TERTIO rationibus. PRIMA pe- §.
titur ex refutatione aliarum ſententiarum: Nam 26.
Chriſtus non eſt Sacerdos ſecundum naturam Di-
uinam ſolam: neque ſecundum vtramque ſimul, vt
patet ex 2. & 3. concluſione: ergo ſecundum natu-
ram humanam ſolam. SECVNDA. Idem, vt idem
non poteſt acceptare Sacrificium, & illud offerre:
Sed Chriſtus vt Deus acceptat Sacrificium: Ergo
vt homo illud offert: ergo vt homo eſt Sacerdos:
S. Cyrill. Alexand. Hæc ratio eſt S. Cyrilli Alexand. loco citato: vbi ait
*Chriſtum Pontificem non majori Deo offerre Sacrificium: ſed
ſibi ipſi & Patri*: quibus verbis non ſolum affirmat
Chriſtum eſſe Sacerdotem ſecundum humanita-
tem: ſed etiam negat eundem eſſe ſacerdotem ſe- §.
cundum Diuinitatem. TERTIA ratio petitur ex 27.
cap. 13. Actor. vbi hæc verba Græca λειτουργούντων

δὲ αὐτῶν τῷ κυρίῳ vertuntur Latine ab Eraſmo *Sacrificantibus autem illis Deo*: & verſio vulgaris habet: *Miniſtrantibus autem illis Domino*: ex quibus ambabus verſionibus hoc colligitur Argumentum: Sacrificare Deo idem eſt, ac miniſtrare Deo: Sed Chriſtus eſt miniſter Dei ſecundum humanam naturam ſolam: Ergo & Sacerdos ſecundum humanã naturam ſolam. Hæc etiam ratio eſt S. Cyrilli Alexand. non longè à fine lib. 2. de recta fide ad Reginas: dum explicat illa verba Hebr. cap. 8. *Talem habemus Pontificem, qui conſedit in dextera ſedis magnitudinis in cælis Sanctorum miniſter, & Tabernaculi veri*. vbi ita loquitur: *Quod autem licet dicatur miniſtrare, non minor ſit Patre, neque minus nobilis illo euidenter commoſtrat, quod ipſe in diuinis tribunalibus ſedet, & ad dexteram conſtitutus eſt Genitoris. Si enim verum eſt, quod omnis Sacerdos ſtat ſemper miniſtrando, nec vnquam intelligitur ſimul ſedens, & æqualis gloriæ cum eo, cui ſeruit, Deo: quomodo non inſolito modo Sacerdos eſt Chriſtus, qui & in Deitatis ſoliis ſedet, vt Deus, & miniſter eſt, vt homo.* Quod videtur ſumptum ex Luc. cap. 22. *Quis major eſt qui recumbit, an qui miniſtrat? nonne qui recumbit?* Chriſtus enim ſecundum humanitatem eſt minor Patre: ſecundum Diuinitatem æqualis eſt Patri. QVARTA ratio eſt:

§. 28. Chriſtus ſecũdum naturam humanam eſt mediator Dei, & hominum: Ergo ſecundum eamdem naturam eſt Sacerdos. CONSEQVENTIA patet: quia omnis Sacerdos eſt mediator: quamuis non omnis mediator ſit Sacerdos. ANTECEDENS Probatur 1. Timoth. cap. 2. *Vnus Deus, vnus Mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus*: Cum enim ibi Apoſtolus diſtinguat Deum à mediatore, & addat vocem [homo] indicat Chriſtum fuiſſe mediato-

Act. 13.
Eraſm.
S. Cyrill. Alexand.
Hebr. 8.
Luc. 22.

rem ſecundum naturam humanam; ita S. Auguſt. tract. 82. in Ioan. lib. 2. de peccat. origin. cap. 28. & ſermon. 11. de verbis Apoſtoli. Confirmatvr §. 29.
Officia & operationes mediatoris ſcilicet ſatisfacere, redimere ſunt ad alium, & ad ſuperiorem: Sed Chriſtus, vt Deus non eſt alius à Deo, cui ſatisfit, cum ipſimet Chriſto, vt Deo fiat ſatisfactio: nullumque agnoſcit ſuperiorem: ergo Chriſtus vt homo propriè, & formaliter fuit mediator. Dixi in concluſione: naturam humanam ſuppoſitatam à Verbo: quia Suppoſitum Diuinum dedit valorem actionibus mediatoris: valorem inquam pretij infiniti: Siquidem omnia officia mediatoris elicita ab humanitate non habuiſſent infinitam dignitatẽ ad redimẽdum genus humanũ, niſi humanitas fuiſſet Diuinæ perſonæ, & conſequenter Diuinæ naturæ vnita.

Obiicies primo illud Chriſti Ioan. cap. 10.
Ioan. 10. *Ego pono animam meam, vt iterum ſumam eam*: quæ verba explicans Caluinus in epiſt. ad Polonos, ait, *Hoc* §. 30.
Caluin. *mediator dicit: non tamen vt homo ſed vt Deus: nemo enim habet arbitrium vitæ, & mortis, niſi Deus.* Ex quibus colligitur hoc Argumentum: Ponere animam pro ouibus ſuis: eſt fungi munere Sacerdotis: Sed Chriſtus vt Deus poſuit animam ſuam pro ouibus ſuis: Ergo Chriſtus vt Deus functus eſt munere Sacerdotis. Major probatur his verbis Caluini, *hoc dicit mediator*: ideſt Sacerdos: Minor etiam probatur his verbis: *Nec tamen dicit vt homo, ſed vt Deus*: Confirmatur verbis ſequentibus: *Nemo enim habet arbitrium vitæ, & mortis, niſi Deus.* Respondeo majorem eſſe veram: quia tunc verè Chriſtus functus eſt munere Sacerdotis, quando animam ſuam poſuit in cruce: ſed nego minorem: nam Chriſtus non vt Deus, ſed vt homo pronunciauit illa verba: §. 31.

Ego pono animam meam: vt iterum ſumam eam. Caluino oppono S. Auguſtinum, qui in lib. 3. contra Maximum cap. 14. *Maximè* inquit, *vt homo loquitur, Poteſtatem habeo ponendi animam meam.* Oppono etiam S. Ioan. Chryſoſtomum, qui in hom. 59. in Ioan. explicans eadem Chriſti verba: ait: *Quod ſi tanquam homo hic loquitur, noli admirari: ſæpe enim cauſam expoſuimus, idem repetere eſt moleſtum, & ſuperfluum.* Vterque ſui dicti rationem dat. Ratio S. Auguſtini eſt in tract. 47. in Ioan. Quia in Chriſto tria ſunt, ſcilicet Verbum, anima, caro. Verbum non poſuit animam, quia ei ſemper vnitum fuit, etiam quando erat in Limbo. Non anima: quia abſurdum eſt dicere animam à ſe ipſa ſeparari. Caro ergo eſt quæ animam ſuam poſuit, eamque iterum ſumpſit, non poteſtate ſua, ſed eius, qui & animam & carnem vbi hæc adimpleretur aſſumpſit. Ratio S. Ioannis Chryſoſtomi eſt in eadem homil. 59. in Ioan. vbi nomine animæ intelligit vitam corporalem: quod frequenter fit in ſcriptura. Iob. cap. 2. *Cuncta, quæ habet dabit homo pro anima ſua.* Matth. cap. 2. *Mortui ſunt enim qui quærebant animam pueri.* Ioan. cap. 10. *Bonus Paſtor dat animam ſuam pro ouibus ſuis* cap. 13. *Animam meam pono pro te.* cap. 15. *Majorem charitatem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* vt ſit ſenſus: Ego vt homo per mortem amitto vitam meam corporalem, vt eam poſtea recuperem per reſurrectionem. Mori enim, & reſurgere conueniunt per ſe homini, non autem Deo: quamuis Dei ſit dare poteſtatem homini ad libitum ponendi animam ſuam, eamque iterum aſſumendi intra certum temporis ſpatium, verbi gratia triduum, iuxta illud Ioan. cap. 2. *Soluite Templum hoc, & in tribus die-*

S. Aug. — S. Io. Chryſ. — S. Aug. (§. 32.) — S. Io. Chryſ. (§. 33.) — Iob. 2. — Matth. 2. — Ioan. 10. — Ioan. 2.

bus excitabo illud. Et per hoc patet reſponſio etiam ad Confirmationem minoris.

Caluin. OBIICIES SECVNDO etiam ex Caluino loco citato. Remittere peccata, & dare Spiritum Sanctum ſunt duo officia Sacerdotis: citat S. Augusti- §. 34.
S. Aug. num in Enchirid. cap. 33. Sed Chriſtus remittebat
Matth. 9. peccata Matth. cap. 9. Luc. cap. 5. & dabat Spiri-
Ioan. 20. tum Sanctum Ioan. cap. 20. Ergo Chriſtus exercebat illa duo officia Sacerdotis: ſed non ſecundum naturam humanam: quia remittere peccata, & dare Spiritum Sanctum nemo poteſt niſi ſolus Deus. Marc. cap. 2. Ergo ſecundum naturam Diuinam. RESPONDEO Solum Deum remittere peccata, & dare Spiritum Sanctum propria & ſuprema au- §.
thoritate, nec non ſupremo iure remittendi pec- 35.
cata, & dandi Spiritum Sanctum: non tamen id obſtat, quin Sacerdos reconciliet homines Deo remittendo peccata, & dando Spiritum Sanctum, tanquam Dei miniſter, authoritate à Deo accepta: quæ poteſtas reperitur principaliter in Chriſto, non vt Deo, ſed vt homine: in alijs vero Sacerdotibus dependenter à Chriſto.

Caluin. OBIICIES TERTIO etiam ex Caluino: eſſe Magiſtrum, & docere eſt aliud officium Sacerdotis: §.
Sed Chriſtus erat Magiſter, & docebat: tum vt Deus: 36.
S. Aug. quia ex S. Auguſtino quem citat Caluinus in libro de magiſtro cap. 11. Solus Deus eſt verè magiſter, qui docet hominem ſcientiam. Pſal. 93. tum vt homo, quia palam loquebatur, & docebat in Sinagoga
Ioan. 18. Ioan. cap. 18. Ergo Chriſtus vt Deus, & vt homo exercuit officium Sacerdotis. RESPONDEO eſſe §.
magiſtrum, & docere ſumi duobus modis. Primo 37.
principaliter pro magiſtro, qui per internam inſpi-

rationem docet hominem ſcientiam illuſtrãdo eius intellectum: hic modus conuenit ſoli Deo, nec homini conuenire poteſt. Secundo inſtrumentaliter pro magiſtro, qui docet extrinſecè proponendo rem tanquam Dei interpres: hic modus conuenit homini, & non Deo. Chriſtus vt Deus magiſter erat, & docebat primo modo: ſed vt homo erat magiſter, & docebat ſecundo modo: erat enim inſtrumentum Diuinitatis, non ſeparatum, qualia inſtrumenta erant Prophetæ, & Apoſtoli, alijque Sacerdotes, ſed coniunctum: ideoque exercuit illud officium Sacerdotis ſecundum naturam humanam, & ſecundum naturam DIUINAM.

§. 38. OBIICIES QVARTO Sacrificium à Chriſto oblatum in cruce fuit vna ex operationibus Chriſti, quas S. DIONYſius in epiſtola 4. ad Caium vocat Theandricas, ideſt DEI viriles: ſeu humanè DIUINAS, aut DIUINÈ humanas: Ergo Chriſtus, qui illud obtulit fuit Sacerdos ſecundum vtramque naturam: nullus enim homo purus poteſt elicere operationes DIUINAS. RESPONDEO operationes Chriſti poſſe dici Theandricas duobus modis: Primo quando ſunt partim DIUINÆ, partim humanæ: Verbi gratia, Quando Chriſtus Ioan. cap. 9. reſtituit viſum cœco nato applicando oculis eius lutum: applicatio luti erat operatio humana, & reſtitutio viſus erat operatio DIUINA: atque hoc modo miracula à Chriſto facta dicuntur opera Theandrica. Secundo quando ſunt propriè humanæ, & principaliter elicitæ ab humanitate: ſed accipiunt valorem à perſona Verbi: & hoc modo Oratio Chriſti, ſatisfactio rigoroſa, & hominum redemptio dicuntur operationes Theandricæ: quia ſunt purè humanæ, ab humanitate,

S. Dionyſius

Ioan. 9.

quæ ex ſua natura id habet, elicitæ: & accipiebant valorem infinitum à ſuppoſito Diuino: & in hac operationum Theandricarum ſpecie reponitur Sacrificium à Chriſto oblatum: quia dicit formaliter actionem humanitatis connotando Suppoſitum Verbi. Ex quo fit, vt Chriſtus dicatur Sacerdos ſecundum naturam humanam ſolam.

OBIICIES QVINTO multa loca ex ſcriptura, & ex Patribus, quæ videntur tribuere Deo, aut Verbo Diuino actionem mediatoris, & Sacerdotis, vt quando Deus dicitur pro hominibus mori, reconciliaſſe ſibi homines, mediatorē debere eſſe Deum, & hominē: quæ loca breuitatis cauſa prætermitto: ſed RESPONDEO tribus modis poſſe explicari. PRIMO de communicatione Idiomatum, vt cum mors tribuitur Deo. SECVNDO de valore, & pretio infinito: nam actiones Chriſti Sacerdotis nunquam habuiſſent dignitatem infinitam, valoremque infinitum ad redimendum homines, niſi eius humanitas fuiſſet hypoſtaticè vnita Diuinitati. TERTIO de principio *quod*: multi enim dicunt Chriſtum, vt hominem, ſeu ratione humanitatis fuiſſe mediatorem tanquam principium *quo*, & formale eliciens operationes mediatoris: vt Deum verò ſeu ſecundum Diuinitatem, & ſuppoſitum Verbi fuiſſe mediatorem tāquam principium *quod*, ſeu tribuens vim, & efficaciam prædictis actionibus: ideoque diuerſis reſpectibus Chriſtum vt hominem, & Deum fuiſſe mediatorem. §. 39.

DICO QVINTO Ieſum Nazarenum non fuiſſe Sacerdotem Templi Ieroſolymitani ex ordine Leuitico. Concluſio hæc eſt contra Authores quintæ ſententiç. §. 40.

Proba-

Probatur PRIMO ex Scriptura. Vnum tantùm proferam locum Apoſtoli, qui iuxta præceptum à Deo datum Moyſi de conſecrando Aarone, eiuſque filijs in Sacerdotes religione perpetua Exod. cap. 29 Exod. 29.
Leuitic. cap. 8. loquens de Christo in epiſt. ad Hebræos cap. 7. ait: *In quo enim hæc dicuntur de alia Tribu eſt, de qua nullus vnquam altari præſto fuit. Manifeſtum eſt enim, quod de Iuda ortus ſit Dominus noſter: in qua Tribu nihil de Sacerdotibus Moyſes locutus eſt.* Ex quo loco duo colliguntur. Primo Chriſtum non fuiſſe de Tribu Leui, ſed de alia Tribu, de qua nullus vnquã altari præſto fuit: ideſt miniſtrauit, aut Sacerdotio functus fuit. Secundo Apoſtolum clarè dicere Chriſtum fuiſſe de Tribu Iuda, de qua nec Moyſes quicquam dixit: nec Deus per Moyſem quidquam inſtituit de Sacerdotibus ex ea eligendis, vel conſecrandis: ex quibus reſultat hoc Argumentum: Nullus de Tribu Iuda fuit Sacerdos ordinis Leuitici: Sed Chriſtus fuit de Tribu Iuda: Ergo Chriſtus non fuit Sacerdos ordinis Leuitici.

§. 41. Probatur SECVNDO ratione: quia ſi Chriſtus fuit Sacerdos ordinis Leuitici in templo Salomonis, ſeu legis Moſaïcæ: hoc habuit: vel inſtitutione peculiari Dei tanquam ſupremi omnium rerum Domini: vel origine, & ſucceſſione: vel libera populi, aliorumque Sacerdotum electione: Sed nullum horum trium dici poteſt: Non primum, quia nec per ſcripturas, nec per aliquam Eccleſiæ traditionem habetur vlla de tali inſtitutione reuelatio: Non ſecundum: quia quamuis Chriſtus eſſet de Tribu Leui ſecundum lineam fœmineam ex parte Matris, quæ filia erat Annæ vxoris Ioachim, & filiæ Sacerdotis Mathan, vt referunt Nicephorus lib. 2. cap. 3. ex S. Niceph.

Petr. Caniſ. Hypolito Martyre Petrus Caniſius lib. 1. de Maria Deipar. Virg. cap. 4. & Baronius in Apparatu: tamen erat de Tribu Iuda, ſecundum lineam virilem: tum æſtimatiuè, quia putabatur filius Ioſeph: tum reipſa: quia Pater Matris eius Ioachim erat de Tribu Iuda, ſicut & Pater eius putatiuus: Sacerdotes autem Templi Iudaïci origine, & ſucceſſione eligebantur, & conſecrabantur tantùm illi, qui erant de Tribu Leui procreati, non ſecundum lineam fœmineam, ſed ſecundum lineam maſculinam: Non tertium: §.
quia nec populus eligere, nec Sacerdotes conſecrare poterant aliquem, qui non eſſet idoneus ad Sacerdotium: nullus autem ad talem electionem, vel conſecrationem erat idoneus, niſi eſſet de Tribu Leui, non ſecundum lineam fœmineam, ſed ſecundum lineam virilem: Ergo nec Sacerdotes, aut populus potuerunt eligere, ſeu conſecrare Chriſtum in Sacerdotem: nec Chriſtus ipſe potuit eligi, & conſecrari à Sacerdotibus iuxta decretum legis latę à DEO Exod. cap. 29. Leuit. cap. 8. & 1. Reg. cap. 2. 42.
Exod. 29. Leuit. 8. 1. Reg. 2. quibus in locis Sacerdotium ſoli Aaroni, eiuſque filijs committitur. Vnde Ozias Rex in medio Sacerdotum fuit à DEO lepra punitus, & manſit lepro- §. 43.
2. Paral. 26. ſus vſque ad diem mortis ſuæ 2. Paralip. cap. 26. eo quod Sacerdotum munus vſurpans in Templo adoleuiſſet incenſum ſuper altare Thimiamatis: cum tamen ſecundum lineam maternam ex Tribu Leui deſcendiſſet: ſecundum vero lineam paternam ex Tribu Iuda, quæ erat Tribus Regia, ſicut tribus Leui erat Tribus Sacerdotalis.

Petr. Caniſ. OBIICIES PRIMO ex Petro Caniſio Philippum Argentarium Theodoſij Imperatoris familiarem locutum fuiſſe cum quodam Rabbino, qui aſſe- §. 44.

rebat ſe legiſſe in libro in quo ſcribebantur nomina omnium, & ſingulorum Sacerdotum, qui Templo Ieroſolymitano pro veteri more inſeruire conſueuerant. Referebat autem mortuo quodam Sacerdote ex illis, cuius nomen erat ſcriptum in illo libro, Chriſtum in demortui locum fuiſſe ſuffectum communi aliorum Sacerdotum conſenſu: factoque examine de eius Genealogia fuiſſe conſecratum, & in album aliorum Sacerdotum ſolemniter relatum, vt deinceps Sacerdotio Aaronico, cum alijs publicè fungeretur: quod vt facilius perſuaderet Philippo Argentario Rabbinus ille dicebat librum illum cuſtoditum fuiſſe Ieroſolymis in Iudæorum Archiuijs: ſed tempore excidij Ieroſolymitani fuiſſe Tyberiadem tranſportatum, vt ibi repoſitus cuſtodiretur. Idem etiam narrat Suidas verbo Ieſus. RESPONDEO Suidas.
§. PRIMO narrationem illam Rabbini eſſe fabuloſam,
45. nec pertinere ad Hiſtoriam Suidæ, ſed eſſe fragmentum, aut potius inane commentum, quod forſitan aliquis parum pius, multum imperitus Suidæ operibus agglutinauit. RESPONDEO SECVNDO non eſſe credibile Iudæorum Pontifices vnquam permiſiſſe, vt filius Mariæ ad Sacerdotium eligeretur, quem capitaliſſimo odio proſecuti ſunt à tempore natiuitatis vſque ad diem mortis eius. Vocauerunt eum filium Fabri Matth. cap. 13. Samaritanum, & Dæmoniacum Ioan. cap. 8. Dicebant non eſſe hominem à DEO, quia non cuſtodiebat Sabbatum Ioan. cap. 9. Calumniabantur dicentes eum eijcere Dæmonia in nomine Beelzebub Principe Dæmoniorum Luc. cap. 11. Arguebant blaſphemia Marc. cap. 2. Luc. cap. 5. Tulerunt lapides, vt iacerent in eum, & lapidarent Ioan. cap. 8. Repleti

Matth. 13. Ioan. 8. Ioan. 9. Luc. 11. Marc. 2. Luc. 5. Ioan. 8.

ſunt omnes in Sinagoga ira, eiecerunt eum extra
Ciuitatem, duxerunt ad ſupercilium montis, vt prę-
Luc. 4. cipitarent eum Luc. cap. 4. Tandem eum excom-
municauerunt, & omnes eos, qui eum vocarent
Ioan. 9. Chriſtum Ioan. cap. 9. Et quomodo eligerent eum
in Sacerdotem, quem turpiſſima morte condemnari
procurauerunt?

OBIICIES SECVNDO Chriſtus ſæpe functus §.
eſt officio Sacerdotis in Templo Salomonis. Nam 46.
PRIMO fecit flagellum de funiculis Matth. cap.
Matth. 21. Ioan. 2. 21. Ioan. cap. 2. intrauit in templum: in eo inuenit
ementes, & vendentes columbas, oues, boues, alia-
que animalia, & volatilia pro Sacrificijs, quos fla-
gello fugauit: & menſas numulariorum ſubuertit:
& ait: *Auferte iſta hinc, & nolite facere domum Patris
mei domum negotiationis. Recordati ſunt vero Diſcipuli
eius, quia ſcriptum eſt: Zelus domus tuæ comedit me.*

SECVNDO ingreſſus in Sinagogam die Sabbati §.
Luc. 4. Luc. cap. 4. Surrexit legere: traditus eſt ei liber 47.
Iſaiæ Prophetæ: & vt reuoluit librũ inuenit locum,
vbi ſcriptum eſt: *Spiritus Domini ſuper me: propter quod
vnxit me: euangelizare pauperibus miſit me: ſanare con-
tritos corde &c. Cepit autem dicere ad illos: quia hodie
impleta eſt ſcriptura hæc in auribus veſtris.* Quæ verba
explicans S. Auguſtinus in lib. 1. de peccatorum
meritis, & remiſſione cap. 27. ait: *Attende illud eiuſ-
dem Prophetæ, quod de ſe completum Lectoris etiam fun-
ctus officio in Synagoga ipſe recitauit: Spiritus Domini ſu-
per me: propter quod vnxit me: euangelizare humilibus,
vt refrigerentur qui in preſſura cordis ſunt*, &c. RESPON-
DEO Chriſtum nec Sacerdotis, nec Lectoris, aut ali-
quod aliud officium habuiſſe in Templo Salomonis. §.
Idcirco AD PRIMVM RESPONDEO Chriſtum 48.

eieciſſe ex Templo vendentes, & ementes in eo, non quia erat Sacerdos illius Templi: ſed quia erat magnus Propheta, ardentiſſimo DEI zelo flagrans, qui Populi peccata, & deprauatos Sacerdotum mores carpendi à Deo habebat poteſtatem. Cuius rei S. Elias Propheta magnus figuram geſſit: qui vt ait S. Iſidorus in libro de Patribus veteris teſtamenti, verberauit Tyrannos, Sacrilegos interfecit: dicebatque 3. Reg. cap. 19. *Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum: quia dereliquerunt pactum tuum filij Iſrael: Altaria tua deſtruxerunt* &c. AD SECVNDVM

§. 49. RESPONDEO cuilibet viro docto permiſſum fuiſſe legere publicè in Synagoga: & ſic exercere officium Lectoris, etiamſi talis nullum in ordine Leuitico gradum poſſideret. Nam & S. Paulus Act. cap. 13. ingreſſus in Synagogam Antiochiæ poſt lectionem legis, & Prophetarum rogatus à Principibus Synagogæ habuit concionem exhortatoriam ad Plebem: qui tamen non erat Sacerdos, nec Lector, nec de Tribu Leui: ſed vt ipſemet teſtatur Philip. cap. 3. de Tribu Benjamin. Non ergo Chriſtus ex eo, quod Iſaiæ Prophetiam de ſe interpretatus eſt in Synagoga dici debet Lector, aut Sacerdos Ordinis Leuitici: erat enim de Tribu Iuda. Sic explicandi veniunt Patres S. Auguſtinus, & alij, qui dicunt Chriſtum functum fuiſſe officio Lectoris in Templo Iudaïco: volunt enim Chriſtum legiſſe in Synagoga: non autem fuiſſe ex officio Lectorem Leuiticum.

§. 50. DICO SEXTO Chriſtum fuiſſe Sacerdotem legis nouæ: cuius Sacerdotium fuit eiuſdem ſpeciei cum noſtro: diuerſum tamen accidentaliter ſecundum magis & minus: æternum: cum iuramento

factum : ſecundum ordinem Melchiſedech. Concluſio eſt Authorum Sextæ ſententiæ, habetque ſex partes ſigillatim probandas.

PRIMA PARS eſt Chriſtum fuiſſe Sacerdotem legis nouæ. Probatur, quia Chriſtus fuit verè Sacerdos ex prima concluſione §. 9. Sed non legis naturæ, quia eius Sacrificium erat indeterminatum: Sacrificium Chriſti fuit determinatum ad cruentum, & incruentum, ſeu Euchariſticum: illud conueniebat vel omnibus, vel familiarum capitibus, ex dictis ſupra in notand. 2. §. 8. hoc vero non ita, ſed ei tantum, qui peculiariter fuit electus à Deo ad tale Sacrificij genus: illud longe ante Incarnationem Verbi fuit abolitum, hoc adhuc perſeuerat, & non habet à quo viribus naturæ deleri poſſit. Neque fuit Sacerdos legis veteris Chriſtus: quia non fuit de Tribu Leui, ſed de Tribu Iuda: & quamuis fuerit de Tribu Leui oriundus ſecundum lineam fœmineam: hoc tamen non ſufficiebat: vt patet ex ſuperiori concluſione §. 42. & 43. Ergo reſtat, vt Chriſtus fuerit Sacerdos legis nouæ. §. 51.

SECVNDA PARS eſt Sacerdotium Chriſti fuiſſe eiuſdem ſpeciei cum noſtro. Probatur, quia vtrobique eſt eadem hoſtia, idem finis, eadem conſecratio, eadem oblatio, conſumptio eadem: noſtrum eſt participatio illius: nos etiam ſumus miniſtri illius. §. 52.

TERTIA PARS eſt Sacerdotium Chriſti eſſe diuerſum à noſtro accidentaliter tantùm ſecundum magis, & minus: Et quidem ex triplici capite. Primo propter nobiliorem finem, qui eſt Redemptio totius generis humani: ſed finis non ingreditur eſſentiam rei: vnde nec poteſt facere differentiam §. 53.

ſpecificam. Secundo propter dignitatem perſonæ offerentis, quæ in Chriſto eſt infinita: ſed infinitas hæc non obſtat, quin natura humana ſit eiuſdem ſpeciei in nobis, & in Chriſto: idem dicendum eſt de Sacerdotio Chriſti & noſtro. Tertio propter ampliorem poteſtatem: Chriſtus enim habet poteſtatem excellentiæ, per quam non tantùm vt cauſa particularis ſacrificat, ſicut fecit in vltima cœna: ſed etiam vt cauſa vniuerſalis dans alijs poteſtatem ſacrificandi, & cum alijs ſacrificans: quæ poteſtas excellentiæ cum non ſit de eſſentia Sacerdotij fit, vt licet in nobis non reperiatur, non tamen ſit Chriſti Sacerdotium diuerſæ ſpeciei à noſtro: hoc videtur dicere Suarez tom. 1. in 3. part. diſp. 46. ſect. 1. concluſ. 1.

QVARTA PARS eſt Chriſtum eſſe Sacerdotem æternum. Obſerua, æternum duobus modis
§. 54. ſumi: Primo propriè, & ſtrictè pro eo cuius duratio eſt tota ſimul carens principio, & fine: ſic ſolus Deus eſt æternus 1. Timoth. cap. 6. *Qui ſolus habet immortalitatem*: ideſt immutabilitatem, ideſt æternitatem. Secundo impropriè, & latè ſecundum ſimilitudinem, & participationem veræ æternitatis: idque quatuor modis. Primo enim ſumitur pro eo, quod durat, nullamque habebit ſucceſſionem: hoc modo nouum teſtamẽtum dicitur æternum, Hebr. cap. 13. & Euangelium æternum Apocal. cap. 4. quia vtrumque durat, & neutri aliquod aliud ſuccedet. Secundo pro eo quod durat à principio mundi, vſque in finem eiuſdem: ſic colles dicuntur æterni Deuter. cap. 33. & montes æterni Pſal. 75. Tertio pro cauſa, quæ habet æternum effectum: hinc Sacerdotij dignitas vocatur æterna Eccleſ. cap. 45.

1. Tim. 6.
Hebr. 13.
Apoc. 4.
Deuter. 33.
Pſal. 75.
Eccleſ. 45.

quod Eccleſia accommodat Sacerdotio Euangelico in introit. Miſſæ de commun. Confeſſ. Pontif. propter characterem, qui indelebilis eſt. Sic Marc. cap. 3. delictum dicitur æternum, quia cauſa eſt damnationis æternæ. Quarto pro eo, cuius duratio eſt tota ſimul, ſed habuit initium, & non habebit finem, ſicque reciprocatur cum æuo, quo animæ rationales, & Angeli denominantur æterni: imo & res quędam materiales, vt ignis inferni dicitur æternus Matth. cap. 18. Supplicium æternum ibid. cap. 25.

Matth. 18. & 25.

§. 55. HIS POSITIS certum eſt Chriſtum non eſſe Sacerdotem æternum primo modo, quia habuit initium per Incarnationem: ſed eſt Sacerdos æternus ſecundo modo: idque quadrupliciter: Primo propter actum Sacerdotalem, quem ipſe immediatè per ſe exercuit in vltima cœna, & in cruce: nam poſt mortem nullum immediatè obtulit Sacrificium, nullumque habuit ſui Sacerdotij Succeſſorem: ſed tantùm elegit ſibi Vicarium S. Petrum Matth. cap. 16. quia ſucceſſor & in locum, & in poteſtatem defuncti ſuccedit: nullus autem hominum tantam habere poteſt in Eccleſia poteſtatem, quantam habet Chriſtus: imo nec S. Petrus eiuſque Succeſſores Romani Pontifices, qui non habent poteſtatem excellentiæ, ſicut Chriſtus: ſed miniſterialem. Secundo propter Sacrificia, quæ quotidie fiunt in Eccleſia à Sacerdotibus nomine, & authoritate Chriſti, qui ideo inter conſecrandum ſacroſancta eius verba vſurpant: *Hoc eſt Corpus meum: Hic eſt ſanguis meus*: Atque ſic Chriſtus dicitur offerre ſingulis diebus Sacrificium mediantibus Sacerdotibus, non tantùm nunc, ſed etiam æternis temporibus: Nam æternitas ſumitur pro tota illa temporis congerie, quæ inter

Matth. 16.

ter principium mundi, eiuſque finem continetur: ita vt nullum tempus fuerit, in quo Chriſtus non ſacrificauerit. Sacrificauit enim in antiquis Patribus, quorum Sacrificia fuerunt Deo grata: quia huius Sacrificij figuram præ ſe ferebant. Sacrificauit in ſeipſo, dum in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt Baruch cap. 3. Sacrificabit ſemper nobiſcum vſque ad finem mundi. Tertio propter effectum Sacerdotij æternum, qui ex Apoſtolo Hebr. cap. 9. eſt æterna redemptio, & Ioan. cap. 6. vita æterna. Dicetur ergo Sacerdotium Chriſti æternum per metonymiam ab æternitate effectus. Quarto propter Vnionem Hypoſtaticã, qua Chriſtus conſecratus eſt Sacerdos in actu primo: & vnctus oleo Diuinitatis: vt dixi in controuerſ. 1. §. 2. 4. 5. 6. 14. Quare quandiu natura humana manebit vnita Verbo Diuino tandiu durabit Sacerdotium Chriſti.

Baruch 3.

Quæres quomodo Chriſtus dicatur Sacerdos æternus, cum eius Sacerdotium fuerit interruptum in triduo mortis, quandoquidem tunc non erat homo?

§. 56.

RESPONDEO illam breuem interruptionem non obſtare quominus Sacerdotium Chriſti continuum ſemper fuiſſe dicatur: quia quod exiguum eſt pro nihilo habetur. Nam exigua illa interruptio quota pars eſt collata cum infinito tempore, cui coexiſtit æternitas à parte poſt? Confirmatur ex ſcriptura. Sicut enim tempore Ioſue Sol ſtetit, Ioſue cap. 10. & tempore Ezechiæ Regis Sol retroceſſit decem gradibus, iterumque redijt in ſuum locum 4. Reg. cap. 20. quæ non videntur fieri potuiſſe ſine aliqua interruptione: qua non obſtante, tempus dicitur eſſe continuum: ita breuis illa interruptio vitæ non impedit quominus Sacerdotium Chriſti dicatur eſſe æternum.

Ioſue 10.

4. Reg. 20.

QVINTA PARS eſt Chriſtum factum fuiſſe Sacerdotem æternum cum iuramento: quæ vt probetur: Obſerua tribus de cauſis Chriſtum factum fuiſſe Sacerdotem cum iuramento. Primo ad oſtendendam immobilitatem conſilij Diuini: ita vt nunquam pœniteat Deum huius Sacerdotij. Secundo ad oſtendendum quanti momenti ſit hoc Sacerdotium: viri enim graues non niſi in re graui iurare ſolent. Tertio vt ſignificetur Aaronicum Sacerdotium potuiſſe mutari: quamuis Exod. cap. 28. dicatur æternum, quia factum fuit ſine iuramento. Ex quibus ſequitur Sacerdotium Chriſti nunquam omittendum. §. 57.

Exod. 28.

QVÆRES quando Deus iurauerit in confirmationem æternitatis Sacerdotij Chriſti? RESPONDEO tunc Deum iuraſſe, quando Geneſ. cap. 22. poſt præſtitam de immolatione filij obedientiam dixit Angelus Abrahæ: *Per memetipſum iuraui, dixit Dominus*: & paulo poſt: *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes.* ideſt, ex ſemine tuo orietur vir, qui benedicet omnibus Gentibus: at benedicere alijs eſt officium Sacerdotis: quia ſcilicet ex ſtirpe Abrahæ naſciturus erat magnus ille Sacerdos, cuius benedictio perpetuis temporibus ad omnes Gentes extenderetur. Ad quod iuramentum intuens Regius Propheta ait Pſal. 109. *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum.* Eodem prorſus modo loquitur de ſimili promiſſione ſibi à Deo facta circa Regnum Chriſti æternum, etiam iuramento confirmatum, dicens Pſal. 131. *Iurauit Dominus Dauid, & non fruſtrabitur eum, de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam*: cuius Regni æternitatem explicat Iſaias cap. 9. his verbis: Super ſolium Dauid, & ſuper Regnum §. 58.

Geneſ. 22.

Pſal. 109.

Iſai. 9.

eius ſedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio, & iuſtitia amodo, & vſque in ſempiternum: & Angelus narrat B. Virgini dicens Luc. cap. 1. Dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob inæternum, & Regni eius non erit finis. Luc. 1.

§. 59. SEXTA PARS eſt Chriſtum eſſe Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech. Dicitur autem Sacerdos ſecundum Ordinem Melchiſedech: Non quod eius Sacerdotium ſit idem cum Sacerdotio Melchiſedech: ſed quia Melchiſedech fuit figura Chriſti: non ſolum ratione circunſtantiarum perſonæ: ſed etiam ratione conuenientiæ Sacerdotij.

§. 60. Ex parte circunſtantiarum Perſonæ: Melchiſedech enim figurabat Chriſtum in quinque: quæ ex Epiſtola ad Hebr. cap. 7. Michael de Bononia in Pſalm. verſ. 1981. collegit. Primo in nominis ſignificatione: Melchiſedech enim ſonat Regem iuſtitię: at Chriſtus Zach. cap. 9. dicitur *Rex iuſtus.* Secundo in officio: Nam erat Rex Salem, ideſt Rex pacis: at Chriſtus Iſai. cap. 9. vocatur *Princeps pacis.* Tertio ex defectu Genealogiæ, ſine Patre, ſine Matre: non quod non habuerit Patrem, & Matrem: ſed quia Scriptura eorum non meminit: at Chriſtus non habuit Patrem quoad humanitatẽ, nec matrem quoad Diuinitatem: quia natus eſt in cœlo ſine matre, & in terra ſine Patre. Quarto in æternitate: quia Mel- Mich. de Bononia. Zach. 9. Iſai. 9.

§. 61. chiſedech dicitur ſine Patre, ſine matre, ſine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habere. Sicut enim Sacerdotium Melchiſedech. non habuit iure hæreditario initium à Patre: neque Leuitarum more finem in poſteris, quorum nulla mentio fit in Scriptura, ideoque dicitur Sacerdotium

æternum : ita Chriſtus non accepit Sacerdotium à Patre hæreditarium : neque illud in fine vitæ depoſuit, quia nullum habuit Succeſſorem : ideoque morte non prohibente eum permanere, ſempiternum habet Sacerdotium. Quinto in excellentia: §. 62.
nam Melchiſedech benedixit Abrahæ, & ab eo decimas accepit : at minor benedicitur à majori : & è contra major accipit decimas à minori : perinde enim ſe geſſit Abraham erga Melchiſedech, ac Princeps, qui obedientiam præſtat Regi, & offert, tam pro ſe, quam pro tota ſua poſteritate. Et totum hoc, vt oſtendatur major excellentia Sacerdotij Chriſti ſupra Leuiticum. Adde quod tota Tribus Leui decimata eſt in Abrahamo, quia continebatur in eius lumbis : non tamen Chriſtus, qui continebatur in lumbis Abrahæ, non ſecundum rationem ſeminalem, ſed tantùm ſecundum corpulentam ſubſtantiam, vt aiunt S. Auguſt. in lib. de Geneſ. ad liter. cap. 20. & S. Thomas in 3. part. quæſt. 15. art. 1. ad 2. & quæſt. 31. art. 8.

Ex parte conuenientiæ Sacerdotij Melchiſedech §. 63.
figurabat Chriſtum in tribus. Primo in materia : quia Melchiſedech ſacrificauit panem, & vinum Geneſ. cap. 14. at Chriſtus ſacrificauit ſuum corpus, & ſuum ſanguinem ſub ſpeciebus panis, & vini Matth. cap. 26. Marc. cap. 14. Luc. cap. 22. 1. Corinth. cap. 11. Secundo in vnitate, quia vterque tantum ſemel ſacrificauit : Melchiſedech quidem dum Abrahæ obuiam venit gratulabundus: Chriſtus autem in vltima cœna. Tertio in origine : vterque enim fuit extra generationes Leui, quas Melchiſedech multis ſæculis præceſſit : Chriſtus vero fuit ex Tribu Iuda: & ideo non poteſt dici Sacerdos ſecun-

Geneſ. 14.

dum ordinem Aaronis : quamuis & Aaron repreſentaret Chriſtum in conuenientia Sacerdotij : ſed cum differentia : nam Aaron repreſentabat temporale Chriſti Sacrificium, ideſt cruentum : Melchiſedech æternum, & incruentum.

§. 64. QVÆRES quis fuerit Melchiſedech ? RESPONDEO nihil poſſe certo definiri. Sunt tamen tres opiniones. Prima opinio eſt hæreticorum qui apud Guidonem Carmelit. in Sum. tit. de hæreſib. ſecundum Auguſtin. & Iſidor. cap. 32. dicuntur Melchiſedechiani, quorum quidam vt refert idem Guido Carmel. ibid. dixerunt Melchiſedech fuiſſe virtutem Dei : Alij voluerunt eſſe ſecundam perſonam Trinitatis : Alij Spiritum Sanctum : Alij denique Angelum, ſed in corpore aſſumpto. Guid. Carm.

§. 65. Secunda opinio eſt Rabbinorum, qui ex traditione Hebræorum tenent Melchiſedech fuiſſe Sem filium Noë Primogenitum, qui Nepoti ſuo Abrahæ venit obuiam dum rediret de cæde quatuor Regum, & in eius, ſuorumque refectionem panem, & vinum, obtulit. Quam Hebræorum traditionem approbat S. Hieronymus in epiſt. 126. ad Euagrium : eumque ſequuntur Rupertus lib. 5. de Trinit. Iſidorus in libro de vita, & morte Prophetarum cap. 5. Gloſa ordinar. & Nicolaus de Lyra in cap. 7. epiſtolæ ad Hebræos. Michael de Bononia in Pſal. verſ. 1981. Toſtatus, Caietanus, Auguſt. Eugubinus. Aloyſius Lipomanus in cap. 14. Geneſis. S. Hieron. Rupert. Iſidor. Gloſa. Nic. de Lyra Mich. de Bononia. Toſtat. Caiet. Eugubin. Lipom.

§. 66. Tertia opinio eſt Patrum, quos S. Hieronymus enumerat in eadem epiſtola ad Euagrium ſcilicet S Irenei, S. Hippolyti, Euſebij Cæſarienſis, Euſebij Emiſſeni, quos poſtea ſecuti ſunt S. Epiphanius hær. 67. S. Theodoret. quæſt. 63. in Geneſ. & alij, quos S. Hieron. Ireneus. S. Hippol. Euſeb. Cæſ. Euſeb. Emiſ. S. Epiphan. S. Theodor. Pererius.

citat Pererius tom. 3. in Geneſ. cap. 14. diſput. 3. qui omnes dicunt Melchiſedech fuiſſe verum, & purum hominem, verè Sacerdotem non tam legis naturæ, titulo Primogeniti, quam peculiari Dei electione obtuliſſe Sacrificium panis, & vini, Virum Gentilem, ortum ex Cananæis: fidelis tamen erat, & verum Deum colebat, ſicut feciſſe Iob legimus.

Prima opinio eſt erronea, & hæretica: Secunda habet bonos Authores, & multos: ſed non vacat difficultate. Nam S. Ignatius in epiſt. 6. quæ eſt ad Philadelphios, & Suidas Hiſtoriographus aſſerunt Melchiſedem fuiſſe Virginem, & in caſtitate mortuum: cum tamen in Geneſ. cap. 11. legatur Sem filium Noë Primogenitum genuiſſe filios, & filias. Tertia eſt communis omnium recentiorum Pererij loc. cit. Franc. Ribera in cap. 7. ep. ad Hebr. Antonij Fernandij viſion. 25. ſect. 3. num. 3. & in eam magis inclinat Suarez diſp. 46. ſect. 4. §. 67.

S. Ignat. Suidas.

Peter. Ribera. Fernandius.

CONTROVERSIA IV.

An Ieſus Nazarenus fuerit Rex.

PRIMA SENTENTIA negat: ita Marſilius Patauinus, & Ioannes de Ianduno, apud Vazquez in 3. part. diſp. 87. cap. 1. num. 2. qui dixerũt Chriſtum non ſolum non fuiſſe Regem temporalem: ſed etiam fuiſſe ſubiectum Regibus, & Principibus ſub quibus viuebat, eiſque tributa iure debita non ſponte, ſed legis obligatione coactum more aliorum hominum perſoluiſſe. §. 1

Marſil. Iandun.

§. 2 SECVNDA SENTENTIA affirmat: ita S. Antoninus in 3. part. tit. 3. cap. 2. Ioan. de Turre cremata lib. 2. Summæ cap. 116. in reſponſ. ad 2. obiect. Almain. in libro de Poteſtate Eccleſiæ cap. 8. Oſtienſis in cap. Quod ſuper his. Extra de voto, & voti redemptione, & alij apud Gregor. de Valent. tom. 4. diſp. 1. quæſt. 22. punct. 6. qui dixerunt Chriſtum fuiſſe Regem temporalem, ſeu politicum totius mundi. S. Antonin. Io. de Turcremat. Iacob. Almain. Henr. Oſtienſis.

§. 3 TERTIA SENTENTIA affirmat Ieſum Nazarenum fuiſſe temporalem Iudæorum Regem, ad quem iure hæreditario pertinebat Regnum Iſraël; ita Ioan. Bacho in Prologo libri quarti ſententiar. quæſt. 1. art. 2. & in eodem Prolog. quæſt. 11. art. 3. quam opinionem tutati ſunt multi ex his qui poſt Ioan. Bachonem ſcripſerunt: Armacanus lib. 4 de quæſtionib. Armenor. cap. 16. Toſtatus in cap. 21. Matth. quæſt. 30. Paulus Burgenſis in cap. 1. Matth. additione 2. qui ex eo quod B. Virgo, eiuſque ſponſus B. Ioſeph per carnalem propagationem ex Regia Dauidis ſtirpe deſcendiſſent, dixerunt Ieſum Nazarenum tanquam hæredem legalem habuiſſe ius hæreditarium ſuccedendi in Regnum temporale Iudæorum. Io. Bacho. Ric. Armac. Alph. Toſt. Paul. Burg.

§. 4 QVARTA SENTENTIA negat Chriſtum fuiſſe Regem temporalem, ſeu politicum, & affirmat fuiſſe Regem ſpiritualem totius mundi. ita Thomas Vvaldenſis tom. 1. Doctrinalis fidei lib. 2. cap. 76. & 77. quem citant, & ſequuntur Theologi magni nominis, ſcilicet Gregor. de Valent. tom. 4. diſp. 1. quæſt. 22. punct. 6. §. Hanc eandem ſententiam. Suarez tom. 1. in 3 part. diſp. 48. ſect. 1. concl. 2. Card. Bellarmin. lib. 5. de Romano Tho. Vvald. Greg. de Val. Fr. Suar. Rob. Bellarm.

Pontifice cap. 4. Vazquez in 3. part. diſp. 87. cap. 1. num. 4. in principio, & in fine illius numeri, & num. 9. Item cap. 2. num. 11. Matthæus Kelliſon. tom. 1. in 3. part. quæſt. 22. art. 6. dub. 2. concl. 2. & multi alij, Verbi gratia. Driedo lib. 3. de Dogmatib. ſacræ Script. tract. 2. cap. 10. part. 1. Franciſcus Victoria in relectione 1. de poteſtate Eccleſiæ quæſt. 6. à num. 15. Soto in 4. diſt. 25. q. 2. art. 1. Bartholom. Medina in 3. part. quæſt. 59. ad artic. 4. S. Thomæ: qui dixerunt Chriſtum non fuiſſe Regem temporalem, ſed Regnum ipſius fuiſſe ſpirituale, ſcilicet Eccleſiam militantem primum in hoc mundo: poſtea Eccleſiam Triumphantem in cœlo per totam æternitatem: quia vtraque Eccleſia eſt ſimpliciter vna: differunt enim tantùm ſecundum diuerſos ſtatus.

Gab. Vazquez. Matth. Kelliſon. Io. Driedo. Fr. Victoria. Barth. Medina.

Fr. Suarez. §. 5 NOTANDVM PRIMO ex Suarez tom. 1. in 3. part. diſp. 46. ſect. 2. ſtatim poſt ſecundam ſententiam triplex eſſe genus Dominij: Vnum dicitur Diuinum: Alterum humanum: Tertium inter vtrumque medium: quod ſoli Chriſto conuenit, & nulli alteri.

DOMINIVM DIVINVM eſt ſupremum, quia independẽs ab omni voluntate ſuperiori: eſt etiam incommunicabile, quia nulli creaturæ communicari poteſt, etiam humanitati Chriſti. Hoc dominio Deus creat: & omnes creaturas conſeruat, quas ſine vllius iniuria annihilare poteſt.

§. 6 DOMINIVM HVMANVM duplex eſt: vnum Iuriſdictionis: alterum Proprietatis. Dominium Iuriſdictionis iterum duplex eſt: vnum temporale, ſeu Laïcum: alterum Spirituale, ſeu Eccleſiaſticum. Temporale eſt penes Reges, Principes, Duces, Mar-

Marchiones, Comites, alioſque Dominos ſæculares: quod importat poteſtatem condendi leges, imponendi vectigalia, præmiandi bonos, puniendi malos, confiſcandi ſubditorum bona, & vita priuandi malefactores, qui ſunt Rei mortis. Spirituale eſt penes Papam, reſpectu totius Eccleſiæ, Patriarchas, Metropolitanos, Epiſcopos alioſque Prælatos, reſpectu diuerſarum Eccleſiæ partium, importans poteſtatem conficiendi, & miniſtrandi Sacramenta: nec non populum Chriſtianum dirigendi, tam in foro interiori, ſeu conſcientiæ: quam in foro exteriori, ſeu Eccleſiæ.

§. 7 INTER HÆC DVO DOMINIA ſcilicet Diuinum, & humanum, datur aliud tertium, quod dicitur à Suare medium: eo ferè modo, quo homo dicitur medius inter Angelum, & Brutum. Eſt enim Dominium Chriſti inferius Diuino, & ſuperius humano: Eſt inferius Dominio Diuino: Primo quia ſub eo exiſtit, tanquam ei ſubordinatum. Secundo quia ab eo dependet, ſicut effectus à cauſa. Tertio quia eſt eius quædam participatio ab ipſomet Deo, qui eſt omnium ſupremus Dominus Chriſto communicata. Quarto quia fundatur in voluntate creata: omnis autem creatura Deo ſubdita eſt. Quinto quia Chriſtus vt homo, quantumuis hoc Dominio cumulatus, non poteſt creare, nec conſeruare, nec annihilare. Eſt etiam ſuperius Dominio humano: Primo ratione originis, quia à Deo manat per Vnionem Hypoſtaticam: humanum autem acquiritur ab hominibus per donationem, aut per hæreditatem, aut per ius belli, aut alio quocunque modo. Secundo ratione ſtabilitatis, quia Dominium Chriſti ſtat in æternum: humana vero omnia Dominia, ſicut &

Regna ſunt caduca, & pereunt. Tertio ratione obiectorum, quia Dominium Chriſti ſe extendit ad omnes res creatas cœleſtes, & ſublunares, imo & ad Angelos, omnēque vſum tam naturalem, quam ſupernaturalem: Dominium vero humanum ſe extendit tantùm ad certa bona, eaque tantùm ſublunaria.

Greg. de Val. NOTANDVM SECVNDO ex Gregor. de Valentia tom. 4. diſp. 1. quæſt. 22. punct. 6. in ſecunda ſententia Chriſtum non tantùm indirectè, & ſecundariò, ſeu in ordine ad ſpiritualia habuiſſe dominium temporale in vniuerſum mundum: quia perfecta poteſtas ſpiritualis debet habere vim ad omnia, quæ eam poſſunt impedire, vel iuuare, qualia ſunt temporalia: Sed etiam directè, & primario habuiſſe ſufficientem titulum, & ius Dominij tam iuriſdictionis, quam proprietatis in omnia, quæ ſunt in mundo. Titulus autem vel ius huius Dominij quadruplex aſſignatur: Primò Donatio Dei Ioan. cap. 3. *Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius.* Epheſior. cap. 1. *Omnia ſubjecit ſub pedibus eius.* Hebr. cap. 1. *Quem conſtituit hæredem vniuerſorum.* Pſal. 2. *Dabo tibi gentes.* Secundo Vnio Hypoſtatica, quæ eleuat hominem ad omnia bona, & iura Dei. Tertio Redemptio, qua acquiritur dominium rei redemptæ: ſicut emptione rei emptæ. Quarto filiatio naturalis Chriſto vt homini conueniens. Ex quibus titulis poterat Chriſtus ſine vllius iniuria vſurpare ſibi omnia Regna, & diſponere ad libitum de omnibus temporalibus. §. 8

(Ioan. 3. Epheſ. 1. Hebr. 1. Pſal. 2.)

DICO PRIMO Ieſum Nazarenum fuiſſe Regem totius orbis, & vniuerſa fuiſſe ei ſubiecta. Hæc concluſio eſt contra Authores Primæ ſenten- §. 9

tiæ: quorum errorem damnauit Ioannes XXII. in Extrauaganti, quæ incipit: *Licet iuxta doctrinam*, vt refert Card. Bellarmin. in Chronolog. circa annum Domini 1328. & Vazquez in 3. part. diſp. 87. cap. 1. num. 2. ex Turrecremata lib. 4. ſuæ Summę: part. 2. cap. 37. Sed Bellarm. Vazquez.

§. 10. Probatur PRIMO Concluſio ex Scriptura Pſal. 2. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo.* Pſal. 8. *Conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum: omnia ſubjeciſti ſub pedibus eius.* Ierem. cap. 23. *Suſcitabo Dauid germen iuſtum, & regnabit Rex.* Micheæ cap. 5. *Ex te* (ſupple Bethleem) *mihi eggredietur, qui ſit Dominator in Iſrael.* Zachar. cap. 9. *Ecce Rex tuus venit tibi.* Matth. cap. 2. *Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum?* Matth. cap. 27. & Ioan. cap. 18. roganti Pilato, *Tu es Rex Iudæorum:* reſpondit Chriſtus: *Tu dicis, quia Rex ſum ego*: Matth. cap. 28. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra.* Ioan. cap. 20. *Oſanna Benedictus, qui venit in nomine Domini Rex Iſrael.* Apocal. cap. 1. 17. 19. Chriſtus dicitur *Rex Regum, & Dominus dominantium.* Pſal. 2. Pſal. 8. Ierem. 23. Mich. 5. Zach. 9. Matth. 2. Matth. 27. Ioan. 18. Matth. 28. Ioan. 20. Apoc. 1. 17 19.

§. 11. Probatur SECVNDO ex Patribus S. Auguſtinus tract. 115. in Ioan. Chryſoſtomus hom. 82. in Ioannem. S. Gregorius hom. 8. in Euangelia. Cyrillus lib. 12. in Ioan. cap. 10. & 12. Theophilactus in cap. 18. in Ioan. Obſeruant Chriſtum dicentem *Regnum meum non eſt de hoc mundo*: non negaſſe ſe eſſe Regem: ſed potius ingenuè confeſſum: nec enim vllum Regnum ſuum eſſe diceret, niſi Rex eſſet. S. Auguſt. S. Io. Chryſ. S. Gregor. S. Cyrill. Theophil.

Probatur TERTIO ratione: quia cum Regia poteſtas non repugnet Chriſto, imo illum valde deceat, videaturque ei debita, ob ſuum ſtatum eminentiſſimum, ac perfectiſſimum: profecto debemus huiuſmodi honorem & prærogatiuā ipſi concedere.

OBIICIT Marſilius Patauinus PRIMO Chri- §.
Matth. 17. ſtus Matth. cap. 17. ſoluit tributum pro ſe, & pro Apoſtolo ſuo Petro: Ergo Chriſtus non fuit Rex, 12.
ſed Regi ſubiectus. RESPONDEO PRIMO Chriſtum ſoluiſſe tributum non Regi terreno, ſed æterno Pa-
S. Hilar. tri: ita S. Hilarius in cap. 17. Matth. Ratio eius eſt, quia Deus Exod. cap. 30. hoc tributum iuſſerat ſolui pro redemptione corporis, & animæ in vſus neceſſarios Tabernaculi, & eorum, qui miniſterio templi inſeruiebant: quod tributum à Deo inſtitutum, & ad pios vſus templi deſtinatum Imperatores Romani, poſt ſubiugatam à Pompeio Iudæam, ſibi attribuerunt: & ſicut narrat Ioſephus lib. 18. Anti-
Ioſeph. quit. cap. 13. lib. 7. de Bello Iud. cap. 26. cogebant Iudæos, vt ſingulis annis tributum illud Romam mitterent ad Capitolium. Simile quid ex cap. 3.
Numer. 3. Io. Chryſ. Numeror. referunt S. Ioan. Chryſoſtom. hom. 59.
Theophila. & Theophilact. in cap. 17. Matth. Quando enim primogenita Ægyptiorum interfecit Deus, tunc Tribum Leui pro Hebræorum Primogenitis ſibi conſeruari voluit. Verum quia Primogeniti Hebræorum ſuperabant Tribum Leui ducentis ſeptuaginta tribus: decreuit Deus, vt darentur Sacerdotibus quinque ſicli, ſeu vt vertit Theophilactus vnum didrachma pro quolibet ex illis Primogenitis, qui erant extra Tribum Leui. Et ex tunc tenuit conſuetudo, vt Primogenita vectigal hoc inferrent. Quia igitur Primogenitus erat Chriſtus: videbatur etiam Petrus eſſe Apoſtolorum primus, tributum pro vtroque ſolutum eſt. RESPONDEO SECVNDO §.
Chriſtum ſoluiſſe tributum Imperatori terreno, non 13.
ex obligatione legis, vt blaſphemat Marſilius Patauinus, ſed liberè, & ſponte ſua, ſeu vt loquitur Card.

Beſſarmin. ex condeſcenſione: quia ex S. Thomã in 3. part. quæſt. 37. art. 4. Chriſtus liberè ſemper voluit ſubire onera legis ad demonſtrandum obedientiæ, & humilitatis exemplum: & vt approbando legem, Iudæis tolleret omnem calumniæ occaſionem. Sicut ergo voluit circuncidi, quamuis Circuncisionis lege lata Geneſ. cap. 17. non teneretur, quia per propagationem carnalem ab Abrahamo non deſcendebat: Sicut etiam B. Virgo eius Mater caſtiſſima voluit more aliarum mulierum in templo purificari: quamuis ſub lege parturientium lata Leuitic. cap. 12. non comprehenderetur: quia non conceperat, nec pepererat filium ſuum modo in eadem lege præſcripto: ita propter eaſdem rationes Chriſtus voluit cum alijs ſoluere conſuetum vectigal, quamuis ad illud nulla lege obligaretur. Bellarm. S. Thom. Geneſ. 17. Leuitic. 12.

§. 14. OBIICIT Marſilius Patauinus SECVNDO Chriſtus ante reſurrectionem erat mortalis ſecundum corpus: Ergo ſicut alij homines mortales tenebatur ſoluere tributum. RESPONDEO conceſſo Antecedente, negandam eſſe conſequentiam: quia obligatio ſoluendi tributum non oritur ex mortalitate corporis, ſed ex ſubiectione Perſonæ. Cum autem perſona Chriſti ſit perſona Diuina, & conſequenter Chriſtus ſit Filius Dei naturalis, nulli hominum fuit vnquam ſubiectus: ſed liber ſemper manſit à quacunque ſeruitutis obligatione.

§. 15. CONFIRMATVR hæc reſponſio ex ipſiuſmet Chriſti diſcurſu, ſi tamen diſcurſus in eo ſit admittendus: ſed quia humano more loquebatur, & ſe audientibus accommodabat, interrogauit Petrum. *Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum? à filijs ſuis, an ab alienis?* cumque reſpondiſ-

ſet Petrus: *ab alienis*: ſtatim collegit Chriſtus, & concluſit: *Ergo liberi ſunt filij* à tributo: quaſi ſyllogizando diceret: Si filij Regum terræ ſoluant tributum: vel illud ſoluunt parentibus ſuis, vel alijs Regibus: non primum: quia Parentum, & filiorum bona ſunt ſibi inuicem communia: non Secundum quia non ſunt alijs Regibus ſubiecti: Ergo filij Regum ſunt liberi à tributo: Sed ego ſum filius naturalis ſupremi omnium Regis, & Principis videlicet Dei, cuius *omnia mea ſunt, & mea omnia illius ſunt* Ioan.
Ioan. 17. cap. 17. Nullius etiam Regis terreni ditioni ſubijcior: quia Pater *Primogenitum poſuit me excelſum præ*
Pſal. 88. *Regibus terræ* Pſ. 88. Ergo ego sũ liber ab omni tributi exactione: tamẽ, *vt non ſcãdalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle: & aperto ore eius inuenies Staterem: illum ſumens da eis pro me, & pro te.* Stater autem æquiualebat duobus Didrachmis ex S. Hieronymo in cap. 17. Matth. Inſtabis &

Obicies tertio Chriſtus eodem modo §. 16.
loquitur de ſe, & de Petro ratione tributi ſoluendi: Sed Petrus ex neceſſitate legis tenebatur illud ſoluere: quia nec Rex, nec filius Regis erat: Ergo & Chriſtus. Major patet ex illis verbis: *vt autem non ſcandalizemus eos*: & paulo poſt: *da eis pro me & pro te.* Respondeo Chriſtum tali modo loquendi voluiſſe indicare, nec ſe, nec Apoſtolos ſuos teneri lege tributi ſoluendi: quia ipſe erat filius ſupremi omnium Regis: Apoſtoli verò erant eius domeſtici: at non ſolum filij Regum ſunt immunes à tributo, ſed etiam eorum domeſtici.

Dico secundo Chriſtum non fuiſſe Regem §.
temporalem, aut politicum totius mundi titulo or- 17.

dinario & iure communi, humano videlicet, ſeu ab hominibus introducto & excogitato. Probatur PRIMO ex illis Scripturæ locis in quibus Chriſtus ait ſuum Regnum non eſſe terrenum, nec Regnis temporalibus ſimile. PRIMVS LOCVS eſt apud S. Lucam in Euang. cap. 12. *Reges Gentium dominantur eorum:* ideſt Reges terræ ſibi ſubditos humiliant, quia *poteſtatem habent ſuper eos*, à quibus tamen *beneſici vocantur*, dum eis largiuntur in ſuis Regnis dignitates, & magiſtratus temporales: *vos autem non ſic* debetis contendere de dominio, & principatu mundano, quia non eſtis de hoc mundo: in Regno enim meo nec honoris gradus, nec dignitatis appetitus, nec rerum vlla mundanarum ambitio habet locum: *Sed qui major eſt in vobis fiat ſicut minor: & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator: Nam quis major eſt, qui recumbit* in menſa, *an qui* menſę *miniſtrat? Nonne qui recumbit? Ego autem* qui conſtitutus ſum Rex à Patre meo, *in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat. Vos autem eſtis qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis*: & Iudæorum opprobria ſuſtinuiſtis propter me: *&* ideo *Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus Regnũ* in cœlo, & in terra: hic per gratiam, illic per gloriam: vt tanquam domeſtici, & familiares Regis *edatis & bibatis ſuper menſam meam in Regno Patris mei.* SECVN- Luc. 12.
§. DVS LOCVS eſt apud S. Ioannem in Euang. cap. Ioan. 18.
18. 18. vbi Chriſtus Pilato quærenti an eſſet Rex, reſpondit: *Regnum meum non eſt de hoc mundo:* & ſtatim ſubdit rationem dicens: *Si ex hoc mundo eſſet Regnum meum, miniſtri mei vtique decertarent vt non traderer Iudæis.* Tandemque concludit: *Nunc autem Regnum meum non eſt hinc.*

Quærunt Sancti Eccleſiæ Patres: Quare Chriſtus

non dixerit : *Regnum meum non eſt* hic : *ſed Regnum*
S. Auguſt. *meum non eſt hinc.* Reſpondet S. Auguſtinus tract. 115. in Ioan. Regnum Chriſti eſſe hic, vſque ad finem mundi · tamen non eſſe hinc : quia Chriſtus in hoc mundo peregrinabatur, nec habebat ſedem
S.Chryſoſt. permanentem. Reſpondet S. Ioan. Chryſoſtomus hom. 82. in Ioan. Regnum Chriſti dici non eſſe hic: non quod mundum hunc ſua prouidentia, ac protectione priuauerit: ſed vt neque humanum, neque caducum eſſe demonſtraret. Reſpondet Theophi-
Theophil. lactus in cap. 18. Ioan. Regnum Chriſti eſſe hic : quia regnat in hoc mundo, eumque ſecundum voluntatem ſuam gubernat : ſed non eſſe hinc : quia non eſt ex his inferioribus, hoc eſt terrenis conſtitutum : ſed ſupernum & ante ſæcula inſtitutum.

S. Ambroſ. Probatur SECVNDO ex Patribus : S. Ambroſius §. 19.
in Luc. lib. 3. paulo poſt medium ait : *In ſcripturis inuenimus quia Regnum Domini non eſt de hoc mundo. Regnum ſuum qui dicit non eſſe de hoc mundo, oſtendit eſſe ſupra mundum : imo & erat Regnum eius, & non erat : non erat in hoc ſæculo : ſupra ſæculum erat.* S. Auguſtinus
S. Auguſt. tract. 51. in Ioan. *Sed quid fuit Domino Regem eſſe Iſrael? quid magnum fuit Regi ſæculorum, Regem fieri hominum? Non enim* Rex *Iſrael Chriſtus ad exigendum tributum, vel exercitum ferro armandum, vel hoſtes viſibiliter debellandos : ſed* Rex *Iſrael. quod mentes regat.* S. Hie-
S. Hierony. ronymus in cap. 22. Ierem. loquens de Chriſto, ait : *Sedebit Deus :* R*egnumque eius non erit terrenum ; & breue vt fuit in Dauid : ſed perpetuum, atque cæleſte, dicente ſcriptura :* Reg*nabit ſuper domum Iacob in æternum, &* R*egni eius non erit finis.*

Probatur TERTIO Rationibus PRIMA RATIO §. 20.
petitur ex titulis ordinarijs, quibus iure communi

acquiritur

acquiritur Regnum temporale. Sunt autem quinque præcipui huiuſmodi tituli. Primus eſt Ius belli: Secundus Donatio alterius hominis. Tertius Electio: Quartus Inuentio, ſeu prima occupatio. Quintus Hæreditas: Sed Chriſtus nullo horum titulorum acquiſiuit Regnum totius mundi: Ergo &c. Major eſt vera, & patet experientia. Minor probatur: quia Chriſtus non obtinuit Regnum mundi. Primo titulo, ſcilicet iure belli: quia nullum temporale bellum geſſit: ſed potiùs miſit Apoſtolos prędicare Regnum Dei ſine pera, ſine virga Matth. cap. 10. & Luc. cap. 9. Non SECVNDO ſcilicet titulo donationis factæ ſibi à Regibus mundi: quia nihil de tali donatione in Scriptura, Cõcilijs, aut Patribus reperitur. Non TERTIO ſcilicet electione: quia ob eamdem cauſam præſertim fugit Chriſtus, cum venturi eſſent Iudæi, vt eum in Regem eligerent. Ioan. cap. 6. Non etiam QVARTO ſcilicet inuentione, ſeu prima occupatione: quia præcepit tributa dari Cæſari Matth. cap. 22. Reges docuit honorificandos 1. Petr. cap. 2. Non denique QVINTO, ſcilicet hæreditatis titulo: quia nullus eorum à quibus originem ſuam temporalem duxit Chriſtus fuit Rex totius mundi. SECVNDA RATIO petitur ex abſurdis, quæ ſubſecuta fuiſſent, ſi Chriſtus natus fuiſſet Rex tẽporalis Vniuerſi. PRIMVM ſinguli Reges ſpoliati fuiſſẽt ſuis Regnis, & dominijs in ipſo inſtanti Natiuitatis Chriſti: quod timebat Herodes, vt cecinit Sedulius in hymno de Natiuit. Chriſti.

Matth. 10. Luc. 9. Ioan. 6. Matth. 22. 1. Petr. 2. Sedulius.

§. 21.

Hoſtis Herodes impie
Chriſtum venire quid times?
Non eripit mortalia,
Qui regna dat cæleſtia.

Id tamen non contigit: quia relicti fuerunt Reges in eodem ſtatu, in quo erant antequam Chriſtus veniret in hunc mundum. SECVNDVM in quolibet Regno fuiſſent duo Reges, & duo dominia: quod eſt contra optimi regiminis, ſeu Monarchiæ rationem: Nam ex Ariſtotele lib. 12. metaph. cap. vltim. in fine: Pluralitas Principum mala: vnus ergo Princeps: fuiſſent enim in quolibet Regno duo Domini eiuſdem ordinis. TERTIVM Omnes Reges qui erant in mundo, quando Chriſtus natus eſt, aut fuiſſent Tyranni, quos tamen ſcriptura ſacra, imo & ipſe Chriſtus vocat Cæſares, Reges, Principes Matth. cap. 22. Marc. cap. 12. Luc. cap. 10. & 22. & alibi paſſim; aut, quod eſt QVARTVM fuiſſent Vicarij Chriſti in Regia Dignitate: in quo ſenſu videtur S. Thom. in opuſc. de Regimine Principum lib. 3. cap. 13. dicere Auguſtum Cæſarem in deſcribendo orbe vniuerſo geſſiſſe vices Chriſti in Imperio, ſed ille liber non eſt S. Thomæ vt obſeruat Card. Bellarm. in lib. de Scriptorib. Eccleſiaſticis ex eo quod præter alia ille Author, quicumque ſit, in eodem lib. cap. 10. ſemel atque iterum dicat Summum Pontificem eſſe Chriſti in Sacerdotio Succeſſorem: quod non poſſe dici, ſupra oſtendi in ſuperiori controuerſia §. 55. quanquam ille locus poſſit explicari de ſuperioritate Chriſti ſupra Auguſtum, quem Chriſtus permiſit regnare, cum potuerit eum priuare Imperio: ita Suarez tom. 1. in 3. part. diſp. 48. ſect. 2. in fine. TERTIA RATIO §. 22.
petitur ex Dominio, cuius executio manſit ſuſpenſa in Chriſto tam ſecundum iuriſdictionem temporalem, quam ſecundum Proprietatem. Nam rarò habuit actu dominium Proprietatis, vt patet ex eius

Ariſtot.

Matth. 22. Marc. 12. Luc. 10. 22.

S. Thom.

Bellarm.

paupertate, quam tantopere exaggerat Scriptura ſacra in varijs locis. Pſal. 39. *Ego mendicus ſum, & pauper.* Zachar. cap. 9. *Ecce Rex tuus venit tibi iuſtus, & Saluator, & ipſe pauper.* Matth. cap. 8. *Filius hominis non habet, vbi caput reclinet.* 2. Corinth. cap. 8. *Egenus factus eſt.* Nunquam etiam exercuit iuriſdictionem temporalem, nec vllum actum Regis fecit. Nam nullam condidit legem politicam: ſed Imperatorum leges obſeruandas præcepit Matth. cap. 22. Nullum impoſuit tributum, ſed ſoluit. Matth. cap. 17. Nullos mortis reos condemnauit; ſed abſoluit Ioan. cap. 8. Nullam tulit ſententiam, aut iudicium pronunciauit, ſed litigantes ad laïcos Iudices remiſit Luc. cap. 12. Nullos habuit ſatellites nullos milites, aut miniſtros, ſed tantùm habuit Apoſtolos duodecim Ioan. cap. 18.

Pſal. 39. Zach. 9. Matth. 8. Matth. 22. Matth. 17. Ioan. 8. Luc. 12. Ioan. 18.

§. 23. OBIICIES PRIMO Chriſtus fecit actum Regis temporalis, quando Ioan. cap. 2. eiecit ex templo vendentes, & ementes, eoſque flagello de funiculis facto caſtigauit. RESPONDEO Chriſtum non vt Regem, ſed vt Prophetam fugaſſe illos vendentes, & ementes: Si enim Sacerdotes Leuitici 2. Paralip. cap. 26. potuerũt eijcere ex Templo Oziam Regem: quanto magis Mercatores, & Trapezitas Propheta zelo Dei ardens, qualis erat Chriſtus. Sic Phinees filius Eleazari numer. cap. 25. virum & mulierem fornicantes pugione confodit, & pro mercede zeli ſui habuit à Deo Summum Sacerdotium ſuæ familiæ hæreditarium. Sic Elias Propheta magnus 3. Reg. cap. 18. Prophetas Baal interfecit: & pro mercede ſui zeli curru igneo tranſlatus fuit ex hoc mundo in commorationem meliorem. Vnde de vtroque dicitur lib. 1. Machab.

Ioan. 2.

cap. 2. *Phinees Pater noſter Zelando Zelum Dei accepit teſtamentum Sacerdotij æterni,* & paulo poſt. *Elias dum zelat zelum legis receptus eſt in cælum.* Similiter Diſcipuli dum viderunt Chriſtum eijcientem ex templo vẽdentes, & menſas numulariorum euertentem *recordati ſunt eius, quia ſcriptum eſt; Zelus domus tuæ comedit me.*

OBIICIES SECVNDO Chriſtum aliquando fuiſſe vſum poteſtate temporali, & dominio politico: Verbi gratia: quando Matth. cap. 8. permiſit Dæmonibus, vt ingrederentur in porcos: qui ſubito irruerunt in mare, & in aquis ſuffocati ſunt: quod non potuiſſet facere ſine iniuſtitia, & ſine iniuria Dominorum priuatorum, niſi ipſe vſus fuiſſet iure ſuo, & poteſtate, quam habebat in res temporales huius mundi. RESPONDEO, vt Dominium Chriſti temporale taceam: eum duobus alijs modis id præſtare potuiſſe: ſcilicet beneficio Vnionis Hypoſtaticæ, per quam humanitas Chriſti ad omnia iura, & bona Dei eleuata eſt: & Dominio ſpirituali, quod Chriſtus vt homo habuit circa omnia temporalia in ordine ad finem ſpiritualem. Tunc enim Chriſtus apud Rupertum in hunc locum intendebat Iudæos, qui contra legis præſcriptum porcis vtebantur, porcorum iactura punire: & apud S. Ioan. Chryſoſtomum, intendebat potentiam ſuam tanti miraculi fama manifeſtare: quod rei euentus comprobauit; Nam Paſtores, & qui liberati fuerant à Dæmonibus ingreſſi Ciuitatem nunciauerunt omnia: Ciues autem exierunt obuiam Chriſto, eius doctrinam amplexati ſunt, eumque rogauerunt, vt tranſiret à finibus eorum: quia vt exponit Nicol. de Lyra, indignos ſe exiſtimabant tanto Doctore: ſicut

§. 24.

Matth. 8.

Rupert.

S. Io. Chryſ.

paulo ante Centurio ſe indignum reputauerat tanto hoſpite.

§. 25. OBIICIES TERTIO Rex habens dominium proprietatis eſt Rex temporalis: Sed Chriſtus ex prima concluſione fuit Rex: & habuit dominium proprietatis: tum quia ſoluit tributum Matth. cap. 17. Ergo habebat dominium: alioquin non potuiſſet transferre dominium in alium: tum quia miſit Diſcipulos in Ciuitatem vt emerent cibos Ioan. cap. 4. habebatque veſtimenta Matth. cap. 27. quorum dominium cuius erat niſi Chriſti? Matth. 17. Ioan. 4 Matth. 17.

RESPONDEO Chriſtum habuiſſe dominium proprietatis in actu primo, cuius vſum nunquam executus eſt in ordine, ad Regnum politicum, ſed tantùm in ordine ad finem aliquem ſpiritualem, aut ſupernaturalem. Soluit enim tributum, vt nobis relinqueret exemplum humilitatis, & obedientiæ, vt dixi ſupra §. 13. emit etiam cibos, & habuit veſtimenta, quæ duo neceſſaria ſunt ad vitæ conſeruationem, vt poſſet hoc modo fundare Eccleſiam, & hominum operari redemptionem.

§. 26. DICO TERTIO Chriſtum non fuiſſe Regem Iudæorum, nec ad illum pertinuiſſe iure hæreditario Regnum Iſrael, ex eo quod eſſet de domo & familia Dauid: ita Thomas Vualdenſis contra Authores tertiæ ſententiæ. Tho. Vuald.

Probatur PRIMO ex ſcriptura Ierem. cap. 22. *Scribe virum iſtum ſterilem; virum qui in diebus ſuis non proſperabitur: nec enim erit de ſemine eius vir, qui ſedeat ſuper ſolium Dauid, & habeat poteſtatem vltra in Iuda.* Quæ verba intelliguntur de Iechonia, & continent Prophetiam de interitu Regni Iudæorum. Iechonias enim propter iniquitates ſuas à Deo priuatus Ierem. 22.

Regia poteſtate dicitur vir ſterilis, non quod non habuerit filios: nam habuiſſe octo patet ex lib. 1. Paralip. cap. 3. ſed quia nullus eorum regnauit ſecundum Regni ſucceſſionem: quod perinde fuit, ac ſi ſemper ſterilis permanſiſſet. Huic tamen ſucceſſit Sedecias eius Patruus, qui nepote pejor captus fuit à Chaldæis, & excæcatus, occiſis priùs ipſo vidente filijs: tandemque in Babilonicam captiuitatem adductus, tam ſibi, quam cœteris, qui futuri erant de ſtirpe Dauid funditus Regnum amiſit. Quæ cum ita ſe habeant, quamuis Chriſtus eſſet de familia, & domo Dauid non potuit tamen iure hæreditario poſſidere Regnum Iudæorum: quia illud Deus à domo Dauid iampridē abſtulerat Ioan. cap.
Ioan. 6. 6. *Ieſus ergo cum cognouiſſet quia* Iudæi *venturi eſſent, vt raperent eum, & facerent eum* Regem, *fugit iterum in montem ipſe ſolus.*

Probatur Secvndo ex Patribus: multos profert, & explicat Thomas Vualdenſis in toto capite §. 27.
Tho. Vuald. S. Bernard. 76. citato: inſtar omnium ſit S. Bernardus ſuper Miſſus eſt hom. 4. vbi ait: *Quòd de ſtirpe Dauid originem duxerit Dominus Ieſus nemo dubitat: quæro autem quomodo dederit ei Deus ſedem Dauid Patris ſui, cum ipſe in Ieruſalem non regnauerit: quinimo turbis eum volentibus conſtituere* Regem *non acquieuerit: ſed et ante faciem Pilati proteſtatus ſit*: Regnum *meum non eſt de hoc mundo.*

Probatur Tertio rationibus Prima eſt, quia longe ante Incarnationem Chriſti extincta fuit §. 28.
in Iechonia ſucceſſio hæreditaria Regni Dauidis, non tantùm facto, ſed etiam iure: cum Deus qui ſua voluntate dederat Regnum Dauidi, & eius poſteris ſub pacto, ſi nempe cuſtodirent mandata Dei: propter violatum pactum, voluntate ſua Regnum illud

abſtulit, & voluit, vt illud finiretur in Iechonia, aut Sedecia eius Patruo. Idcirco Zorobabel, alijque Principes ex ſtirpe Dauid oriundi, qui poſt captiuitatem Babilonicam Iudæorum Rempublicam adminiſtrauerunt, non Reges, ſed Duces, & Iudices appellabantur: quos Machabæi, ſecundum lineam maternam de Tribu Iuda deſcendentes, in eodem officio, & nomine ſubſecuti ſunt, tenueruntque Principatum vſque ad Herodem alienigenam puta ex Patre Idumeo & matre Arabica ortum, qui fuit à Senatu Romano, Iudæorum Rex inſtitutus: Tunc adimpleta fuit Prophetia Iacob Geneſ. cap. 49. Gen. 49.
quia non defecit *ſceptrum de Iuda, neque Dux de fæmore eius* vſque ad Chriſti aduentum: qui, Herode in Iudæa regnante, ex B. Virgine natus eſt: Nam quamuis illi Principes de Tribu Iuda non fuerint Reges, fuerunt tamen Duces, & Iudices Populi Iudaïci. SECVNDA RATIO eſt quia B. Virgo non
§. 29. deſcendit à Dauide per Salomonem, ſed per Nathan: & quamuis deſcendiſſet per Salomonem: tamen ipſa ſupervixit Chriſto: filius autem non cenſetur hæres actu, niſi poſt mortem eius, cuius eſt hæres. Imo vero tempore B. Virginis exiſtebant viri de domo & familia Dauid, qui ſunt fœminis præferendi in iure Regni. TERTIA RATIO eſt: quia
§. 30. licet B. Ioſeph fuiſſet de familia Dauid per Salomonem, cuius erat Regnum Iudaïcum: tamen non conſtat an fuerit Primogenitus, primuſque ſucceſſor: & quamuis fuiſſet: tamen non erat verus Pater Chriſti, ſed putatiuus, aut certe per adoptionem: quo iure adoptionis non poteſt nec debet deuolui ius Regni ad aliquem, quando ſunt naturales filij, & legitimi deſcendentes, vt tunc erant: hoc enim

fieret in præiudicium tertiæ perſonæ idoneæ ad regnandum.

Iſai. 9. OBIICIES PRIMO illud Iſaiæ cap. 9. *Super ſolium Dauid, & ſuper Regnum eius ſedebit: vt confirmet illud, & corroboret in iudicio, & iuſtitia amodo, & vſque in* §. 31.
Luc. 1. *ſempiternum*, & illud Angeli Gabrielis Luc. cap. 1. *Dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternũ, & Regni eius non erit finis:* RESPONDEO illa verba explicari de Regno ſpirituali: perſeuerauit enim Regnum Dauid vſque ad Chriſtum, non per Reges, ſed per Duces, ac Iudices populi: poſtea vero fuit tranſlatum in Chriſtum: mutato videlicet temporali Regno Dauidis in aliud multo melius, & excellentius, nempe in ſpirituale, quod habuit Chriſtus non tantùm in Iudæos: verum etiam in Gentiles.

S. Athan. OBIICIES SECVNDO S. Athanaſium in ſermone de Sanctiſſima Deipara Maria, qui reperitur §. 32.
in tom. 3. operum eius, explicare illa verba Pſ. 109. *Dixit Dominus Domino meo ſede à dextris meis* &c. vbi de Chriſto loquens ait: *Accepit autem his verbis thronum Dauidis corporaliter ex ratione proſapiæ: quia Pater illi Dauid fuit*, quaſi diceret: Chriſtus iure conſanguinitatis accepit carnaliter Regnum Dauidis, quia ipſe eſt de ſtirpe illius. RESPONDEO PRIMO Sermonem illum non videri eſſe S. Athanaſij, quod Card. Baronius tom. 1. Annal. ad annum Chriſti 48. colligit ex varijs motiuis, præſertim ex eo quod Author illius multus ſit in refutandis Neſtorij, Eutychetis, & Monothelitarum hæreſibus, quæ tempore S. Athanaſij nondum emerſerant. Adde quod in illo quædam dicuntur de attributis diuinis valde impropriè, quæ non redolent conſuetum S. Athanaſij

naſij loquendi modum. RESPONDEO SECVNDO Quandoquidem Regnum Dauid ita tranſlatum fuit in Chriſtum, vt in aliud multo melius, & excellentius fuerit commutatum: illud Aduerbium [corporaliter] non referri ad nomen [Throni] ſed ad nomen [proſapiæ] vt ſit ſenſus Chriſtum, quatenus ſecundum carnem ortus eſt ex proſapia Dauid, accepiſſe Thronum id eſt Regnum Dauid Patris ſui non temporale, quod in Iechonia, & Sedecia finitum eſt: ſed ſpirituale in omnem duraturum æternitatem, non tantùm in terra: ſed etiam in cœlo, & in inferis: vt *in nomine Ieſu omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Philippenſ. cap. 2. in cuius rei confirmationem. Philip. 2.

§. 33. DICO QVARTO Chriſtum fuiſſe Regem ſpiritualem totius mundi. Explicatur: Regnum Chriſti eſt Eccleſia: quæ duplex eſt: vna militans in terra: altera triumphans in cœlo. Ex vtraque tanquam ex duabus partialibus componitur vna totalis cuius Chriſtus eſt caput. Sic explicata Concluſio

Probatur PRIMO ex varijs locis ſcripturæ Chriſtum eſſe Regem oſtendentibus, in quibus ſemper aliquid ponitur non obſcurè indicans Regnum, & Regiam poteſtatem Chriſti debere ſpiritualiter intelligi. PRIMVS locus eſt Pſal. 2. cum dicitur Pſal. 2.
Ego autem conſtitutus ſum Rex *ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius:* additum eſt, *prædicans præceptum eius:* ideſt, vt prædicarem præceptum eius: nempe in Eccleſia, quæ in Monte Sion per Chriſti prædicationem ædificari cœpta eſt: vbi etiam Chriſtus inſtituit Euchariſtiam: & Eccleſiæ Principes Spiritum Sanctum in igne receperunt. SECVNDVS locus eſt Zachariæ cap 9. *Ecce* Rex *tuus veniet tibi* Zach. 9.

iuſtus & Saluator. cuius Regnum futurum fuiſſe ſpirituale in Eccleſia patet ex his, quæ paulo poſt adducuntur: *Loquetur pacem Gentibus: & poteſtas eius à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad fines terræ.* quę verba intelliguntur de prædicatione Chriſti annunciantis reconciliationem Generis humani cum Deo Patre ſuo, & de regia eius poteſtate, quæ in Eccleſia reſidet: & per totam terram, quæ mari ambitur extendi debebat. §. 34.
Luc. 23. TERTIVS locus eſt Luc. cap. 23. vbi Latro moribundus in cruce, cum nihil minus quam de rebus tēporalibus cogitaret petijt à Chriſto, vt fieret particeps claræ Dei viſionis in conſortio tot millium Sanctorum Patrum, qui ab initio mundi Meſſiæ Regnum expectabant. *Domine memento mei cum veneris in Regnum tuum:* cuius petitioni annuens Chriſtus etiam in cruce moribundus ait: *Amen dico tibi hodie mecum eris in Paradiſo:* ideſt in Eccleſia triumphāte, quæ mox futura erat Regnum Chriſti ſine fine duraturum. QVARTVS locus eſt
Ioan. 18. Ioan. cap. 18. Cum Chriſtus reſpondiſſet Pilato: *Tu dicis quia Rex ſum ego*: ſpiritualem ſui Regni qualitatem & modum expoſuit, dicens: *Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati*: maxime vero huic, quod ego ſim Rex totius mundi, & Meſſias in lege promiſſus, qui ad hoc veni in mundum, vt homines doceam mandata Dei, eoſque dirigam in viam ſalutis animarum ſuarum.

S. Cyrill. Alex. Probatur SECVNDO ex Patribus. S. Cyrillus Alexandr. lib. 12. in Ioan. cap. 10. ait: *Chriſtus reſpondens Pilato, Regem ſe eſſe non negat: mentiri enim non poterat: ſed Regno Cæſaris non eſſe hoſtem oſtendit: quia Principatus ſuus mundanus non eſt, ſed cæli, terræ, cætera-*

rumque rerum omnium. S. Auguſtinus lib. 17. de Ciuit. Dei cap. 7. *Populus Iſrael,* inquit, *Regnum fuerat amiſſurus: Chriſto Ieſu Domino noſtro per nouum teſtamentum, non carnaliter, ſed ſpiritualiter regnaturo.* S. Auguſt.

§. 35. Probatur TERTIO rationibus: PRIMA ratio petitur ex iiſdem proportione titulis, quibus ſupra §. 20. oſtendi ex Greg. de Valent. tom. 4. diſp. 1. quæſt. 22. punct. 6. iure communi & ordinario acquiri Regna temporalia: qui tituli ſunt quinque ſcilicet Ius belli, Electio, Donatio, Hæreditas, Inuentio ſeu prima occupatio. Nam PRIMO Chriſtus *Eccleſiam acquiſiuit* iure belli ſpiritualis, ſcilicet, *ſanguine ſuo* actor. cap. 20. *& expolians principatus, & poteſtates, traduxit confidenter, palam triumphans illas in ſemetipſo.* Coloſſ. cap. 2. vbi S. Thomas lectione 3. mirificè extollit triumphum Chriſti de Dæmonibus, quos moriendo in cruce priuauit & poteſtate, quam habebant in homines, & præda tot millionum animarum, quas ab initio mundi in Limbo captiuas tenebat. SECVNDO electione Diuina Matth. cap. 12. *Ecce puer meus, quem elegi,* vt eſſet Rex: ita Maldonat. ibid. verſ. 18. vel *quem elegi* in Ducem & Imperatorem belli ſpiritualis contra Diabolum, & peccatum gerendi: ita Cornelius à Lapide in cap. 42. Iſaiæ verſic. 1. TERTIO titulo Donationis Matth. cap. 28. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra.* QVARTO hæreditate paterna: Hebræor. cap. 1. *Quem conſtituit heredem vniuerſorum: per quem fecit, & ſæcula.* QVINTO iure propriæ inuentionis, ſeu primæ occupationis: quando ſcilicet fugato huius mundi Tyranno omnes Gentes ſub vexillo Crucis ad ſeipſum tanquam ad legitimum totius mundi Principem congregauit. Ioan. 12. *Nunc Princeps hu-*

Act. 20. Coloſſ. 2. S. Thom. Matth. 12. Maldonat. Corn. à lap. Matth. 28. Hebr. 1. Ioan. 12.

ius mundi eÿcietur foras: & ego ſi exaltatus fuero omnia trahum ad meipſum.

SECVNDA ratio petitur ex varijs muneribus Regis ſpiritualis, quæ Chriſtus in ſuo Regno executus eſt: ſex præcipua ſelegi. PRIMVM eſt deſtruere Sinagogam: quod Chriſtus minitatus fuerat Iudæis ſub parabola Matth. cap. 21. *Auferetur à vobis Regnum Dei, & dabitur Genti facient fructum.* Quibus verbis Maldonatus ait ſignificari abolendam Sinagogam: & Eccleſiam ad Gentes transferendam: quod etiam adumbratum fuiſſe monet S. Io. Chryſoſtom. hom. 52. in Matth. quando Chriſtus Matth. cap. 15. Eggreſſus ab Ieroſolyma ſeceſſit in partes Tyri, & Sidonis, quæ Vrbes erant in Regione Gentilium: tandemque adimpletum fuit, quando Apoſtoli relictis Iudæis cōuerterunt ſe ad Gentes actor. cap. 13. SECVNDVM munus eſt ſtabilire ſibi Regnum, ideſt Eccleſiam: quod fecit ſicut promiſerat Matth. cap. 16. *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* TERTIVM condere leges fundamentales Regni: qualia ſunt Sacramenta, ſine quibus Regnũ hoc ſtare non poteſt. QVARTVM condere alias leges pro voluntate ſua, quæ ad ſtatum ſpiritualem, ad Hierarchiam Eccleſiaſticam, & ad finem ſupernaturalem ideſt humani Generis ſalutem, & redemptionem, propter quam fuerat incarnatus, pertinerent: & in ordine ad hunc finem Meſſias appellatus eſt: ab Iſaia cap. 33. *Dominus Legifer noſter.* QVINTVM creare per ſe ſuos Magiſtratus. Hoc munus executus eſt Chriſtus, quando Luc. cap. 6. *Vocauit Diſcipulos ſuos, & elegit duodecim ex ipſis, quos & Apoſtolos nominauit:* quibus Matth. cap. 16. & Ioan. cap. 20. dedit generalem in Eccleſia poteſtatem.

Margin notes: § 36. — Matth. 21. — Ioan. Mald. — S. Io. Chryſ. — Actor. 13. — Matth. 16. — Iſai. 33. — Luc. 6. — Matth. 16. — Ioan. 20.

SEXTVM munus eſt abrogare legem veterem: Hebr. cap. 7. *Tranſlato enim Sacerdotio neceſſe eſt vt & legis tranſlatio fiat*, & conſequenter, abrogato Sacerdotio, neceſſe fuit legem, quæ per Sacerdotium adminiſtrabatur abrogari: quod factum eſt in morte Chriſti: qua intercedente Hebr. cap. 9. teſtamentum vetus abolitum eſt: & nouum, vtpote perfectius, & efficacius confirmatum eſt. Hebr. 7. Hebr. 9.

§. 37. OBIICIES ſi Chriſtus fuit Rex ſpiritualis, ſequitur Dignitatem Sacerdotalem, & Regiam non fuiſſe in eo duas dignitates, ſed vnam tantùm: quia Gubernatio ſpiritualis ad vtrãque dignitatem pertinet. RESPONDEO PRIMO Dignitatem Sacerdotalem, & Regiam eſſe inter ſe diſtinctas: quia vna fuit ſine altera in Aarone, qui fuit Sacerdos, non tamen Rex ſpiritualis: non enim habuit poteſtatem condendi leges ſicut Moyſes. Deinde quia Sacerdotium eſſentialiter ordinatur ad ſacrificium: Regia autem Dignitas ad gubernationem ſpiritualem: at Sacrificare, & regere formaliter diſtinguntur. RESPONDEO SECVNDO in objectione tantùm probari

§. 38. Chriſtum habuiſſe omnimodam poteſtatem in ſpiritualibus. quia non tantum erat Summus Sacerdos: ſed etiam ſummus Rex ſpiritualis, vt probatum eſt in hac, & ſuperiori Controuerſia. Hoc tamen negare videtur Suarez tom. 1. in 3. part. diſput. 47 ſect. 1. Sed eius argumenta tantùm probant Chriſtum vt Summum Sacerdotem eſſe etiam Regem ſpiritualem: quia illud Summum videtur includere poteſtatem omnem in ſpiritualibus. Suarez.

SECTIO VIII.

DE DIVINITATE, ET HVMANITATE Meſſiæ, ſeu Chriſti.

Supra de vnctione Meſſiæ, ſeu Chriſti dictum eſt: nunc de eiuſdem Diuinitate, & humanitate diſputandum eſt: idque ſex controuerſijs.

1. An Meſſias ſeu Chriſtus debeat eſſe Deus.

2. An Ieſus Nazarenus ſit verus Deus, & verus homo.

3. An lumine naturali cognoſci poſſit Ieſum Nazarenum eſſe verum Deum.

4. An, quomodo & quando Dæmones cognouerint Ieſum Nazarenum eſſe Deum.

5. An oracula Prophetarum, quæ de Meſſia ſunt, conueniant ſoli Ieſu Nazareno.

6. An Ieſus Nazarenus ſit Meſſias, in quo complectum fuit Incarnationis myſterium.

CONTROVERSIA I.

An Meſsias, ſeu Chriſtus debeat eſſe Deus, & homo.

§. 1 NEGANT perfidi Iudæi, contra quos ſupra ſect. 3. controuerſ. 1. probatum eſt Incarnationem Dominicam eſſe peractam, & Meſſiam in lege promiſſum à longo tempore aduentaſſe.

Affirmant Ioannes Bacho in 3. diſt. 20. quæſt. 2. art. 1. & 2. quæſt. 3. art. 1. 2. & 3. Suarez tom. 1. in 3. part. diſp. 1. ſect. 3. Greg. de Valent. tom. 4. diſp. 1. quæſt. 1. punct. 3. §. *Iam vero contra Iudæos.* Ioan. Bach. Suarez. Gregor. de Val.

§. 2 DICO Meſſiam, ſeu Chriſtum in antiqua lege promiſſum debere eſſe Deum, & hominem.

Hæc Concluſio non poteſt meliùs probari, quam ex oraculis Prophetarum, qui ſub lege Moſaïca vaticinati ſunt Meſſiam futurum eſſe Deum Incarnatum: quæ oracula paſſim reperiuntur in veteri teſtamento: ex quo ego ſeptem elegi hic explicanda.

PRIMVM totus Pſalmus 2. quem de Meſſia,
§. 3 ſeu Chriſto compoſitum fuiſſe à Regio Propheta teſtatur Abben Ezra, & Rabbi Salomon ex Genebrardo: idque clarè habet Paraphraſis Chaldaïca: Ille autem Pſalmus diuiditur in tres partes: Prima continet Prophetiam de conſpiratione Gentilium, & Iudæorum aduerſus Chriſtum Meſſiam: Secunda æternam Verbi Diuini generationem manifeſtat: Tertia eiuſdem adorandam Incarnationem, & quæ Abben. Ezra Rabbi Salo. Genebr. Paraphra C Chald.

per eam futura erat, beatitudinem pollicetur. Ampliorem huius pſalmi explicationem poſui ſupra ſect. 3. contr. 1. §. 13.

Pſal. 44. SECVNDVM oraculum eſt in Pſalm. 44. *Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi, virga directionis virga Regni tui. Dilexiſti Iuſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* §. 4
Quæ verba ſicut & totum Pſalmum antiqui Rabbini interpretantur de Meſſia: & patet: quia in eodem Pſalmo, vbi in noſtra verſione legitur: *Speciosus forma præ filijs hominum:* Paraphraſis Chaldaïca habet: *Pulchritudo Meſſiæ pluſquam filiorum hominis:* & paulo poſt eadem Paraphraſis Chaldaïca nomen Meſſiæ exprimit dicens: *Et tu Rex Meſſia dilexiſti iuſtitiam, & odiſti impietatem propterea vnxit te Deus oleo lætitiæ abundantiùs, quam conſortes tuos:* eique tribuit Pſalmographus Diuinitatem, & Humanitatem: Diuinitatem quidem, quando ipſum appellat Deum in vocatiuo caſu: *Propterea vnxit te* ô *Deus*: Humanitatem vero, cum ipſum à Deo ſuo vnctum aſſerit: ita vt ſit ſenſus: ô *Deus* Fili, *Deus* Pater *tuus vnxit te oleo lætitiæ* &c. ita S. Hieronymus ad Principiam. Veruntamen Aquila ait hic eſſe Epizeuxim, & ad majorem emphaſim hanc vocem *Deus*, *Deus* geminari in nominatiuo caſu. Sed hęc explicatio non deſtruit priorem ſenſum: tum quia vtramque explicationem admittit Genebrardus: tum quia Pſalmographus hic deſcribit æternam ſedem Regis Meſſiæ, quem in principio Pſalmi vocauit *Verbum bonum*, ideſt filium Dei ex S. Auguſtino: & ſignificauit Apoſtolus Hebr. cap. 1. demonſtrans ex illo loco Chriſti Diuinitatem.

Aquilia. Genebrard. S. Auguſt. Hebr. 1.

Pſal. 48. TERTIVM oraculum eſt in Pſalmo 48. *Frater non* §. 5

non redimit, redimet homo: intellige iuxta S. Baſilium S. Baſilius.
non quidem homo nudus, ſed homo Deus excedens naturam noſtram Ieſus Chriſtus: quia nullus alius poterat offerre condignum pretium: ideo ſubditur: non dabit Deo placationem ſuam, & pretium redemptionis animæ ſuæ. Et paulo poſt: *Veruntamen Deus redimet animam meam de manu Inferi, cum acceperit me.* Quibus verbis continetur Diuinitas, & Humanitas Meſſiæ: Diuinitas, dum ait Regius Propheta. *Redimet Deus animam meam de manu inferi*, ideſt de Limbo: Humanitas, dum ait: cum acceperit me: ideſt, vt explicat Hugo Cardinalis, & Michael de Bononia: cum per Incarnationem acceperit meam humanitatem, ſeu carnem humanam ortus ex mea progenie: quod adimpletum fuit in inſtanti mortis Chriſti. Hugo Car. Mich. de Bonon.

§. 6 QVARTVM eſt Iſaiæ cap. 7. *Ecce Virgo concipiet & pariet filium*: Ecce humanitatem: *& vocabitur nomen eius Emmanuel*: Ecce Diuinitatem: Emmanuel enim idem eſt, ac nobiſcum Deus. Iſai. 7.

§. 7 QVINTVM Iſaiæ cap. 25. *Ecce Deus noſter iſte: expectauimus eum, & ſaluabit nos*: *Iſte Dominus, ſuſtinuimus eum, exultabimus, & lætabimur in ſalutari eius.* Quæ verba intelliguntur de Meſſia, cuius Diuinitas initio demonſtratur: *Ecce Deus noſter iſte*: qui quia futurus erat expectatio Gentium, Geneſ. cap. 49. & Iudæorum Saluator, Ierem. cap. 33. dicitur, *expectauimus eum, & ſaluabit nos.* Deinde humanitas eius quaſi digito indicatur videnda oculis corporeis per pronomen demonſtratiuum *iſte*, ſcilicet, *iſte Dominus, ſuſtinuimus eum*, &c. quod pronomen bis poſitum eſt, vt Meſſiæ Diuinitas per fidem, & eiuſdem humanitas per viſum cognoſcatur, cuius ſuaui aſpectu nihil Iſai. 25. Gen. 49. Ierem. 33.

iucundius oculis etiam Beatorum apparere poteſt : ideo ſubditur : *exultabimus*, *& lætabimur in ſalutari eius*, ideſt humanitate eius : quod confirmauit Si-
Luc. 2. meon ille iuſtus dum Luc. cap. 2. Cygnea voce cecinit : *Viderunt oculi mei ſalutare tuum* : qui accipiens in vlnas ſuas Meſſiam infantem , & brachijs ipſum tenens gaudebat,& lætitia inenarrabili exultabat,videns paruulum à ſe geſtari,quem pro ſalute mundi veniſſe acceperat à Spiritu Sancto.

Ierem. 23. SEXTVM eſt Ieremiæ cap. 23 *Ecce dies veniunt dixit Dominus , & ſuſcitabo Dauid germen iuſtum , & regnabit Rex* &c. Ecce humanitatem : quia Paraphraſis Chaldaïca habet : *Suſcitabo Dauid Meſſiam iuſtum*, continuò ſequitur : *Et hoc eſt nomen,quod vocabunt eum Dominus iuſtus noſter* ecce Diuinitatem : quia in Hebræo eſt, *Iehouah iuſtus noſter* : Eſt autem *Iehouah* nomen Tetragrammaton,quod eſt ſolius veri Dei proprium. Illorum ergo verborum ſenſus eſt , & hic eſt Chriſtus , quem inuocabunt Deus iuſtus noſter ita Patres omnes Græci,& Latini,priſcique Hebræi, §. 8
Ioan. Maria Verratus. quos ſecutus Ioannes Maria Verratus tom. 2. in libro de Incarnatione Verbi cap. 4. ſignificationem nominis tranſtulit in Chriſtum dicens : *nec eſt putandum, quod hic accipiat nomen, mentale, vocale, vel ſcriptum, ſed nomen Dei potens,& ſanctum : ideſt Verbum Dei incarnatum, quod tanto deſiderio Patriarchæ , & Prophetæ concupierunt*. Neque dubium eſt hanc Prophetiam de Meſſia intelligi : cum Hebræi, priſcique Talmudiſtæ id fateantur : & Tranſlatio Chaldaïca, id manifeſtè conuincat,& ſic S. Hieronym. interpretetur.

Mich. 5. SEPTIMVM oraculum eſt apud Micheam cap. 5. *Et tu Bethleem Ephrata paruula es in millibus Iuda* : ideſt non es paruula : quod exprimit S. Matth. in §. 9

ſuo Euangelio cap. 1. dicens: *Nequaquam minima es in Principibus Iuda.* Rationem autem dat Propheta: *Quia ex te mihi eggredietur, qui ſit Dominator in Iſrael.* Vbi ex communi conſenſu Iudæorum ſermo eſt de Natiuitate humana Meſſiæ: quod confirmarunt Principes Sacerdotum, & Scribæ Populi, dum ab Herode Rege ſciſcitati de loco Natiuitatis Chriſti, reſponderunt eum naſciturum in Bethleem Iudæ: ad differentiam alterius Bethleem, quę erat in tribu Zabulon. Quæ autem ſequuntur ſcilicet: *Et eggreſſus eius ab initio, à diebus æternitatis* continent Meſſiæ Diuinitatem, à qua habet quod ſit ęternus, & ſecundum quam procedit à Patre æterno tanquam verus Dei filius naturalis. ita exponit Euſebius lib. 7. de demonſtratione cap. 4.

Matth. 1.

Euſeb.

CONTROVERSIA II.

An Ieſus Nazarenus fuerit verus Deus, & verus homo.

§. 1 PRIMA SENTENTIA negat Ieſum Nazarenum eſſe verum Deum: ita Carpocrates apud Guidonem Carmelitam in Sum. tit. de hæreſib. ſecundum Auguſtin. & Iſidor. cap. 7. Cherintus, Ebion, Baſilides apud Ireneum lib. 1. cap. 24. Theodotiani apud Epiphanium hæreſi 54. Paulus Samoſatenus apud S. Auguſtinum hæreſi 44. & 45.

Guid. Carm.

S. Iren.

S. Auguſt.

§. 2 SECVNDA SENTENTIA negat Ieſum Nazarenum fuiſſe verum hominem: ita Valentiniani apud Thomam Beauxamis tom. 1. harmonię Euan-

Beauxam.

gelicæ in hæc verba: *Ecce concipies, & paries filium*: qui dixerunt carnem Chriſti per Virginem, quaſi per canalem tranſiuiſſe, & nihil ex ea ſumpſiſſe. Apollinares voluerunt carnem inanimatam è cœlo attuliſſe. Marcionitæ phantaſticam carnem habuiſſe cenſuerunt. Alij etiam ibidem recenſentur hæretici, qui Chriſtum aſſumpſiſſe corpus aëreum mentiti ſunt: nec carnem habuiſſe: ſed hominem ſimulaſſe finxerunt.

TERTIA SENTENTIA affirmat Chriſtum eſſe verum Deum, & verum hominem: ita S. Thomas, & cum eo Theologi in 3. part. quæſt. 2. art. 2. Suarez, Gregorius de Valentia, Vazquez, Ioannes Lugo, Kelliſonus: quibus addo Ioannem Bachonem in Prologo libri 4. quæſt. 2. art. 1. 2. 3. Michaelem de Bononia in 3. diſt. 7. quæſt. vnic. concl. 2. & Card. Bellarminum lib. 3. de Chriſto, qui eſt de Incarnatione, cap. 8. §. 3

S. Thom. Suarez. Greg. de Val. Vazquez. Lugo. Kelliſſon. Io. Bacho. Mich. de Bononia. Bellarm.

DICO PRIMO Ieſum Nazarenum eſſe verum Deum. §. 4

Hæc Concluſio eſt contra Authores Primæ Sententiæ negantes Chriſti Diuinitatem, quam Ioan. Bacho loco citato art. 1. ex varijs Prophetarum dictis fusè probat. Ego tanquam alia Ruth poſt tantum Doctorem ſpicas colligam: & nonnulla, quæ ipſe ex dictis Prophetarum omiſit loca, quaſi in manipulos redigam; per nouum teſtamentum explicanda. Concluſio ergo hæc de Chriſti Diuinitate.

Io. Bacho.

Probatur PRIMO ex veteri Teſtamento: quia multa quæ habentur in libris Prophetarum de vnico, & Summo Deo Iſrael, attribuuntur Ieſu Nazareno, & applicantur ei, & de eo exponuntur in nouo Teſtamento. Verbi gratia: DEVS contra quem §. 5

Populus Iſraeliticus murmurauit in deſerto Num. cap. 21. dicitur eſſe Chriſtus 1. cor. cap. 10. DEVS, qui eduxit Hebræos de Ægypto Exod. cap. 20. dicitur eſſe Ieſus in epiſtola S. Iudæ, vt ibi notat Beda. DEVS, qui fuit in Sinai, & aſcendit in altum Pſal. 67. dicitur eſſe Chriſtus Epheſ. cap. 4. vt ibi exponit S. Hieronymus. DEVS, quem iubentur Angeli adorare Pſal. 96. & qui terram initio fundauit Pſal. 101. dicitur eſſe Chriſtus, Hebr. cap. 1. vt explicat S. Athanaſius orat. 2. contra Arianos. DEVS, quem ſi non in propria eſſentia, ſaltem in ſpecie repreſentante Iſaias vidit ſedentem ſuper ſolium excelſum, ſibique dicentem: *excæca oculos ipſorum* &c. Iſai. cap. 6. dicitur eſſe Ieſus Ioan. cap. 12. *Vox clamantis in deſerto: Parate viam Domino, rectas facite ſemitas DEI noſtri* Iſai. cap. 40. dicitur eſſe Ioannes Baptiſta, qui viam præparauit Chriſto Matth. cap. 3. Marc. Luc. Ioan. cap. 1. DEVS præter quem non eſt alius, & cui *curuabitur omne genu* Iſai. cap. 45. dicitur eſſe Chriſtus Rom. cap. 14. DEVS *primus, & nouiſſimus* Iſai. cap. 41. & 44. & 48. dicitur eſſe Chriſtus Apoc. cap. 1.

Num. 21. 1. cor. 10. Exod. 20. Iudas. Beda. Pſal. 67. Epheſ. 4. Pſ. 96. 101. Hebr. 1. Iſai. 6. Ioan. 12. Iſai. 40. Matth. 3. Marc. 1. Luc. 1. Ioan. 1. Iſai. 45. Rom. 14. Iſai. 41. 44. 48. Apocal. 1.

§. 6 Probatur SECVNDO ex nouo teſtamento: idque dupliciter Primo ex varijs epithetis, quæ clarè indicant eius Diuinitatem: Nam vocatur filius Dei Matth. cap. 16. Vnigenitus Ioan. cap. 3. Proprius Rom. cap. 8. Verus 1. Ioan. cap. 5. Naturalis Hebr. cap. 1. Coloſſ. cap. 1.

Matth. 16. Ioan. 3. Rom. 8. 1. Ioan. 5. Hebr. 1. Coloſſ. 1.

§. 7 SECVNDO ex varijs teſtimonijs. PRIMVM eſt Archangeli Gabrielis Luc. cap. 1. *Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum: hic erit magnus, & filius Altiſſimi vocabitur.* Cum autem B. Virgo ſciſcitaretur, quomodo fieret iſtud: reſpon-

Luc. 1.

dit Archangelus: *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi: ideoque & quod naſcetur ex te ſanctum vocabitur Filius Dei.*

SECVNDVM teſtimonium eſt Patris æterni: tum in Iordane, dum Chriſtus baptizaretur Matth. cap. 3. Marc. cap. 1. Luc. cap. 3. tum in Monte Thabor, dum ante Diſcipulos ſuos transfiguraretur, Matth. cap. 17. Luc. cap. 9. tunc enim vox Patris audita eſt: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* TERTIVM teſtimonium eſt Dæmonum: qui ex Card. Toleto in cap. 4. Luc. Annotation. 74. Chriſti Diuinitatem ter confeſſi ſunt. PRIMO Luc. cap. 4. *Quid nobis & tibi Ieſu Nazarene? veniſti perdere nos? ſcio te, quia ſis Sanctus Dei.* SECVNDO Marc. cap. 1. Luc. cap. 4. *Exibant à multis Dæmonia dicentia. Quia tu es Filius Dei & increpans non ſinebat ea loqui, quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum.* TERTIO Matth. cap. 8. Marc. cap. 5. Luc. cap. 8. quando deprecabantur, vt mitteret eos in Porcos dicebant: *Ieſu Fili Dei altiſſimi.* QVARTVM teſtimonium eſt S. §. 8
Petri: Cum enim Chriſtus interrogaſſet ſuos Diſcipulos: quem dicerent homines eſſe filium hominis Matth. cap. 16. Petrus auditis aliorum reſponſionibus ſuam ſubdidit dicens: *Tu es Chriſtus Filius Dei viui.* QVINTVM teſtimonium eſt boni illius Centurionis, qui intuens Chriſtum in crucem trabali clauo affixum toto corpore laniatum, audito ingenti terræmotu, perſpecta Solis & Lunę ecclypſi exclamauit quanta potuit voce maxima Matth. cap. 27. *Verè Filius Dei erat iſte:* SEXTVM & vltimum teſtimonium eſt S. Thomæ Apoſtoli, qui videns Chriſtum rediuiuum eius Diuinitatem teſtatus eſt Ioan. cap. 20. *Dominus meus, & Deus meus.*

Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3. Matth. 17. Luc. 9. Tolet. Luc. 4. Marc. 1. Luc. 4. Matth. 8. Marc. 5. Luc. 8. Matth. 16. Matth. 27. Ioan. 20.

Probatur TERTIO ratione: quia Meſſias debet eſſe Deus, vt probaui in ſuperiori controuerſia; Sed Chriſtus eſt Meſſias, vt probabo in controuerſia quarta: Ergo Chriſtus eſt Deus.

§. 9 DICO SECVNDO Ieſum Nazarenum eſſe verum hominem eiuſdem ſpeciei nobiſcum.

Hæc Concluſio eſt contra Authores Secundæ Sententiæ negantes Chriſti humanitatem: ſed

Probatur PRIMO ex quibuſdam locis veteris Teſtamenti, in quibus Chriſtus promittitur ex ſtirpe humana naſciturus, & conſequenter eiuſdem ſpeciei, cum illis, ex quorum ſtirpe oriundus erat. PRIMVS locus eſt Geneſ. cap. 22. Dixit Deus Abrahæ *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes*: quod ſemen dicitur eſſe Chriſtus Galat. cap. 3. SECVNDVS eſt Deuteron. cap. 18. Moyſes ait: *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis ſicut me ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus*: quem locum S. Petrus Act. cap. 3. & S. Stephanus Act. cap. 7. explicant de Chriſto. TERTIVS locus eſt in Pſal. 131. *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam*: quæ verba S. Petrus Act. cap. 3. explicat de promiſſione Chriſti à Deo facta Dauidi ex eius ſtirpe naſcituri. Geneſ. 22. Galat. 3. Deuter. 18. Act. 3. & 7. Pſal. 131. Act. 3.

§. 10. Probatur SECVNDO ex varijs locis noui Teſtamenti, in quibus Ieſus Nazarenus vocatur homo: à ſeipſo Ioan. cap. 8. *Nunc quæritis me interficere hominem, qui veritatem vobis locutus ſum*: à Cœco nato, Ioan. cap. 9. *Ille homo, qui dicitur Ieſus*: à Iudæis, Ioan. cap. 10. *De bono opere non lapidamus te, ſed de Blaſphemia, & quia tu cum homo ſis, facis teipſum Deum*: à Caïpha Ioan. cap. 11. & 18. *Expedit vt vnus homo moriatur*: à Centurione, Marc. cap. 15. *Verè hic homo Filius Dei erat.* Ioan. 8. Ioan. 9. Ioan. 10. Io. 11. & 18 Marc. 15.

Probatur TERTIO rationibus PRIMA quia §. 11.
1. Ioan. 4. habebat carnem 1. Ioan. cap. 4. *Qui non confitetur Chriſtum in carne veniſſe ex Deo non eſt.* Habebat ſan-
1. Ioan. 1. guinem 1. Ioan. cap. 1. *Sanguis Ieſu Chriſti filij eius mundat nos.* Habebat animam rationalem Matth.
Matth. 26. cap. 26. *Triſtis eſt anima mea.* SECVNDA ratio eſt quia eliciebat actiones verè humanas: nam ambu-
Ioan. 7. labat: Ioan. cap. 7. Cum Publicanis, & Peccatoribus manducabat, Marc. cap. 2. Cum ieiunaſſet
Marc. 2. Matth. 4. Ioan. 4. Ioan. 18. eſurijt Math. cap. 4. Fatigatus ex itinere ſedebat ſupra fontem, Ioan. cap. 4. Loquebatur palam, & docebat in Synagoga, & in Templo, Ioan. cap. 18.
Hebr. 13. extra portam paſſus eſt Hebr. cap. 13. In crucem
Ioan. 19. affixus ſitiebat, Ioan. cap. 19. Denique pro nobis
Rom. 5. mortuus eſt Rom. cap. 5. TERTIA ratio eſt, quia Chriſtus habebat paſſiones appetitus ſenſitiui: ſed à recta ratione regulatas: quæ cum ſimpliciter ſumptæ pertineant ad naturæ humanæ integritatem & perfectionem, debent Chriſto attribui. Hos autem affectus S. Thomas. S. Ambroſius. S. Cyrillus. S. Ioannes Damaſcenus vocant paſſiones: quos ſe-
Gregor. de Val. quuntur Gregor. de Valentia tom. 4. diſp. 1. quæſt. 15. punct. 4. Sanctus autem Hieronymus vocat
Suarez. propaſſiones, quem ſequitur Suarez tom. 1. in 3. part. diſp. 34. ſect. 1. Vtrumuis dicas parum refert.

DICO TERTIO Ieſum Nazarenum eſſe verum Deum, & verum hominem. §. 12.

Hæc concluſio eſt Authorum tertiæ Sententiæ, qui affirmant vtramque naturam, ſcilicet Diuinam, & humanam, facta Vnione Hypoſtatica perfectam, & integram permanſiſſe in Chriſto.

Marc. 15. Probatur PRIMO ex ſcriptura Marc. cap. 15.
Ioan. 5. 10. 14. *Verè hic homo Filius Dei erat.* Ioan. cap. 5. 10. 14.

Nunc

nunc æqualis, nunc minor dicitur: æqualis ſecundum Diuinitatem: minor ſecundum humanitatem. Rom. cap. 9. *Quorum Patres ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula Amen.* Hoc in loco Apoſtolus ait Chriſtum ſecundum carnem, ideſt ſecundum humanitatem natum eſſe ex parentibus Iudæis: verumtamen eſſe Deum ſuper omnia, ideſt ſecundum Diuinitatem Philipp. cap. 2. *Cum in forma Dei eſſet*: Ecce Diuinitatem: *formam ſerui accipiens*: Ecce humanitatem. Rom. 9. Philip. 2.

§. 13. Probatur SECVNDO ex Concilijs: Calcedonenſe contra Eutychetem congregatum act. 5. in ſecunda confeſſione fidei: *Credimus Chriſtum Dominum, vnigenitum, in duabus naturis incommutabiliter, inconfuſibiliter, inconuertibiliter, indiuiſibiliter, inſeparabiliter agnoſcendum: nulla naturæ differentia ſublata per vnionem.* Et in VI. Synodo Generali, quæ fuit Conſtantinopolitana tertia ſub Agathone contra Monothelitas action. 4. ducenti illi & nonaginta Patres congregati vno ore dicunt: *Duas Chriſti naturas prædicamus ex quibus, & in quibus etiam poſt admirabilem, & inſeparabilem vnionem ſubſiſtit, & vnamquamque eius naturam proprietatem naturalem habere confitemur.* Conc. Calc. Syno. 6. gen.

§. 14. Probatur TERTIO ex Patribus S. Cyrillus Ieroſolymitanus in Catecheſi 4. loquens de generatione Chriſti ex B. Virgine ait: *Duplex erat Chriſtus: homo quidem id, quod apparebat: Deus vero, quod intelligebatur.* Hoc explicans S. Auguſtinus exemplo S. Thomæ Apoſtoli, in tract. 121. in Ioan. dixit: *Videbat autem Thomas, tangebatque hominem, & confitebatur Deum, quem non videbat, neque tangebat: ſed per hoc, quod videbat, atque tangebat, illud iam remota dubitatione* S. Cyrill. S. Auguſt.

Theophila. *credebat.* Quod poſtea confirmauit Theophilactus ſcribens in cap. 21. Ioannis. *Qui priùs incredulus fuerat tactu lateris optimum verbum indicauit: duas enim naturas & vnam hypoſtaſim vnius Chriſti docuit. Dicendo enim Dominum, humanam indicauit naturam: nam de hominibus dicitur Dominus, ſicut Domine ſi tu ſuſtuliſti eum: dicendo autem: Deus meus: Diuinam ſubſtantiam oſtendit: & ita vnum & eundem eſſe Dominum & Deum.* Idem

S. Hieron. confeſſi ſunt cæteri Patres: S. Hieron. in caput 55. Iſaiæ explicans illud: *Ecce teſtem Populis dedi eum, Ducem, ac Præceptorem Gentibus.* Gelaſius Papa in libro

Gelaſius. S. Leo. de duabus naturis. Leo in epiſt. ad Flauianum: & alij: quos citat Suarez tom. 1. in 3. part. diſp. 7. ſect. 3. concl. 1.

Non tamen omittam inſigne teſtimonium S. §.

S. Athanaſ. Athanaſij, qui de Chriſti Diuinitate, & Humanitate 15.

in Symbolo ita loquitur: *Eſt ergo fides recta, vt credamus, & confiteamur: quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus Deus, & homo eſt.* Quod quomodo factum ſit explicat dicens: *Deus ex ſubſtantia Patris ante ſæcula genitus: & homo ex ſubſtantia matris in ſæculo natus.* Tum con-

Cherintus Cerdon. tra Cherintum, & contra Cerdonem inuehitur: quorum hic ex S. Auguſtino, hæreſi 21. negauit Chriſti humanitatem: Diuinitatem autem eius confeſſus eſt: ille ex eodem Auguſtino hæreſi 8. confeſſus eſt Chriſti humanitatem: Diuinitatem autem eius negauit, ideo ſubiunxit S. Athanaſius: *Perfectus*

Arius. *Deus, perfectus homo.* Similiter contra Arium, qui in VII. Synodo act. 6. & apud S. Auguſtinum hæreſi 49. negauit Chriſto animam rationalem: voluitque Verbum fuiſſe loco animæ, quod animauit carnem: ita vt ex Verbo, & carne facta ſit vna natura, addidit S. Athanaſius: *Ex anima rationali, & humana carne ſub-*

ſiſtens. Verum quia, vt referunt S. Epiphanius lib. 2. hæreſ. 69. & S. Auguſt. loco citato idem Arius pertinaciter tuebatur filium in Diuinis non habere eandem ſubſtantiam cum Patre: ſed eſſe Patris creaturam, & conſequenter Patri inferiorem: S. Athanaſius loquens de Chriſto, diſertè ait: *Aequalis Patri ſecundum Diuinitatem, minor Patre ſecundum humanitatem.* Quamuis autem S. Athanaſius in oratione. Quod Chriſtus ſit vnus: quæ eſt in tomo 1. ſuorum operum impugnauiſſet vetuſtiores Hæreticos: quorum quidam aſſeruerant Chriſtum eſſe tantùm Deum: alij tantùm hominem: tamen voluit iterum eoſdem impugnare in Symbolo his verbis: *Qui licet Deus ſit & homo: non duo tamen, ſed vnus eſt Chriſtus.* Vbi duas alias refellit hæreſes: quarum vna eſt Apollinaris, & aliorum apud S. Leonem apiſt. 60. & 81. & S. Auguſtin. hæreſi 55. qui dixerunt Diuinitatem non quidem totam, ſed eius quandam particulam in humanitatem fuiſſe conuerſam: eo modo, quo Origeniſtæ dicunt animam rationalem eſſe deciſam à Deo: quos refellit his verbis: *Vnus autem non conuerſione Diuinitatis in carnem, ſed aſſumptione humanitatis in Deum.* Altera eſt cuiuſdam Polemij, qui apud Theodoretum lib. 4. hæreticar. fabularum, Epiphanium hæreſi 77. 78. Card. Baron. ad annum Chriſti 373. opinatus eſt in Chriſto vnam eſſe naturam ex Diuinitate, & Humanitate corruptis & confuſis: ſicut ex duobus Elementis fit tertium, vel mixtum: quem S. Athanaſius refellit his verbis: *Vnus omnino non confuſione ſubſtantiæ: ſed vnitate perſonæ.* Tandem totum ſuum propoſitum de Chriſti Diuinitate, & Humanitate concludit hac præclara ſimilitudine: *Nam ſicut anima rationalis, & caro vnus*

Arius.

Apollinaris.

Polemius.

eſt homo: ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus: quam ſimilitudinem bene iuxta hunc ſenſum explicant Ga-
Gabr. Biel. briel Biel in 3. diſt. 6. quæſt. 2. art. 2. concl. 4. &
Guil. Okam art. 3. dub. 1. Guillermus Okam in ſuo centilogio concl. 18. & 36.

Probatur QVARTO rationibus PRIMA pe- §.
titur ex duplici Chriſti Generatione, ſcilicet Diui- 16.
na, & humana: vtraque habetur in ſcriptura: Diui-
Pſal. 2. & 109. na quidem in Pſalm. 2. *Ego hodie genui te*. Pſal. 109.
Ante Luciferum genui te. Humana vero Matth. cap. 1.
Matth. 1. Luc. 1. *De qua natus eſt Ieſus, qui dicitur Chriſtus* Luc. cap. 1. *Ecce concipies, & paries filium*: vbi etiam vocatur filius Dei, & filius B. Virginis: at filiatio dicit ſimilitudinem in natura. SECVNDA ratio petitur ex fine Incarnationis, quæ dirigebatur ad perfectam iuſtitiam, quæ vtramque naturam requirit: humanam quidem, vt idem qui offenderat ſatisfaceret: idem inquam ſi non in indiuiduo, ſaltem in ſpecie: Diuinam vero, vt operationes humanæ Chriſti eſſent infinitæ: ſi non phyſicè, ſeu quoad entitatem: ſaltem moraliter, & ſecundum æſtimationem, ac dignitatem propter ſuppoſitum Chriſti infinitum, videlicet Diuinum, quod dabat valorem infinitum operationibus Chriſti humanis.

TERTIA ratio petitur ex vtriuſque naturæ §.
operationibus, & proprietatibus, quæ erant in Chri- 17.
ſto, quarum, quædam ſunt Diuinitatis, vt eſſe filium
Matth. 16. Coloſſ. 1. Hebr. 1. Philip. 2. Ioan. 10. Ioan. 16. Dei naturalem Matth. cap. 16. imaginem Dei inuiſibilis Coloſſ. cap. 1. figuram Paternæ ſubſtantiæ Hebr. cap. 1. Æqualem Deo Philipp. cap. 2. Vnum cum Patre æterno Ioan. cap. 10. Principium productiuum Spiritus Sancti, eumque mittere Ioan. cap. 16. Quædam erant humanitatis, vt loqui, ambulare

vſque ad defatigationem; pati, mori; & aliæ de quibus dictum eſt in Concluſione 2. Adde quod Chriſtus habet carnem, ſanguinem, & animam rationalem, ex quibus componitur homo. QVARTA ratio petitur ex prima Concluſione, in qua probatum eſt Ieſum Nazarenum eſſe verum Deum; & ex ſecunda Concluſione, in qua probatum eſt Ieſum Nazarenum eſſe verum hominem: vnde concluſum manet Ieſum Nazarenum eſſe verum Deum, & verum hominem.

CONTROVERSIA III.

An lumine naturali cognoſci potuerit Ieſum Nazarenum eſſe verum Deum.

§. 1 RATIO DVBITANDI petitur ex Scriptura. Matth. cap. 8. Marc. cap. 1. & 5. Luc. cap. 4. & 8. quibus in locis Dæmones, in quibus nullum eſt lumen ſupernaturale Ieſu Nazareni Diuinitatem manifeſtè confeſſi ſunt: quamuis dum eos eijciebat ex corporibus energumenorum non ſineret eos loqui: quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum. Matth. 8. Marc 1. & 5 Luc. 4. & 8.

§. 2 CONFIRMATVR quia Dæmones naturaliter videbant miracula fieri à Chriſto in atteſtationem ſuæ Diuinitatis: quod ipſe poſtulauerat à Patre ſuo Ioan. cap. 11. *vt credant, quia tu me miſiſti.* Ideo dicebat Ioan. cap. 10. *Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me*: at euidens eſt Ioan. 11. Ioan. 10.

Deum non teſtificari mendacia per miracula: & euidens erat Chriſtum dicere ſe facere miracula in talem teſtificationem: Ergo lumine naturali poteſt euidenter cognoſci Ieſum Nazarenum eſſe verum Deum.

NOTANDVM EST miracula Chriſti ſpectata per ſe ſola non vt coniuncta cum ſcripturis, & Prophetijs de Meſſia non fuiſſe ſufficientia ad cognoſcendum Chriſtum eſſe Meſſiam aut Deum, aut virum Sanctum: poterant enim majora fieri à Deo per hominem purum Ioan. cap. 10. *Majora horum faciet*: imo, & per Peccatorem: cum gratia miraculorum ſit gratis data, & non ſanctificans: eadem autem miracula ſpectata vt coniuncta cum Prophetijs de Meſſia abſque alia Chriſti teſtificatione euidenter oſtendebant Ieſum Nazarenum, & Deum, & Meſſiam eſſe: dummodò Prophetiæ intelligerentur, crederentur, & veritas miraculorum euidenter cognoſceretur: Quando enim teſtimonia continent prædictioné futurorum, ſi res prædictæ iam videantur impletæ euidenter conſtat illa fuiſſe vera: & ita Chriſtus Ioanni quærenti Matth. cap. 11. *Tu es qui venturus eſt* &c. tantùm abtulit miracula: *Cæci vident, claudi ambulant* &c. alludens ad illud Iſaiæ cap. 35. in quo hiſdem pene verbis miracula Meſſiæ prædicta erant. §. 3

Ioan. 10.

Matth. 11.

DICO ſolo lumine naturali non poſſe cognoſci, aut probari Ieſum Nazarenum eſſe verum Deum. §. 4

Matth. 16.

Probatur PRIMO ex Scriptura Matth. cap. 16. Cum Petrus dixiſſet Chriſto: *Tu es Chriſtus Filius Dei viui*: Reſpondit Chriſtus: *Beatus es Simon Barjona: quia caro & ſanguis non reuelauit tibi: ſed Pater meus, qui in cælis eſt* Luc. cap. 10. *Nemo ſcit quis ſit Filius, niſi*

Luc. 10.

Pater: & quis ſit Pater, niſi filius, & cui voluerit filius reuelare. 1. Cor. cap. 2. *Quæ Dei ſunt nemo nouit, niſi Spiritus Dei: nos autem non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum, qui ex* Deo *eſt, vt ſciamus, quæ à* Deo *donata ſunt nobis.* Sed inter omnia, quæ à DEO nobis donata ſunt, præcipuus eſt Chriſtus homo DEVS: vt teſtatur S. Ioannes in Euangelio cap. 3. *Sic Deus dilexit mundum* (ideſt hominem) *vt filium ſuum vnigenitum daret.* Ad Galat. cap. 1. *Vocauit me per gratiam ſuam, vt reuelaret filium ſuum in me* (ideſt mihi: ita S. Ioan. Chriſoſt. Theophilact. Vazquez. Gloſa interlinearis) *vt euangelizarem illum in Gentibus.* 1. Cor. 2. Ioan. 3. Galat. 1.

§. 5 Probatur SECVNDO ex Patribus. Nam Theophilactus explicans illum locum Apoſtoli Galat. cap. 1. immediatè ante citatum: introducit Apoſtolum ita loquentem: *Reuelauit mihi & filium, vt non modo eum his oculis cernerem: ſed ad alios etiam illius nomen perferrem.* S. Ioan. Chriſoſtomus hom. 55. in Matth. ait: *filium Pater: Patrem filius reuelat: nec enim Patrem quiſquam cognoſcit, niſi filius, & cuicumque voluerit filius reuelare. Non ergo poſſumus aliunde cognoſcere filium, quam à* Patre: *nec* Patrem *aliunde quam à filio.* S. Auguſtinus tract. 48. in Ioan. explicans illud Iudæorum Ioan. cap. 10. *Si tu es Chriſtus dic nobis palam* ait. *Quærebant audire à* Domino: *Ego ſum Chriſtus: & fortaſſe de Chriſto ſecundum hominem ſapiebant: Prædicauerunt enim Prophetæ Chriſtum: ſed* Diuinitatem *Chriſti & in* Prophetis, *& in ipſo Euangelio, nec hæretici intelligunt: quantò minus Iudæi, quandiu velamen eſt ſuper cor eorum?* S. Hieronymus lib. 3. in Matth. illa verba cap. 6. *Caro, & ſanguis non reuelauit tibi: ſed* Pater *meus,* quæ dicta ſunt de Diuinitate Chriſti, ita explicat: *Quod caro, & ſanguis reuelare non potuit, Spiritus Sancti* Theophila. S. Io. Chryſ. S. Auguſt. S. Hierony.

Tho. Beauxamis. *gratia reuelatum eſt.* Thomas Beauxamis in tom. 2. Harm. Euangelicæ dum explicat illa verba Ioan. cap. 5. *Qui non honorificat filium, non honorificat Patrem, qui miſit illum*: citat S. Baſilium Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopum dicentem. Cum ergo quædam in Chriſto videbamus humana, vt nihil à communi mortalium fragilitate diſtare videantur: quædam item DIUINA, quæ nulli alij, quam ineffabili naturæ conueniant DIUINITATIS, hæret humani intellectus anguſtia, & tantæ admirationis ſtupore perculſa, quo ſe conuertat, ignorat.

Probatur TERTIO exemplis eorum, qui naturaliter non potuerunt cognoſcere DIUINITATEM Chriſti, quam poſtea per reuelationem DIUINAM cognouerunt. PRIMVM exemplum eſt Nicodemi, cui cum non poſſet capere virtutes Baptiſmi, qui confertur in aqua, quæ terrena eſt, dixit Chriſtus: *Si terrena dixi vobis, & non creditis, quomodo ſi dixero vobis cæleſtia credetis*: & quaſi manu deducens eum ad ſuæ Diuinitatis, & humanitatis cognitionem, ait, *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo filius hominis qui eſt in cælo.* Ioan. cap. 3. SECVNDVM eſt Cœci nati: Ioan. cap. 9. ex quo Chriſtus quæſiuit, an crederet in filium Dei, qui lumine tantùm naturali ductus, reſpondit ſe illum ignorare: cui cum dixiſſet Chriſtus, *vidiſti eum, & qui loquitur tecum ipſe eſt*: illuſtratus lumine fidei ait: *Credo* DOMINE, *& procidens in terram adorauit eum.* TERTIVM eſt Philippi Ioan. cap. 14. qui iuxta lumen naturale loquendo petierat à Chriſto: *Domine oſtende nobis Patrem*: cui ſicut & cœteris Apoſtolis Chriſtus reſpondit: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem: quomodo tu dicis, oſtende nobis Patrem: non credis, quia ego in Patre, &*

§. 6

Ioan. 3.

Ioan. 9.

§. 7.

Ioan. 14.

Pater in me eſt: ideſt, quamuis ſimus tres Perſonæ realiter diſtinctæ: tamen ſubſiſtimus in vna tantùm eſſentia: & per vnam tantùm potentiam operamur: *Pater autem in me manens ipſe facit opera*: ideſt, opera Patris ſunt opera mea, & opera mea ſunt opera Patris: idcirco, vt ait S. Auguſtinus tract. 73. in Ioan. adiungit & dicit: *Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt? alioquin propter opera ipſa credite.* Talibus verbis reuelans Apoſtolis altitudinem myſterij, ad cuius vel tantillam cognitionem nulla via naturali S. Auguſt.

§. 8 perueniri poteſt. QVARTVM exemplum eſt Sauli Actor. cap. 9. qui in puris naturalibus conſtitutus, cadens in terram vidit Chriſtum ſplendidiſſimo lumine circunfuſum, cuius humanitatem videbat, vocem audiebat, & Diuinitatem ignorabat: clamabat, *Quis es Domine? & ille ego ſum Ieſus*; iterum Saulus: *Domine quid me vis facere?* Nondum agnoſcit Diuinitatem: donec baptizatus ab Anania, & repletus Spiritu Sancto, continuò prædicauit in Sinagogis IESVM, quoniam hic eſt Filius Dei. Act. 9.

§. 9 Probatur QVARTO rationibus. PRIMA: Quod Chriſtus ſit Deus eſt articulus fidei reuelatus per Sanctum Thomam Apoſtolum Ioan. cap. 20. *Dominus meus, & Deus meus.* & Apocalip. cap. 4. *Dominus Deus omnipotẽs, qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt.* Quæ verba intelliguntur de Chriſto: qui erat antequam naſceretur: nunc eſt in cœlo: & venturus eſt ad Iudicium. Ergo ſine ſupernaturali lumine cognoſci non poteſt, ſicut nec alij articuli fidei. Ioan. 20. Apoc. 4.

§. 10. SECVNDA ratio petitur ex cognoſcibilitate entis ſupernaturalis, quod duplex eſt: vnum ſecundum ſubſtantiam, quod ſecundum ſuam entitatem eſſentialiter eſt ordinis ſupernaturalis, cuiuſmodi

eſt Trinitas, Incarnatio, virtutes infuſæ, iuſtificatio, aliaque myſteria gratiæ: Alterum ſecundum modum, quod habet quidem entitatem ordinis naturalis: ſed producitur vel conſeruatur modo ſupernaturali, cuiuſmodi ſunt Reſurrectio, Vinum à Chriſto factum in nuptijs, & viſio reſtituta cæco: Hæc enim ſunt entia naturalia; ſed modus quo fiunt eſt ſupernaturalis. Primum ex Vazquez in 1. part. diſp. 214. cap. 3. num. 13. & 16. non poteſt cognoſci lumine naturali: ſecundum poteſt. Hoc poſito ſic Argumentor: Nullum ens ſupernaturale ſecundum ſubſtantiam poteſt cognoſci ſolo lumine naturali: Sed Ieſu Nazareni Diuinitas eſt ens ſupernaturale ſecundum ſubſtantiam: Ergo Ieſu Nazareni Diuinitas non poteſt cognoſci ſolo lumine naturali. Major Probatur: quia tale ens ſupernaturale eſt improportionatum ſpeciebus naturalibus, & lumini naturali, imo & cauſæ efficienti naturali: Quamobrem ſicut eſt extra facultatem agentium naturalium: ita eſt ſupra captum cuiuſuis intellectus creati. Minor Probatur: quia in Ieſu Nazareno tria ſunt: ſcilicet natura humana, Perſona Diuina, & Vnio Hypoſtatica: primum eſt ſupernaturale ſecundum modum: duo poſteriora ſunt ſupernaturalia ſecundum ſubſtantiam.

Vazquez.

§. II.

TERTIA ratio petitur ex notitia Dæmonum, qui in cognitione naturali homines lōgè multùmque ſuperant: Illos enim dubitaſſe, & ex ſuſpicione potiùs, quam certa ſcientia locutos fuiſſe de Ieſu Nazareni Diuinitate Scriptura, & Patres indicant. Matth. cap. 4. aiebat Dæmon alloquens Chriſtum: *Si filius Dei es.* 1. Corinth. cap. 2. ait Apoſtolus: *quem nemo Principum huius ſæculi cognouit*: quos Principes Dæmones explicat S.

Matth. 4. 1. Cor. 2.

Anſelmus ibidem loquitur enim Apoſtolus de ſapientia Incarnationis, ſeu Paſſionis, quam Deus prædeſtinauit in gloriam noſtram; *quam*, inquit S. Anſelmus, *nullus malignorum Spirituum cognouit*: & reddit rationem: *quia ſi Dæmones cognouiſſent paſſionem Christi valere ad redemptionem humani generis, nunquam ſuggeſſiſſet Diabolus illum crucifigi per quem ius ſuum perderet.* S. Ignatius, quem refert, & ſequitur S. Hieronymus lib. 1. in Matth. cap. 1. vult B. Virginem deſponſatam fuiſſe Ioſeph: vt partus eius celaretur Diabolo. S. Gregorius lib. 2. moral. cap. 23. ait: *Antiquus hoſtis dum Redemptorem paſſibilem cerneret, omne quod de eius Diuinitate ſuſpicatus eſt: ei faſtu ſuperbiæ ſuæ in dubium venit: & dum hominem conſpicit, Deum eſſe dubitauit.* & paulo poſt ſubdidit: *Quia igitur paſſibilem vidit: non Deum natum, ſed Dei gratia cuſtoditum credidit.*

S. Anſelm. S. Ignat. S. Greg.

§. 12. QVARTA ratio petitur ex miraculis à Chriſto factis in atteſtationem ſuæ Diuinitatis: quæ quamuis eſſent euidentia in teſtificante, vt loquuntur, puta in aſſeueratione, & teſtimonio externo Chriſti dicentis ſe eſſe Deum & in eius rei confirmationem operari miracula: tamen non in ſeipſis, vel in ſuis cauſis: cum nullum fuerit opus, vel miraculum Chriſti, quod Deus non potuerit facere per creaturam ſibi non vnitam hypoſtaticè, ac perſonaliter: Apoſtoli enim alijque Sancti homines ſimilia miracula fecerunt: imo & majora potuerunt facere, ſicut dictum eſt ſupra in hac controuer. in notand. §. 3

§. 13. AD RATIONEM DVBITANDI initio huius controuerſiæ poſitam RESPONDEO in ea nihil contra Concluſionem fieri: quia ad ſummum probat, vel notitiam in atteſtante: vel cognitionem non pure naturalem: ſed partim naturalem: partim

reuelatam: vt dicam in ſequenti controuerſia §. 2.

AD CONFIRMATIONEM verò RESPONDEO §. 14.
miracula Chriſti euidenter cognita, & coniuncta Chriſti teſtimonio aſſerentis ſe eſſe Deum, & Meſſiam: & in eius rei confirmationem ea patrantis potuiſſe conuincere Chriſtum eſſe Deum: non euidentia rei, & in ſe: ſed euidentia in Chriſto teſtificante: de qua etiam dixi ſupra §. 3. Quæ vt clarius intelligantur, ſit

CONTROVERSIA IV.

An: Quomodo: & Quando Dæmones cognouerint Chriſtum eſſe Deum.

NON eſt difficultas de cognitione purè naturali, quæ à Dæmonibus remota eſt in ſuperiori controuerſia: ſed de cognitione partim reuelata, partim naturali. Pro cuius difficultatis explicatione quatuor inſtituendæ ſunt Concluſiones: itaque §. 1

DICO PRIMO reuelata hominibus Chriſti §. 2
Diuinitate Dæmones naturali lumine cognouiſſe quod reuelatum eſt, ſiue à Deo per Prophetas, ſiue à Chriſto per Apoſtolos, & Euangeliſtas, tam in veteri, quam in nouo teſtamento contentum. Probatur: quia hoc etiam conceſſum eſt hominibus: vt ea quæ legunt, vel audiunt à Prædicatoribus, licet ſint ſupernaturalia, poſſint intelligere, & credere: quamuis non fide Diuina ſine ſpeciali auxilio. Hinc multi Patres volunt Angelos multa didiciſſe ab hominibus de myſterio Incarnationis. S. Athanaſius

S. Athan.

quæſt. 130. S. Gregorius Nyſſenus orat. 8. in Cantica. Tertullianus in Apologet. cap. 20. Iuſtinus Martyr in Dialog. cum Triphone. Hanc autem cognitionem vocaui partim naturalem, partim reuelatam: reuelatam quidem, quia ſupponit reuelationem factam hominibus: naturalem vero: quia naturali lumine ſciuerunt Dæmones quod reuelatum eſt. S.Greg.Nyſſ. Tertull. Iuſtin. Mar.

§.3 DICO SECVNDO talem cognitionem haberi potuiſſe à Dæmonibus. Probatur: quia nouerant ſcripturas, in quibus prædicebatur Meſſiam fore Deum: audiuerant bis vocem Patris id teſtantis Matth. cap. 3. & 17. audiuerant ab ipſo Chriſto ſe eſſe filium Dei, & vnũ cum Patre Ioan. cap. 5. 8. 16. cernebant miracula in eius rei confirmationẽ facta: cognoſcebant enim veritatem miraculorũ Chriſti V. G. duo corpora eſſe ſimul in eodem loco: mortuum reſurgere &c. & hæc miracula non niſi vi Diuina fieri: quia norunt vim rerum naturalium, & fieri in confirmationem doctrinæ ſuæ: quod V. G. eſſet Meſſias, & Deus: conferre poterant ſcripturas, & miracula de Meſſia cum his, quæ videbant fieri, ex S. Ioan. Damaſceno lib. 2. de fide Orthodoxa cap. 4. Ergo poterant conuinci ipſum eſſe Chriſtum, & Deum teſtem doctrinæ per miracula confirmatæ: niſi ſpeciali Dei prouidentia impediti fuerint ne Chriſtum agnoſcerent. Matth. 3. & 17. Io. 5. 8. 16 S. Io.Dama.

§.4 An autem impediti fuerint ne vel omnia Chriſti myſteria intuerentur, vel omnia eius verba audirent: vel omnes Prophetias, quæ de ipſo erant inter ſe conferre poſſent: denique ne eum certò cognoſcerent, eſt incertum: cum dubitaſſe & ex ſuſpicione potiùs, quam certa ſcientia locutos fuiſſe affirment

Sancti Eccleſiæ Patres, quos citat, & ſequitur S.
S. Thom. Thomas in 3. part. quæſt. 44. art. 1. ad 2. & id ego
indicaui ſupra contr. 3. ratione 3. §. 36. Verum-
tamen

DICO TERTIO veriſimile eſſe tempore in- §. 5
fantiæ Chriſti impeditos fuiſſe dæmones, ne eum
cognoſcerent, ne forte acriùs inſectarentur, eumque
maturiùs, quam Dei Prouidentia diſpoſuerat, inter-
S. Thom. ficiendum curarent: ita S. Thomas ſecutus Beatum
Auguſt. docet in 3. part. quæſt. 29. art. 1. ad 3. Reli-
quo autem vitæ Chriſti tempore, præcipuè quando
prædicare cepit, & miracula facere potuerunt eum
cognoſcere eſſe Meſſiam, & Deum: quod etiam de
Iudæis cõceditur, qui nouerant ſcripturas: videbant
miracula, & poterant cõiungere, ſcripturas cum mi-
S. Thom. raculis: ex S. Thom. quæſt. 47. art. 5. Tamen pro-
babilius eſt dæmones nec cognouiſſe, nec credidiſ-
ſe Chriſtum eſſe Deum: ita ſentiunt Sancti Patres,
potiſſimum illi, qui interpretando hæc verba Apo-
1. Cor. 2. ſtoli 1. Cor. cap. 2. *Quam nemo Principum huius ſæculi
cognouit*: Nomine *principum huius ſæculi* intelligunt
S. Ambr. S. Anſel. Dæmones: ita S. Ambroſius, & S. Anſelmus ibidẽ.
Huius verba retuli in ſuperiori controuerſia §. 36.
S. Leo. S. Leo ſerm. 9. de Paſſione. S. Auguſtinus lib. quę-
S. Auguſt. S. Hieron. ſtion. nou. & veter. teſtam. quæſt. 66. S. Hierony.
in Daniel. cap. 10. explicans illa verba: *Princeps au-*
S. Gregor. *tem Regni Perſarum reſtitit mihi*. S. Gregorius lib. 2.
Moral. cap. 23. Ratio eſt: quia propria ſua malicia
excæcati fuerunt, & à Deo impediti, ne Chriſtum
S. Thom. occiderent, vt ait S. Thom. loco citato §. 4. ante- §. 6
quam Chriſtus pati diſpoſuiſſet. TANDEM vero
vltimo vitæ Chriſti tempore, quando cauſa mortis
eius ageretur coram Pilato, vehementiſſimam de
eius Diuinitate ſuſpicionem, cum ſumma formidi-

ne coniunctam habuerunt. Idcirco eius mortem conati ſunt per Vxorem Pilati impedire: ita Petrus Comeſtor in hiſtoria Scholaſtica, Rabanus, Beda, Gloſa ordinar. Nicolaus de Lyra in cap. 27. Matth. S. Ignatius in epiſtola 5. ad Philippenſes. Hugo de S. Victor. quæſt. 20. in epiſt. 1. ad Corinth. cuius rei cauſam affert Rabanus his verbis: *Nunc demum Diabolus intelligens per Chriſtum ſpolia ſua amiſſurum: ſicut primum per mulierem mortem intulerat: ita vult per mulierem Chriſtum de manibus Iudæorum liberare, ne per eius mortem mortis imperium amittat.* Quamuis S. Leo ſerm. 11. de Paſſione, Origenes, S. Hilarius, S. Ioan. Chryſoſtomus, S. Hieronymus, Euthymius, & Theophilactus in cap. 27. Matth. id potiùs Deo tribuant, vt malicia Iudæorum, & innocentia Chriſti teſtimonio mulieris Ethnicæ manifeſta fieret, & Iudæi magis, magiſque inexcuſabiles redderentur.

Petr. Come. Raban. Beda. Gloſ. ord. Nic. de Lyr. S. Ignat. Hugo. de S. Vict. Raban. S. Leo. Origen. S. Hieron. Euthym. Theophila.

§. 7 DICO QVARTO poſt mortem Chriſti Dæmones euidenter cognouiſſe Ieſu Nazareni Diuinitatem, & quam hebebant de ea ſuſpicionem, vel formidinem depoſuiſſe. Quando videlicet viderunt eum plenum gloria, & majeſtate ad inferos deſcendentem, animas ex Limbo eripere, & cum imperij poteſtate infernum ſpoliare, ligato mortis, & tenebrarum Principe, eiuſque Legionibus in fruſtra diſſipatis. Tunc agnouerunt Chriſtum eſſe filium Dei, non adoptiuum: ſed naturalem, qui ab æterno Patre ipſis præpoſitus fuerat in creatione mundi, vt eum tanquam ſuum caput reciperent, & tanquam ſuum Principem adorarent. Agnouerunt etiam tunc illam Prophetiam Oſee cap. 13. *Ero mors tua ô mors, & morſus tuus ô Inferne:* repentè præter ſpem in ſeipſis adimpleri. Quam Prophetiam S. Auguſti-

Oſee 13. S. Auguſt.

nus ſermon. 137. de tempore, ita explicat: Quando aliquid occidimus, facimus, vt illud ampliùs non ſit, quando vero aliquid mordemus, illius partem abſtrahimus, & partem relinquimus. Quia ergo Chriſtus in electis ſuis occidit mortem, mors mortis fuit: quia vero ex inferno partem abſtraxit, & partem reliquit, non occidit ſed momordit Infernum. Nam electos ſuos, qui captiui detinebantur, abſtraxit ex inferno: & Reprobos æternis ſupplicijs deputatos, ibidem dereliquit.

CONTROVERSIA V.

An Oracula Prophetarum, quæ de Meſſia ſunt conueniant ſoli Ieſu Nazareno.

RATIO DVBITANDI petitur ex quibuſdam Prophetarum Oraculis, quæ Hæbrei explicant quidem de aduentu Meſſiæ: ſed negant ea poſſe conuenire Ieſu Nazareno.

Iſai. 53. PRIMVM oraculum eſt Iſaiæ cap. 53. quod caput Rabbi Moyſes, & Rabbi Salomon apud Nicolaum de Lyra, alijque Rabbini apud Galatin. lib. 8. de Arcan. cap. 15. explicant de Meſſia: cuius paſſionem poſtquam fusè narrauit Iſaias concludit: *Si poſuerit animam ſuam pro peccato, videbit ſemen longæuum*: ideſt filios ſuos longæuos: ſicut dixit Iacob moribundus filio ſuo Ioſeph Geneſ. cap. 48. *Oſtendit mihi Dominus ſemen tuum*: ideſt filios tuos, ſcilicet Manaſſem, & Ephraim. Ex quo colligunt Hebræi hoc Iſaiæ oraculum non poſſe conuenire Ieſu Nazareno, quia nullos habuit filios. §. 1

Rabbi Moy. Rabbi Salo. Galatin.

Geneſ. 48.

SECVNDVM

§. 2 SECVNDVM oraculum eſt Ieremiæ cap. 23. *Ecce dies veniunt dicit Dominus & ſuſcitabo Dauid germen iuſtum*: Tranſlatio Chaldaïca, quæ apud Hebræos authẽtica eſt, & dicitur Targum, habet: *ſtatuã Dauid Meſsiam iuſtum*: & paulo poſt ſequitur: *In diebus illis ſaluabitur Iuda, & Iſrael habitabit cõfidẽter*: quæ duo non poſſunt cõuenire Ieſu Nazareno: quia poſt eius Natiuitatem Iudæi ſemper fuerunt in periculo, & pauore continuo: nec liberati ſunt: imo ab illo tempore infinitas propemodum paſſi ſunt calamitates, quippe qui poſt tot millium occiſiones, poſt ſolo æquatam Ciuitatem, poſt templi omnimodam deſtructionem à Tito, & Veſpaſiano in varias orbis regiones diſperſi, adhuc miſerrimo premuntur ſeruitutis iugo. Ierem. 23. Targum.

§. 3 TERTIVM eſt Daniel. cap. 7. *Aſpiciebam in viſione noctis, & ecce cum nubibus cœli quaſi filius hominis veniebat, & vſque ad antiquum dierum peruenit.* quæ verba non poſſunt intelligi niſi de Meſſiæ aduentu: tum quia dicitur *filius hominis*: tum quia peruenit vſque ád æqualitatem Dei Patris, qui dicitur Antiquus dierum: quia eſt æui, & temporis, & dierum cauſa, vt ait S. Dionyſius cap. 10. de Diuin. nominib. Hoc tamen oraculum non poteſt conuenire Ieſu Nazareno: quia Ieſus Nazarenus non venit in nubibus cœli: ſed natus eſt in ſtabulo, & repoſitus in præſepio. Daniel. 7. S. Dionyſ.

§. 4 QVARTVM oraculum eſt Zachariæ cap. 6. *Ecce vir Oriens nomen eius*: Tranſlatio Chaldaïca apud Hebræos authentica ſic habet: *Ecce vir Meſſias nomen eius*: ergo hoc oraculum non poteſt intelligi, niſi de Meſſia. Verum continuo additur: & ſubter eum orietur, & ædificabit templum Domino: quod non Zachar. 6. Targ.

poteſt attribui Ieſu Nazareno; quia nullum omnino ædificauit templum.

NOTANDVM eſt Iudæos quadrupliciter errare circa Ieſum Nazarenum Meſſiam in lege promiſſum. Error ille prouenit ex praua explicatione locorum veteris teſtamenti, in quibus Meſſias promittitur: Nam Scriptura Sacra duos habet ſenſus à Deo intentos: vnum literalem, ſeu hiſtoricum: alterum ſpiritualem, ſeu myſticum. Spiritualis autem triplex eſt: ſcilicet Allegoricus: Moralis, ſeu Tropologicus: & Anagogicus: quod ſi illorum ſenſuum aliquis ſit multiplex, aut dubius, debet diſtingui, & ad aliquem illorum quatuor reuocari. Qui quatuor ſenſus reperiuntur exempli cauſa in hac vna voce *Ieruſalem*: quæ ſecundum ſenſum literalem, Vrbem in Iudæa ſitam; ſecundum Allegoricum, Eccleſiam militantem: ſecundum Tropologicum ſeu moralem, animam fidelem: ſecundum Anagogicum, Eccleſiam triumphantem ſignificat. Vnde fit vt Iudæi vſurpantes verba Scripturæ Sacræ iuxta ſenſum non intentum à Deo, errent. Maximè vero in explicandis Prophetarum oraculis, quæ de Meſſia ſunt: quod iuxta quadruplicem illum Scripturæ ſenſum quadrupliciter contingere poteſt. §. 5

PRIMO quando iuxta corticem literæ vſurpant ea, quæ non poſſunt niſi per allegoriam, quæ ex varijs metaphoris conficitur, explicari: V. G. quando autumant hanc Prophetiam Iſaiæ cap. 11. *Egredietur virga de radice Ieſſe: & flos de radice eius aſcendet*: nondum fuiſſe adimpletam, ſicut fuerunt aliæ duæ adimpletæ: quarum vna eſt in lib. Numeror. cap. 17. de virga Aaron, quæ floruit, & protulit Amigdalas. Altera eſt in Exod. cap. 4. de virga Moyſis per quam §. 6

Iſai. 11.

Num. 17.

Exod. 4.

facta ſunt ſigna, & prodigia, quæ Moyſi Deus promiſerat. Nam æque bene adimpleta eſt illa Prophetia in B. Virgine, quæ eggreſſa eſt de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendit, ſcilicet Ieſus Nazarenus, qui per metaphoram dicitur flos, ſicut mater eius dicitur virga, cuius radix eſt familia Dauid filij Ieſſe. Neque dicant Iudæi, Scripturam Sacram non vti Allegorijs: Nam in veteri teſtamento reperiuntur metaphoræ non paucæ, vt patet ex varijs locis: Iob. cap. 7. *Manus tuæ Domine fecerunt me, & plaſmauerunt me.* Pſal. 8. *Videbo cælos opera digitorum tuorum.* Daniel. cap. 9. *Inclina Deus meus aurem tuam, & audi: aperi oculos tuos, & vide tribulationem noſtram.* quæ non poſſunt intelligi ſecundum literam: cum Deus nec manus, nec digitos, nec aures, nec oculos habeat. Iob. 7. Pſal. 8. Daniel 9.

§. 7 SECVNDO quando ad ſolum ſonum referunt ea, quæ metaphoricè ad varios hominum mores referri debent: quo pacto ex illis Iſaiæ verbis cap. 11. *Habitabit Lupus cum Agno, & Pardus cum Hædo accubabit: Vitulus, & Leo, & ouis ſimul morabuntur, & puer paruulus minabit eos:* quæ intelliguntur de aduentu Meſſiæ, quando ſumma pax futura erat per vniuerſum mundum: colligunt enim ex hoc loco Meſſiam nondum aduentaſſe: quia illa animalia nondum cicurantur, nec vnquam fuerunt manſuefacta: quæ tamen Prophetiæ verba intelliguntur de efferatis hominibus, quorum mores ſunt beſtijs ſimiles: quales erant Iudæi, & Gentiles, qui tamen poſt aduentum Meſſiæ manſuetiores effecti, tanquam domeſtici Dei in Eccleſia ſimul habitauerunt. Et hic modus loquendi bene conuenit ſcripturæ, vt patet ex alia ſimili Prophetia, quæ habetur in Geneſi cap. Iſai. 11. Geneſ. 49.

49. vbi dicitur: *Catulus Leonis Iuda: Iſachar Aſinus fortis: Dan Coluber in via: Nephtali Ceruus emiſſus:* & paulo poſt *Beniamin* dicitur *Lupus rapax*.

TERTIO quando literaliter explicant, quæ Anagogicè intelliguntur: ſic per beneficia, quæ hominibus Meſſias conferre debebat, intelligebant bona temporalia, diuitias, fœcunditates liberorum, ſubiectiones inimicorum, victorias populorum, fœlicitates huius ſæculi: non autem bona ſpiritualia, Sacramenta, gratiam, gloriam, filiorum Dei adoptionem, hæreditatem cœleſtem, fœlicitatem ęternã. §. 8

QVARTO quando ſenſum multiplicem non diſtingunt: ſed eum, qui deterior eſt amplectuntur: nihil de vero ſenſu cogitantes, qui tamen à Deo intentus eſt: hoc modo non diſtingunt duplicem Meſſiæ aduentum: primum ad ſaluandum: ſecundum ad iudicandum: illum humilem, in ſumma paupertate: hunc glorioſum in ſumma majeſtate. Et quia nondum viderunt Ieſum Nazarenum venientem in nubibus cœli, cum poteſtate, imperio, honore, gloria, ſtipatum infinita propemodum Angelorum multitudine, & ſedentem in ſede majeſtatis ſuæ, nihil cogitantes de primo aduentu: ſed dicunt ſe adhuc expectare Meſſiam His præmiſſis.

DICO oracula Prophetarum, quæ de Meſſia fuerunt prænunciata ſoli Ieſu Nazareno cõuenire. §. 9

Probatur PRIMO oraculis Sibyllarum Ethnicarum, & Gentilium fœminarum, quæ nulli conueniunt, niſi Ieſu Nazareno: quæque referunt tum Lactantius in diuerſis libris, & capitibus ſuorũ operum: tum S. Auguſtinus lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 16. & in Oratione contra Iudæos, Paganos & Arianos cap. 16. V. G. Quod ex Virgine naſceretur: In §. 10.

Lactant. S. Auguſt.

Iordane baptizaretur : colaphis cæderetur : ſpinis coronaretur : felle & aceto potaretur : moreretur : & poſt triduum excitaretur. Maximè vero notandũ eſt illius Sibyllæ oraculum , quæ quatuor verſibus quatuor prædixit, quæ ſoli Ieſu Nazareno cõuenire poſſunt. Primum eſt manuum eius, totiuſque corporis extenſio, ſeu ad crucem commenſuratio. Secundum corona ſpinea capiti eius imponenda. Tertium eiuſdem iam mortui latus à milite lancea perforandum. Quartum tenebræ horribiles medio die, triumque horarum ſpatio ſuper vniuerſam terram futuræ. Quæ quatuor in Ieſu Nazareno fuiſſe adimpleta ipſomet die Paſſionis eius teſtantur Euangeliſtæ: Matth. cap. 27. Marc. cap. 15. Luc. c. 23. Ioan. c. 19. Hæc ſunt Sibyllæ verba lib. 1. Oracul. in fine.

Sibylla.

Matth. 27.
Marc. 15.
Luc. 23.
Ioan. 19.

Ἀλλ' ὅταν ἐκπετάσῃ χεῖρας, καὶ πάντα μετρήσῃ,
Καὶ στέφανον φορέσῃ τὸν ἀκάνθινον, ἠδέ γε πλευρὰν
Νύξωσι καλάμοισιν, ὁμοῦ χάριν ἐν τρισὶν ὥραις
Νὺξ ἔσται σκοτόεσσα, πελώριος ἤματι μέσσῳ.

idest

Sed quum extenderit manus, & omnia permenſus fuerit,
Et coronam tulerit ſpineam, & latus
Punxerint arundinibus, ſimul eam ob rem, tribus horis
Nox erit tenebroſa, monſtroſa die medio.

Verum inter omnia, quæ extant de Ieſu Chriſti Diuinitate & Humanitate Sibyllarum teſtimonia præcipuum eſt Sibyllæ Erithrææ Carmen Acroſtichum, in quo primæ literæ cuiuſque verſus hanc reddunt ſententiam Ἰησοῦς Χριστὸς, Θεοῦ υἱὸς, σωτὴρ idest Ieſus Chriſtus, Dei Filius, Saluator. De quo ſupra dixi in ſect. 3. contr. 2. § 9. & inſcribitur *de Iudicio finali*: vt patebit ex duab. paginis ſequẽtib. in quarũ vna illud Carmẽ Græcè ſcribitur: in altera Latinè explicatur.

Sibylla Erithræa.

SIBYLLÆ ERITHRÆÆ

Ἀκροστιχίς.

§. II.

Ι 'δρώσει γὰρ χθὼν, κρίσεως σημεῖον ὅτ' ἔσται,
Η ξει δ' οὐρανόθεν βασιλεὺς αἰῶσιν ὁ μέλλων
Σ άρκα παρὼν κρίναι πᾶσαν, καὶ κόσμον ἅπαντα.
Ο ''ψονται δὲ θεὸν μέροπες πιστοὶ καὶ ἄπιστοι.
Υ ''ψιστον μετὰ τῶν ἁγίων ἐπὶ τέρμα χρόνοιο
Σ αρκοφόρων, ψυχὰς δ' ἀνθρώπων ἐπὶ βήματι κρινεῖ.

Χ έρσος ὅτ' ἄν ποτε κόσμος ὅλος καὶ ἄκανθαι γένηται.
Ρ ίψωσι τ' εἴδωλα βροτοὶ καὶ πλοῦτον ἅπαντα:
Ε 'χέυων ῥήξει τε πύλας εἱρκτῆς αἴδαο:
Σ άρξ τότε πᾶσα νεκρῶν ἐς ἐλευθέριον φάος ἥξει:
Τ ὺς ἁγίους ἀνόμους τε τὸ πῦρ αἰῶσιν ἐλέγξει.
Ο ''πόσσα τις πράξας ἔλαθεν, τότε πάντα λαλήσει.
Σ θήθεα γὰρ ζοφόεντα θεὸς φωστῆρσιν ἀνοίξει.

Θ ρῆνος δ' ἐκ πάντων ἔσται, καὶ βρύγμος ὀδόντων.
Ε 'κλείψει σέλας ἠελίου, ἄστρων τε χορεῖαι:
Ο 'υρανὸν εἱλείξει, μήνης δέ τε φέγγος ὀλεῖται.
Υ 'ψώσει δὲ φάραγγας, ὀλεῖ δ' ὑψώματα βουνῶν.

Υ ''ψος δ' οὐκ ἔτι λυγρὸν ἐν ἀνθρώποισι φανεῖται.
Ι ''σα τ' ὄρη πεδίοις ἔσται, καὶ πᾶσα θάλασσα
Ο ὐκ εἰς πλεῖν ἕξει, γῆ γὰρ φρυχθεῖσα κεραυνῷ
Σ ὺν πηγαῖς ποταμοὶ καχλάζοντες λείψουσι.

Σ άλπιγξ δ' οὐρανόθεν φωνὴν πολύθρηνον ἀφήσει
Ω 'ρύουσα μύσος μέλλον, καὶ πήματα κόσμου:
Τ αρταρόεν δὲ χάος τότε δείξει γαῖα χανοῦσα:
Η ''ξουσι δ' ἐπὶ βῆμα θεοῦ βασιλῆες ἅπαντες,
Ρ ''εύσει δ' οὐρανόθεν ποταμὸς πυρὸς ἠδὲ γε θείου.

DE VERBO AD VERBVM
Latinè reddita,

Sudabit enim terra quum Iudicij ſignum erit,
§. *Veniet autem cælitus Rex ſæculis futurus,*
12. *Carnem præſens iudicare omnem, & mundum omnem.*
Videbunt autem Deum meropes, fideles, & infideles
Altiſſimum cum ſanctis in fine temporis
Incarnatum, animas autem hominum in tribunali iudicabit:

Incultus quando mundus omnis, & ſpinæ fiet.
Reijcient Idola mortales, & diuitias omnes.
Indagans franget & portas cuſtos Orci:
Caro tunc omnis mortuorum in liberam lucem veniet:
Sanctos, & impios ignis ſæculis coercebit,
Quanta quiſque faciens latuit tunc omnia loquetur:
Pectora enim obſcura Deus luminaribus aperiet.

Luctus autem ex omnibus erit, & ſtridor dentium.
Deficiet lumen ſolis, aſtrorumque chori:
Cælum innoluet, Lunæque fulgor peribit:
Attollet & valles, peribuntque cacumina collium.

Altitudo autem non poſthac difficilis in hominibus apparebit:
Aequaleſque montes campis erunt, & totum mare
Non in nauigationem veniet: terra enim toſta fulmine
Cum fontibus fluuij ſtrepitantes deficient:

Tuba autem cælitus vocem lugubrem emittet
Lugens ſcelus futurum, & extrema mundi;
Tartareumque chaos tunc monſtrabit terra dehiſcens:
Venient autem ad Tribunal Dei Reges omnes,
Fluetque cælitus fluuius ignis, & ſulphuris.

PORRO ex primis literis illarum quinque vocum Græcarum Ἰησοῦς, χριστὸς, θεοῦ υἱὸς, σωτὴρ, quæ ſunt ι, χ, θ, υ, σ, componitur hoc nomen Græcum ἰχθὺς, quod ſignificat piſcem, quo nomine appellandum eſſe per allegoriam Ieſum Nazarenum prævidit Sibylla Erithræa: Nam ipſe fuit quaſi piſcis in ara Crucis aſſatus, & adumbratus in piſce illo aſſo, quem ſuper prunas poſitum inuenerunt Apoſtoli in litore maris Tiberiadis, vbi Ieſus poſt reſurrectionem ſuam iterum ſe manifeſtauit Petro, & alijs quibuſdam Ioan. cap. 21. Vnde Tertullianus in lib. de Baptiſmo contra Quintillam cap. 1. Ieſum Chriſtum vocat ἰχθῦν ideſt piſcem: & Chriſtianos piſciculos, eo quod generentur, & viuant in aquis Baptiſmi: Quintillam vero mulierem temerariam, quæ fuit Author illius hæreſis, quæ negat Baptiſmum eſſe neceſſarium ad ſalutem, appellat Viperam, & Aſpidem, eo quod Baptiſmi aquam fugeret: Viperæ enim, & Aſpides, ipſique Reguli ſerpentes degunt in locis aridis, & inaquoſis. §. 13.

Sibylla Erithræa. Ioan. 21. Tertull.

Probatur SECVNDO Concluſio ex oraculis Prophetarum veteris teſtamenti, quæ ita propriè Ieſu Nazareno conueniunt, vt alteri conuenire non poſſint è varijs autem quinque tantùm explicabo, quæ ſunt oracula Iſaiæ Prophetæ: reliqua enim ab alijs Prophetis edita paſſim explicaui in hoc opuſculo, quæ multa ſunt, & reperiuntur explicata apud Suarem tom. 1. in 3. part. diſp. 1. Gregor. de Valēt. tom. 4. diſp. 1. quæſt. 1. punct. 3. & Sebaſtianum Barradas tom. 1. in harmon. & hiſtor. Euang. lib. 3. à capite 6. vſque ad caput 22. Igitur ex Iſaiæ vaticinijs, qui adeò viuis coloribus, quaſi penicillo vitam, & paſſionem Meſſiæ depinxit, vt non Propheta, §. 14.

Suar. Greg. de Val. Barrad.

ſed

ſed Euangeliſta: non futura, ſed præſentia narrare videatur, quinque ſelegi oracula hic explicanda.

§. 15. PRIMVM ORACVLVM eſt in cap. 2. *Erit in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles: & fluent ad eum omnes Gentes.* Et paulo poſt: *Et conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces: Non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltra in prælium.* AD QVOD ORACVLVM intelligendum quatuor ſunt obſeruanda. Iſai. 2.

§. 16. PRIMO tempus ſcilicet, *in nouiſſimis diebus*: nam tempus Meſſiæ dicitur nouiſſimum, ſecundum idioma Hebræum, & vertitur Latinè, poſterius: Non enim intelligitur illo modo loquendi, vltima mundi duratio: ſed tempus legis Euangelicæ à Ieſu Nazareno latæ, quæ poſterior eſt lege naturæ, & lege Moſaïca: & poteſt dici vltima: quia nulla ei lex alia ſucceſſura eſt.

§. 17. SECVNDO obſeruanda eſt eleuatio montis Sion ſuper colles: ſequitur enim in illo oraculo: *Erit præparatus mons Domini in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles.* quæ eleuatio non debet intelligi ſecundum ſenſum literalem, ſed ſecundum ſenſum Allegoricum, in quo errant Iudæi: quorum non pauci apud Galatinum lib. 5. de Arcanis cap. 3. fabulati Galatin. ſunt tres Montes ſcilicet Carmelum, Thabor, & Sinaï approximandos: & Montem Sion ſuper illos tres virtute Diuina eleuandum tempore aduentus Meſſiæ: quæ tamen interpretatio non placet Rabbi Rab. Salo. Salomoni in hunc locum, qui ait, hanc montium eleuationem non debere intelligi de mutatione ſecundum locum, ſed per miraculorum operationem: quia ſcilicet plura miracula facienda erant à Meſſia

in monte Sion, quam in alijs tribus montibus. Et in hoc verum dicit: ſed errat, dum ait illud eſſe futurum, quod iam à Ieſu Nazareno factum fuerat: qui tanquam verus Meſſias in lege promiſſus crebriora, & præclariora ſuæ virtutis miracula in monte Sion operatus eſt. Nam ibi erat templum in quo ſæpe prædicauit Luc. cap. 4. ibi etiam erat Cœnaculum, in quo inſtituit Euchariſtiam Matth. cap. 26. Marc. cap. 14. Luc. cap. 22. In illo monte illuminauit cœcum natum Ioan. cap. 9. curauit Paralyticum ante Piſcinam Ioan. cap. 5. ſanauit infirmos, multaque alia fecit ſigna, dum inter homines adhuc mortalis conuerſaretur: ſicut poſt reſurrectionem in eodem monte intrauit ad Diſcipulos ianuis clauſis Ioan. cap. 20. miſit Spiritum Sanctum in linguis igneis Actor. cap. 2. ex cuius irradiatione, quod fuit miraculum maximum Apoſtoli Viri idiotæ, & illiterati maximam habuerunt Scripturarum notitiam: & linguis omnium gentium loquentes Eccleſiam ibidem à Ieſu Nazareno inchoatam per vniuerſum terrarum orbem dilatauerunt. Vnde patet, quam appoſitè Michael de Bononia in Pſalmos verſic. 1728. per Montem Sion intellexerit Allegoricè Eccleſiam militantem, & Anagogicè Eccleſiam triumphantem.

Luc. 4. Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Ioan. 9. Ioan. 5.

Mich. de Bonon.

§. 18. Tertio obſeruanda eſt conuerſio Gentium ad Ieſu Nazareni fidem, quæ his verbis ab Iſaia prænunciata eſt: *& fluent ad eum omnes Gentes*: metaphora ducta ab aquis fluuialibus, quæ præcipiti curſu ad mare labuntur. In qua propoſitione illud ſignum *Omnes* non diſtribuit pro ſingulis generum: ſed pro generibus ſingulorum: ſicut quando dicitur: Omne animal fuit in arca Noë: ita vt ſenſus ſit, Sicut ex

ſingulis ſpeciebus Animalium multa indiuidua fuerunt in arca Noë: ita ex ſingulis Gentium & nationum ordinibus multi ad Chriſti Eccleſiam confluxerunt: vt patet ex dilatatione fidei Chriſtianæ per vniuerſum terrarum orbem.

§. 19. QVARTO obſeruanda eſt pax vniuerſa, quæ fuit in toto mundo circa Ieſu Nazareni natiuitatem: quam Iſaias Propheta deſcribit dicens: *Conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces: non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltra in prælium.* Tunc enim totus mundus Italorum armis perterritus obediebat vni Principi Auguſto Cæſari: & Romanorum legibus ſubdebatur. Qualis autem fuerit illa pax, & quandiu durauerit, dictum eſt ſupra in ſect. 3. contr. 1. §. 23. hic tantùm addo quoſdam Baptiſtæ Mantuani verſus ex initio libri 3. Parthenices Marianæ, qui clarè hanc Iſaiæ Prophetiam explicant. Bapt. Man.

Iam mare, iam tellus Italo deterrita Marte
Cæſaris imperium, Romanaque iura ferebant:
Pax erat, & domitum latè placauerat orbem
Tuta quies, nuſquam litui, non arma ſonabant:
Et ſua bifrontem claudebant limina Ianum.
Nudus in herbiſecam redigebat Martia falcem
Arma faber, ſegnes fodiebant enſibus agros.

§. 20. SECVNDVM ORACVLVM eſt in cap. 7. *Audite ergo domus Dauid.* & paulo poſt: *Dabit Dominus ipſe vobis ſignum: Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.* Hæc verba continent prædictionem Conceptionis, & Natiuitatis Meſſiæ: ſicut affirmant Sebaſtianus Barradas tom. 1. in harm. & hiſtoriam Euangelic. lib. 3. cap. 17. & Iacobus Tyrinus in cap. 7. Iſaiæ verſic. Iſai. 7. Barradas. Tyrin.

14. quæ ad clariorem intelligentiam ſunt ſigillatim explicanda. *Dabit Dominus ipſe*, ſcilicet Deus *vobis*, ideſt domui Dauid, *ſignum*, ſcilicet potentiæ ſuæ extraordinarium, ſeu miraculum grande: ideo præponitur aduerbium illud *Ecce*, ad denotandam miraculi magnitudinem, *Virgo*, ideſt Adoleſcentula nubilis & integra, quæ virum non cognouit: nomen enim *Alma*, quod pro hoc ſermone in Hebræo poſitum eſt ſignificat Virginem abſconditam, cuius pudicitas magna parentum diligentia cuſtodita eſt: adde quod lingua Punica, quæ ex Hebræa deducta eſt, nomen *Alma* ſignificat Virginem. Cæterum ſi Adoleſcentula non Virgo pariat, vt volunt Iudæi, quod miraculum erit, ſeu ſignum potentiæ extraordinariæ Dei: cum nomen Adoleſcentulæ ſit ætatis, non integritatis ex S. Hieronymo hic: *concipiet* de Spiritu Sancto: *& pariet* ſine dolore: *filium* per Antonomaſiam: *& vocabitur*, Tranſlatio Chaldaica habet, *vocabit*; ſcilicet Mater: (quia in terris nullum habebit Patrem: in veteri autem teſtamento Patres imponebant nomina filijs ſuis, non matres) *nomen eius Emmanuel*: ideſt nobiſcum Deus, ſeu homo Deus.

QVOD ORACVLVM nulli hominum conuenire poteſt niſi ſoli Ieſu Nazareno: vt patet ex inſigni teſtimonio Gabrielis Archangeli, qui Luc. cap. 1. miſſus à Deo ad Mariam Virginem, eam docuit modum, quo à tota Trinitate peragendum erat in eius vtero Incarnationis myſterium: quiquę ad denotandam tanti ſigni ſublimitatem vtitur aduerbio *Ecce*: tum ſubiungit, *concipies in vtero, & paries filium, & vocabis*, tanquam eius Mater (quia non habebit Patrem in terra) *nomen eius Ieſum*: ideſt Emmanue- §. 21. Luc. 1.

lem, cui *dabit Dominus Deus ſedem Dauid Patris eius*: Nam ſicut Puer, qui naſciturus erat ex Virgine: quia liberare debebat domum Dauid à duobus inimicis Raſin, & Phacee, de quibus agitur in lib. 4. Reg. cap. 15. & 16. & in lib. 2. Paralip. cap. 28. vocatus fuit Emmanuel: ita ipſemet idem puer tandem natus ex illa eadem Virgine, quia vniuerſum genus humanum debebat liberare à Dæmonis tyrannide vocatus fuit Ieſus Matth. cap. 1. Luc. cap. 2. 4. Reg. 15. & 16. 2. Paral. 28. Matth. 1. Luc. 2.

§. 22. Quod autem B. Maria fuerit Virgo: perſpicuũ eſt: tum quia Euangeliſta eam bis vocauit Virginem: primò cum ait: *Ad Virginem deſponſatam*: deinde cum ait: *Et nomen Virginis Maria*: tum quia ipſamet id ingenuè confitetur, quærens ab Angelo: *quomodo fiet iſtud, quia virum non cognoſco?* Cui Angelus reſpondens oſtendit ſignum illud futurum extraordinariæ Dei potentiæ: quod tanquam opus ad extra fieri debebat à tota Trinitate: ait enim *Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*: ecce Patrem: *quod naſcetur ex te ſanctum* &c. ecce filium. *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te*: ecce Spiritum Sanctum.

§. 23. TERTIVM ORACVLVM eſt in cap. 9. *Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum eius: & vocabitur nomen eius Admirabilis, Conſiliarius, Deus Fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis. Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis. Super ſolium Dauid, & ſuper regnum eius ſedebit.* Redit Iſaias ad ſuum Emmanuelem, ſeu Meſſiam: quem oſtendit fore Deum, & hominem, Regem pariter oriundum ex progenie Dauid: Nam inquit *Super ſolium Dauid, & ſuper regnum eius ſedebit.* Nec tantùm ſolium Dauid occupabit: ſed etiam *multiplicabitur eius imperium* in toto terrarum orbe: eritque Iſai. 9.

Rex Regum, & Dominus dominantium Apocalip. cap. 19. Quod imperium obuenit ei origine propria, tum ex parte Patris, qui apud Regium Prophetam Pſal. 36. dicitur Rex magnus ſuper omnem terram: tum ex parte Matris, quæ ab Eccleſia vocatur Regina cœli, longe potiori iure, quam Luna apud Ieremiam cap. 44. quæ ideo ſub illius pedibus calcata jacet. Apocalip. cap. 12. fuit enim Filius Dei ſine Matre, & Filius B. Virginis ſine Patre: Sicque factus eſt Imperator totius mūdi propter Vnionem Hypoſtaticam naturæ humanæ cum Verbo Diuino. *Paruulus* ergo *natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis*: vt nobis naſcatur, nobis viuat, nobis moriatur, eiuſque in terra exinanitio, ſit noſtra ad cœlos prouectio, vt ait S. Leo in ſerm. 1. de Aſcenſione. Vnde *factus eſt principatus ſuper humerum eius*: ideſt ſuper humerum portauit ſuum ſceptrum, quod fuit Crux, quam ſuper humerum portauit, dum traheretur ad Montem Caluariæ crucifigendus: propter quod Deus exaltauit eum, & donauit ei nomen quod eſt ſuper omne nomen Philip. cap. 2. Ideo ſequitur *vocabitur nomen eius Admirabilis*: propter miracula, quæ in confirmationem doctrinæ ſuæ facturus erat. *Conſiliarius* propter ſcientiam Diuinam, beatam, infuſam, qua omnia Sanctiſſimæ Trinitatis conſilia, tam circa homines, & Angelos, quam circa Vniuerſi gubernationem cognoſcuntur. *Deus*; propter immenſitatem, & omnipotentiam cum æternitate coniunctam. *Fortis*: propter Iudiciariam poteſtatem inconcuſſa firmitate, erga potentes exercendā. *Pater futuri ſæculi*: propter merita infiniti valoris, ſine quibus cœlorum aditus à principio mundi hominibus clauſus non poterat aperiri. *Princeps pacis*: pro-

Pſal. 36.
Ierem. 44.
Apocal. 12.
§. 24.
Philip. 2.

pter mortem, qua mediante pacem inter Deum, & homines indiſſolubili fœderis nexu ſtabilire debebat. Quę ſex nomina ſoli Ieſu Nazareno conuenire teſtatur S. Bernardus ſermone 10. inter paruos his verbis: Admirabilis eſt in Natiuitate, Conſiliarius in prædicatione, Deus in operatione; Fortis in Paſſione, Pater futuri ſæculi in Reſurrectione, Princeps pacis in perpetua Beatitudine. S. Bernard.

§. 25. QVARTVM ORACVLVM eſt in cap. 11. *Eggredietur Virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, ſpiritus conſilij, & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ, & pietatis, & replebit eum ſpiritus timoris Domini.* Quæ verba intelligi de Meſſia patet ex Tranſlatione Chaldaïca, quæ dicitur Targum, & apud Hebræos magnam habet authoritatem quæque illa verba *Eggredietur virga de radice Ieſſe* ita vertit: *Exibit Rex de filijs Iſai, & Meſſias de filijs filiorum eius:* Illa etiam verba intelligi de ſolo Ieſu Nazareno. Probatur PRIMO quia ibi per *virgam* intelligitur B. Virgo: per *florem* vero Ieſus eius filius, ita S. Hieronymus in Iſaiam cap. 11. S. Leo Papa ſerm. 4. de Natiuit. S Ambroſius lib. de benedictionib. Patriarchar. cap. 4. S. Auguſtinus ſerm. 3. de Tempor. S. Chryſoſtomus in Pſal. 22. Origenes homilia 12. in Leuitic. Filius autem B. Virginis ſolus ſine menſura repleri debebat donis Spiritus Sancti. Quamuis enim legamus in Scriptura Deum dediſſe ſuum Spiritum varijs hominibus: Verbi gratia: Ioſeph Geneſ. cap. 41. Bezeleel Exod. cap. 31. Moyſi num. cap. 11. Samſoni Iudic. cap. 14. Salomoni 3. Reg. cap. 4. Danieli in ſuo libro cap. 13. Simeoni Iuſto Luc. cap. 2. Tamen non dedit eis ſine men-

Iſai. 11. Targum. S. Hierony. S. Leo. S. Ambroſ. S. Auguſt. S. Chryſo. Origen. Geneſ. 41. Exod 31. Numer. 11. Iudic. 14. 3. Reg 4. Daniel. 13. Luc. 2.

ſura, ſed ad menſuram, ſeu limitatè: ideſt Spiritum ſapientiæ Salomoni: intellectus Danieli: conſilij Moyſi: fortitudinis Samſoni: ſcientiæ Bezeleel: pietatis Ioſeph: & timoris Domini Simeoni Iuſto. Ieſus autem Nazarenus accepit à Patre ſuo Spiri-
Ioan. 3. tum Sanctum ſine menſura, vt dicitur Ioan. cap. 3. & cum tanta plenitudine, vt ſeptem illa dona omnia & ſimul in primo inſtanti conceptionis ſuæ requieuerint in eo perfectiſſimè cumulata: in cuius
Ioan. 3. rei ſignum Ioan. cap. 3. viſus eſt Spiritus Sanctus tanquam columba de cœlo deſcendere, & ſuper eum manere.

Probatur SECVNDO quia ex vi vnionis hypo- §.
ſtaticæ neceſſario, & connaturaliter Spiritus San- 26.
ctus & conſequenter ſeptem eius dona cum eo ſunt in Ieſu Nazareno tanquam in ſubjecto proprio: quæ quamuis in iuſtificatione cuilibet fideli infundantur: non tamen infunduntur eis in gradu intenſo, ſicut hic infundenda dicuntur Ieſu Chriſto: ſcilicet in gradu intenſiſſimo & eminentiſſimo.

Probatur TERTIO quia hęc dona Spiritus San- §.
cti communicantur fidelibus ad tempus: ſcilicet 27.
quandiu ſunt in gratia: qua ſublata tolluntur etiam dona Spiritus Sancti. Ieſu autem Nazareno communicantur in perpetuum, & inſeparabiliter: ita vt nulla vi naturali ab eo ſeparari poſſint: quod illi ſoli conceſſum eſt, & non alteri.

QVINTVM ORACVLVM eſt totum caput
Iſai. 53. 53. quod diuiditur in tres partes: In prima prædicitur generatio Meſſiæ: In ſecunda eius paſſio: In tertia merces, quam debebat recipere per ſuam paſſionem.

PRIMA pars continetur his verbis: *Aſcendet* §.
ſupple 28.

(ſupple Meſſias) *quaſi virgultum coram eo* (ſcilicet Deo) *& ſicut radix de terra ſitienti* (id eſt arida, & ſicca) Ieſus enim Nazarenus ſicut virgultum aut radix debebat concipi in vtero Virginis nullo ſemine virili humectato, ſed cœleſti rore infuſo iuxta illud Pſal. 71. *Deſcendet ſicut pluuia in vellus*: & Pſal. 84. *Terra noſtra dabit fructum ſuum*: quod adimpletum fuit quando Gabriel Archangelus Luc. cap. 1. ſalutauit B. Virginem quæ fuit terra à Deo benedicta. Pſal. 84. Pſal. 71. Pſal. 84. Luc. 1. Pſal. 84.

§. 29. SECVNDA pars eſt veluti breuis hiſtoria in qua narratur Ieſu Nazareni paſſio futura tanquam præſens: Exordium ſumitur ab eius natiuitate: tota enim vita eius fuit continua paſſio; quam Propheta deſcribit quatuor circunſtantijs. PRIMA CIRCVNSTANTIA eſt opprobriorum, quibus Iudæi eum affecerunt, quæque adimpleta fuerunt, quando Iudæi ſacram eius faciem alaparum vibicibus, ac liuore decoloratam, ſputiſque ſpurciſſimis ſordidatam cruentarunt ſanguine guttatim fluente ex eius capite ſpinis perforato: faciem, inquam, eius, qui erat *Speciosus forma præ filijs hominum* Pſal. 44. ita fœdauerunt, vt in eo ſicut ait Iſaias, *non eſſet ſpecies neque decor dignus aſpectu*: ſed *tanquam leproſus reputatus fuerit*: & per antonomaſiam *vir dolorum* appellatus. Nam verè peccata noſtra tulit: non quoad commiſſionem: quia nullum commiſit peccatum; vt probat S. Thomas in 3. part. quæſt. 15. art. 1. ſed quoad ſatisfactionem, vt probat magiſter in 3. diſt. 19. §. *Quomodo pœnam noſtram portauit*: quia ſatisfecit pro peccatis noſtris: equidem principaliùs pro mortalibus: quia peccatum veniale, vt probat Gerardus de Bononia in quodlibeto 2. quæſt. 16. S. Thom. Magiſter ſententiarũ. Gerardus de Bononia.

ex ſe meretur veniam culpæ, quia fit ex infirmitate naturæ, vel ex ignorantia, vel ex imperfectione actus, vel ex defectu deliberationis: meretur etiam ex ſe pœnæ terminationem: quia pœna hęc temporalis eſt: Idcirco *Verè langores noſtros ipſe tulit* in Prætorio Pilati: *& dolores*, quos peccata noſtra merentur *ipſe* in ligno crucis *portauit*. SECVNDA §.
CIRCVNSTANTIA eſt vulnerum, quæ pro 30.
peccatis ſuſcepit: tum in cruce: *ipſe* enim *vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra*, quando impij foderunt manus eius, & pedes, totumque corpus in cruce poſitum ita extenderunt, vt omnia eius oſſa dinumerari poſſent
Pſal. 21. Pſal. 21. tum in Prætorio Pilati, quando *Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum* poſita fuit: quod etiam prædixerat Dauid loquens in perſona Chriſti: Pſal. 71. *Supra dorſum meum fabricauerunt peccatores*: & adimpleuit Pilatus Matth. cap. 27. quando Ieſum flagellatum tradidit Iudæis, vt crucifigeretur. Nam flagellatio propriè, & flagellum per metonimiam vocatur diſciplina: vnde ſequitur apud Iſaiam: *& linore eius ſanati ſumus*: textus Græcus habet μώλωψ, quod propriè ſignificat veſtigium verberum in cute impreſſum, vel cutem ex incuſſione verberum ſuggillatam, & vertitur latinè vibex: dicitur autem linor à colore liuido, ſeu plumbeo. Diſciplina ergo illa fuit pacis noſtræ, quia eius liuore Deo nobis irato reconciliati ſumus. TERTIA CIRCVNSTANTIA eſt manſuetudinis: quæ in quatuor præcipuè §.
apparuit. Primo *oblatus eſt* ait Iſaias: *quia ipſe voluit*. 31.
Secundo conſtitutus ante Pilatum Matth. cap. 27. & ab eo interrogatus, *non aperuit os ſuum*. Tertio *Sicut ouis ad occiſionem ducetur*. Quarto à miniſtris ex-

carnificatus, *quaſi Agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum* Quæ omnia adimpleta fuiſſe in Monte Caluariæ, & in Prætorio Pilati teſtatur S. Petrus in epiſt. 1. cap. 2. *Cum malediceretur, non maledicebat: dum pateretur, non comminabatur: tradebat autem iudicanti ſe iniuſtè.* Ex his ſequitur QVARTA CIRCVNSTANTIA ſcilicet mortis, quæ his verbis Iſaiæ continetur: *De anguſtia* paſſionis, *& de iudicio* iniuſto Pontificum, & Pilati *ſublatus eſt*: & per mortem *abſciſſus eſt de terra viuentium* (non de ca terra, de qua dicitur Pſal. 26. *Credo videre bona Domini in terra viuentium*: ſed de ea, de qua dicitur Ierem. cap. 11. *Eradamus eum de terra viuentium*) factus impaſſibilis, & immortalis, per paſſionem, & mortem. 1. Petr. 2. Pſal. 26. Ierem. 11.

TERTIA pars complectitur mercedem à Deo Meſſiæ promiſſam: & bona opera, quibus Meſſias talem mercedem meriturus erat.

§. 32. MERCES promittitur his verbis: PRIMO *Dabit impios pro ſepultura, & diuitem pro morte ſua.* ideſt in vindictam mortis, & ſepulturæ ipſius, impij Iudæi, qui eius mortem procurabunt, & Diues Pilatus, qui eum damnabit, & ſepeliendum permittet, meritas luent pœnas: Hic Viennæ in Gallia: illi in excidio Ieroſolymitano. SECVNDO *videbit ſemen longæuum*: ideſt plurimos habebit filios ſpirituales, qui durabunt vſque ad finem mundi: imo & in omnem æternitatem, ex quibus ſuam Eccleſiam ædificabit. TERTIO, *voluntas Domini in manu eius dirigetur*: ideſt per eum, & ob eius merita voluntas Dei executioni mandabitur. QVARTO *videbit*: ſcilicet gloriam ſui corporis, qua ante reſurrectionem caruit, *& ſaturabitur* iuxta illud Pſal. 16. *Satiabor, cum appa-* Pſal. 16.

rueris gloria tua. QVINTO *in Scientia ſua*, quæ Diuina eſt, & humana *iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruus meus multos:* Non omnes: quia *multi ſunt vocati, pauci vero*
Matth. 20. *electi* Matth. 20. SEXTO, *Iniquitates eorum ipſe portabit:* ideſt expiabit. SEPTIMO *Diſpertiam ei plurimos*; ideſt, reddam ei plures de Gentibus, quam ceciderint de Iudæis: iuxta illud Pſal. 2. *Dabo tibi Gentes hæreditatem tuam.* OCTAVO *fortium diuidet ſpolia* ideſt diſtribuet Apoſtolis ſpolia Dæmonum, quæ ſunt animæ fideles, quas Ieſus Nazarenus reſurgens à poteſtate Principis tenebrarum liberauit, eaſque ſubdidit poteſtati Apoſtolorum, dum eos conſtituit *Principes ſuper omnem terram* Pſal. 44.

OPERA autem bona, quibus Ieſus Nazarenus talem promeruit mercedem quatuor hic numerantur: PRIMVM *quia tradidit in mortem animam ſuam.* §. 33.
Ioan. 10. Ioan. cap. 10. *Ego pro ouibus meis pono animam meam.* SECVNDVM quia *cum ſceleratis reputatus*
Marc. 15. *eſt*: dum Marc. cap. 15. inter duos Latrones fuit crucifixus. TERTIVM quia ipſe peccata multorum tulit: ſatisfaciendo ſufficienter pro omnibus, efficaciter pro multis. QVARTVM quia *pro tranſgreſſoribus rogauit:* quando in crucem affixus eleuans oculos in cœlum cum clamore valido, & lachrimis
Luc. 23. orauit Luc. cap. 23. *Pater dimitte illis: non enim ſciunt quid faciunt*: & Hebr. cap. 4. *Exauditus fuit pro ſua reuerentia.* Ergo omnia quæ in hoc Iſaiæ cap. 53. de Meſſia prædicta ſunt; tam perſpicuè conueniunt Ieſu Nazareno, vt Iſaias in eo non tam vt Propheta, quam vt Euangeliſta videatur locutus.

AD RATIONEM DVBITANDI, quæ initio huius controuerſiæ poſita eſt, & petitur ex quatuor Oraculis Prophetarum reſtat hoc loco reſ-

pondendum. Quamobrem
AD PRIMVM oraculum RESPONDEO nomine *ſeminis longæui* intelligi filios: quorum quidam
§. 34. dicuntur filij hominum ſeu carnales; qui ex commixtione ſanguinum viri, & mulieris generantur: quales non habuit Ieſus Nazarenus: quia ex Virgine natus, virgo in æuum permanſit. Alij dicuntur filij Dei, ſeu ſpiritnales, qui non ex ſanguinibus, vt ait S. Ioannes cap. 1: nec ex concupiſcentia mouente actum generationis; ſed ex Deo nati ſunt per gratiam adoptionis in Baptiſmo: dicuntur autem ſpirituales: quia ſola virtute Spiritus Sancti ſpiritualis generatio fit in aqua Baptiſmi. Huiuſmodi filios Ieſus Nazarenus habuit quamplurimos, quos per Euangelij prædicationem ipſe genuit: & in crucem eleuatus non ſine dolore parturiuit. Tunc *vidit ſemen ſuum longæuum*: ideſt filios ſuos ſpirituales; qui viuent à generatione in generationem vſque in ſempiternum vt dixi paulo ante in §. 32. Ioan. 1.

§. 35. AD SECVNDVM oraculum RESPONDEO PRIMO poſt natiuitatem aut mortem Ieſu Nazareni Iudæos non fuiſſe ampliùs filios Iſrael, & Iuda propriè loquendo: quia erant auerſi à Deo: negauerant enim Chriſtum, & occiderant: quod prædixerat Daniel cap. 9. *Et non erit eius Populus, qui eum negaturus eſt*: ideoque tot, tantoſque terrores, calamitates, & miſerias paſſi ſunt, vt debitas ſuæ deſertionis Daniel 9.
§. 36. pœnas darent. RESPONDEO SECVNDO non reperiri in veteri teſtamento Meſſiam venturum, vt redimeret Iſrael, & Iuda à ſeruitute ciuili, ſeu temporali: ſed tantùm à ſeruitute ſpirituali, in quam inciderant per peccatum, vt patet ex multis locis Scripturæ, præcipuè ex Pſal. 129. *Et ipſe redimet Iſrael* Pſal. 129.

ex omnibus iniquitatibus eius. Quare ille locus Ieremię citatus in ratione dubitandi §. 2. explicandus eſt de ſeruitute ſpirituali, in quam filij Iſrael, & Iuda inciderant per peccatum: à qua Ieſus Nazarenus eos omnes, ſi non efficaciter, ſaltem ſufficienter liberauit: non autem de ſeruitute temporali, & ciuili: vt dixi ſupra ſect. 3. contr. 1. §. 25.

AD TERTIVM oraculum RESPONDEO duplicem prædicari in ſcriptura aduentum Ieſu Nazareni; primum ad ſaluandum: ſecundum ad iudicandum: ſic Ioan. cap. 3. dicitur: *Non enim miſit Deus filium ſuum in mundum, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum.* Primus fuit valde pauper, & humilis: natus enim eſt in ſtabulo, & repoſitus in præſepio. Secundus erit valde glorioſus: & de hoc intelligitur viſio Danielis: vt patet ex ipſo textu: Nam præmittitur *Aſpiciebam donec throni poſiti ſunt* &c. poſtea ſequitur: *Antiquus dierum ſedit, & libri aperti ſunt.* Iudæi autem errant non diſtinguentes duplicem Meſſiæ aduentum: quorum vnus iam præterijt: alter futurus eſt: & quia nondum apparuit eis glorioſus dicunt Meſſiam nondum veniſſe. Veniet autem in nubibus cœli in fine mundi: ſicut ipſemet interrogatus à Principe Sacerdotum, an eſſet Chriſtus filius Dei, reſpondit Matth. cap. 26. *Tu dixiſti: verumtamen dico vobis: Amodo videbitis filium hominis ſedentem à dextris Dei, & venientem in nubibus cœli.*

§. 37.

Ioan. 3.

AD QVARTVM oraculum RESPONDEO Iudæos etiam errare non diſtinguentes duplex templum: vnum materiale, alterum ſpirituale: nec duplicem ſenſum, literalem vnum: allegoricum alterum. Verba Zachariæ non poſſunt intelligi de tem-

§. 38.

plo materiali, ſecundum ſenſum literalem: quia illud fuit inchoatum à Dauide, completum à Salomone, euerſum tempore captiuitatis Babilonicæ, reædificatum à Zorobabel Principe Iuda, Aggeo, & Zacharia prophetantibus, durauitque à tempore Ioſue Summi Pontificis vſque ad Veſpaſianum, & Titum à quibus vnà cum Ciuitate Ieruſalem funditus euerſum fuit. Debet ergo intelligi per allegoriam de templo ſpirituali, quod eſt Eccleſia militans & triumphãs, quam Ieſus Nazarenus Meſſias verus ædificauit ex lapidibus viuis ideſt ex fidelibus, quos prætioſo ſanguine ſuo emptos vniuit inuicem in terra per gratiam, & in cœlo per gloriam.

CONTROVERSIA VI.

An Ieſus Nazarenus ſit Meſſias in quo completum fuerit Incarnationis myſterium.

§. 1 PRIMA SENTENTIA negat, ita Iudæi omnes: quorum quidam apud Thomam Beauxamis tom. 2. harm. Euangel. dum explicat illa verba Samaritanæ Ioan. cap. 4. *Scio quia Meſſias venit.* Et apud Maldonat. in cap. 5. Ioannis num. 43. ſibi nomen Meſſiæ arrogauerunt: talis fuit Theodas, de quo agitur in Actib. Apoſt. c. 5. ALII VERO in diuerſas ſectas diuiſi ſunt, & in diuerſos errores lapſi. Nam Doſitheani apud Genebrardum in Chronolog. circa annum 613. ab Vrbe condita, Doſitheum: Herodiani apud S. Hieronymum aduerſus Luciferianos: Tertullianum libro de Præſcriptionibus aduerſus Iudæos cap. 45.

Tho. Beauxamis.
Maldonat.
Genebr.
S. Hieron.
Tertull.

Epiphan. & Epiphanium hæreſi 20. Herodem: Eſſeni apud
Guid. Carm. Guidonem Carmelitam in Sum. titul. de erroribus Iudæorum cap. 12. Ioannem Baptiſtam: Narbonei apud eundem ibidem cap. 13. non quidem Ieſum Nazarenum, ſed quemdam alium, qui in omni re eos ſabbatizare doceret Meſſiam eſſe opinati ſunt. Alij denique quorum errori fauere videtur
Ioſeph. Ioſephus lib. 7. de bell. Iudaic. cap. 12. conati ſunt accommodare Veſpaſiano Prophetias de Meſſia datas: quod etiam indicat Suetonius in Veſpaſiano
Sueton. cap. 4.

SECVNDA SENTENTIA affirmat: ita Chriſtiani omnes de Theologia optimè meriti, quorum quidam ſunt Doctores Scholaſtici, alij autem Poſitiui. Ex Scholaſticis hanc ſententiam tanquam fide §. 2
Io. Bacho. orthodoxa certiſſimam tutati ſunt. Ioan. Bacho in 3. diſt. 20. quæſt. 2. & 3. nec non in Prologo libri
Suarez. 4. quæſtionib. 1. 2. 3. & 4. Suarez tom. 1. in 3. part.
Molin. diſp. 2. ſect. 3. & 4. Lud. Molina in 1. part. quæſt. 27. art. 1. diſp. 2. Ex Poſitiuis Ludouic. Granaten-
Granat. ſis in Introduct. Symboli part. 4. tract. 2. Dialog. 2.
Perer. Benedict. Pererius tom. 4. in Geneſ. in cap. 49. à num. 39. vſque ad num. 106. Sebaſtian. Barradas
Barradas. tom. 1. commentarior. in concord. & hiſtoriam Euangelic. libro 3. toto, præſertim à cap. 6. vſque ad finem libri.

DICO PRIMO nullum eorum, qui in prima Sententia nominantur fuiſſe Meſſiam in lege promiſſum; illi autem ſunt Theodas, Doſitheus, Herodes, Ioannes Baptiſta, Innominatus ille Sabbatizans, & Veſpaſianus Imperator. Probatur Concluſio de quolibet ſigillatim. Itaque §. 3

Probatur PRIMO de THEODA, qui vt refert Ioſephus

§. 4 Ioſephus libr. 20. Antiq. cap. 2, & poſt eum S. Cyrillus Alexandr. lib. 7. in Ioan. cap. 3. S. Io. Chryſoſtom. hom. 59. in Ioan. Iſidorus Peluſiota in epiſt. 119. fuit Magus inſignis, qui Act. cap. 5. dicebat ſe magnum aliquem Prophetam, quem multi de Populo Iſrael ſecuti ſunt, fraudulentis ipſius ſermonibus decepti: quibus perſuadebat, vt aſſumptis facultatibus ſuis eum ſequerentur vſque ad Iordanem, promittens ſe aquas illius diuiſurum in vtramque partem: ita vt ipſe, & cæteri omnes ſiccis pedibus tantum fluuium traijcere poſſent ſicut olim Patres eorum, Ioſue Duce, eundem Iordanem per ſiccum ambulantes tranſierant. Sed miſſis in eum à Cuſpio Fado Iudæorum Præſide multis equitum turmis, ipſe interfectus eſt: & omnes, qui credebant ei diſſipati ſunt, & redacti in nihilum. caput vero eius amputatum Ieroſolymam portatum fuit.

Ioſephus. S. Cyrill. S. Chryſoſt. Iſidor. Pel. Actor. 5.

Probatur SECVNDO de DOSITHEO eadem
§. 5 prorſus ratione: quia Doſitheani dicuntur Diſcipuli Simonis Magi: ita Theodoretus lib. hæreticar. fabular. in Simone. Ipſe fuit hæreſiarcha Samaritanorum: ita Origenes hom. 25. in Luc. fuit etiam Pſeudochriſtus, ita Genebrardus in Chronographia circa Annum ab Vrbe condita 613.

S. Theodor. Origen.

§. 6 Probatur TERTIO de HERODE: quia non fuit Iudæus, ſed Alienigena, natus ex Patre Idumæo, & matre Arabica: non fuit de Tribu Iuda, aut de familia Dauid; nec illi conueniunt conditiones, quas ſacræ paginæ paſſim Meſſiæ attribuunt.

§. 7 Probatur QVARTO de S. IOANNE BAPTISTA. Cauſa quidem Eſſenorum erroris fuit, quod illis prædicaret omnimodam abſtinentiam: cibus enim

eius erat mel ſiluestre, & locuſtæ: potus non vinum, nec ſicera, ſed aqua, veſtitus aſper, & rudis de pilis Camelorum: ita vt quicquid erat in eo, nihil aliud eſſet, quam vox clamantis pœnitentiam, & annunciantis aduentum Saluatoris. Sed eum errorem quintupliciter redarguit ipſemet Ioannes Baptiſta in capite primo Euangelij ſecundum Ioannem: PRIMO quia interrogatus à Iudæis an eſſet Chriſtus: reſpondit ſe non eſſe Chriſtum. SECVNDO dixit ſe non eſſe dignum, qui ſoluat Chriſti corrigiam calceamenti. TERTIO oſtendit digito Chriſtum dicens: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* QVARTO confitetur ingenuè Diuinitatem & Humanitatem Chriſti, his verbis: *Poſt me venit vir, qui ante me factus eſt.* QVINTO per viſibilem Spiritus Sancti apparitionem ſub ſpecie columbæ demonſtrauit non ſe, ſed Ieſum Nazarenum eſſe Meſſiam.

Probatur QVINTO DE EO, QVI DOCTVRVS ERAT IVDÆOS IN OMNI RE SABBATIZARE, qui profectò nunquam apparuit. Nullus enim ſanæ mentis auderet docere opera charitatis, & miſericordiæ non eſſe exercenda die Sabbati: quia præceptum de Sabbato ſanctificando affirmatiuum eſt, quod non obligat tempore neceſſitatis. Hoc probauit Chriſtus contra Phariſæos: PRIMO arguendo ipſos ignorantiæ Matth. cap. 12. *An non legiſtis in lege, quia Sabbatis Sacerdotes in templo Sabbatum violant; & ſine crimine ſunt?* Vbi continuo eis objicit illud Oſee cap. 6. *Miſericordiam volo & non ſacrificium.* Quod confirmat exemplo ouis dicens paulò poſt: *Quis erit ex vobis homo, qui habeat ouem vnam, & ſi ceciderit hæc Sabbatis in foueam, nonne tenebit, & leuabit eam?* §. 8

Matth. 12.

Oſee 6.

quanto melior eſt homo oue? Ex quibus ita concludit: *Itaque licet Sabbatis benefacere.* Tum ad majorem confirmationem ſubiungit aliud exemplum Aſini, aut Bouis Luc. cap. 14. *Cuius veſtrum Aſinus, aut Bos in puteum cadet, & non continuo extrahet illum die Sabbati?* Luc. 14.
SECVNDO exercendo opera charitatis & miſericordiæ die Sabbati, in conſpectu Phariſæorum: quamuis continuò murmurarent, eiuſque opera ſemper calumniarentur. Nam Verbi Gratia Marc. Marc, 3.
3. hominem habentem manum aridam curauit. Luc. cap. 13. mulierem quæ ab annis octodecim manſerat in infirmitate ſua, ſanauit. & cap. 14. ſanauit hydropicum. Ioan. cap. 5. Paralytico qui per Luc. 13. & 14.
triginta octo annos in lecto æger jacuerat, præcepit, Ioan. 5.
vt tolleret grabatum ſuum, & ambularet, qui continuo ſurgens ſanus ſuſtulit grabatum ſuum, & ambulabat. & cap. 9. reſtituit viſum cœco nato. Hæc Ioan. 9.
omnia die Sabbati Ieſus Nazarenus operatus eſt in præſentia Iudæorum. Quod etiam ante Chriſti aduentum in vſu fuiſſe patet; ex Ioſue cap. 6. & ex Ioſue 6.
libr. 1. Machab. cap. 2. quando iuſta ex cauſa die 1. Mach. 2.
Sabbati prælia commiſſa ſunt: imo licebat Iudæis die Sabbati ad duo milliaria Italica recreationis cauſa extra vrbem deambulare: quod vocatur Sabbati iter Act. cap. 1. vt ibi explicat Nic. de Lyra. Actor. 1. Liran.

§. 9 Probatur SEXTO de VESPASIANO, quia vt teſtatur Euſebius Cæſarienſ. lib. 3. hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 11. Veſpaſianus omnes poſteros Dauidis diligentiſſimè conquiſitos interfici curauit. Præterea quia ex triginta quatuor Prophetijs, quas enumeraui ſupra in ſect. 3. controuerſ. 1. §. 5. ex ſacra Scriptura depromptis, & à ſacris vatibus de vita & morte Meſſiæ prænunciatis, nulla poteſt accommodari

Veſpaſiano: ergo multo minus omnes ſimul ſumptæ.

DICO SECVNDO fide Catholica tenendum eſſe in ſolo Ieſu Nazareno reuera peractum eſſe Incarnationis myſterium, ſeu illum eſſe Meſſiam à Deo per Prophetas prænunciatum, ac promiſſum in Liberatorem, & Redemptorem hominum. §. 10.

Probatur PRIMO ex his Scripturæ locis in quibus Ieſus Nazarenus vocatur nomine Meſſiæ, aut Chriſti. Ioan. cap. 1. Andreas ait fratri ſuo Petro: *Inuenimus Meſſiam.* Ioan. cap. 4. Mulier Samaritana ſermonem miſcens cum Ieſu Nazareno, dixit: *Scio quia Meſſias venit, qui dicitur Chriſtus.* Ieſus autem ei quaſi tacitè interroganti reſpondit: *Ego ſum qui loquor tecum.* Matth. cap. 1. *De qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus.* Ioan. cap. 20. *Hæc autem ſcripta ſunt, vt credatis, quia Ieſus eſt Chriſtus.* §. 11. (Io. 1. & 4.; Matth. 1.)

Probatur SECVNDO ex locis veteris teſtamenti, in quibus Meſſias promittitur hominibus, quæque in nouo teſtamento explicantur de Ieſu Nazareno. Quater autem in veteri teſtamento legitur Meſſiam fuiſſe à Deo promiſſum, vt refert Ioan. Bacho in 4. q. 1. art. 2. Prolog. §. 12. (Io. Bacho.)

PRIMO vniuerſo Generi Humano: quando Deus maledicens Serpenti Geneſ. cap. 3. ait: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, inter ſemen tuum, & ſemen illius: ipſa conteret caput tuum.* Mulier illa Serpenti maledicto oppoſita, eſt Virgo benedicta Luc. cap. 1. Semen illius eſt Ieſus eius filius, ad Galath. cap. 3. caput Serpētis eſt peccatum originale, quod vniuerſum genus humanum infecit: ideoque dicitur peccatum mundi Ioan. cap. 1. quæ promiſſio executioni mandata eſt in aduentu Ieſu Nazareni §. 13. (Geneſ. 3.; Luc. 1.; Galath. 3.; Ioan. 1.)

Galath. cap. 4. *Quando venit plenitudo temporis miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege vt eos, qui ſub lege erant redimeret.* Quamuis autem dixerim peccatum originale infeciſſe vniuerſum genus humanum; excipiuntur tamen Chriſtus, & B. Virgo mater eius: hæc enim ex priuilegio: ille ex vi ſuæ originis fuerunt immunes ab illo peccato. Imo non deſunt ex recentioribus graues Theologi, inter
quos citatur Ioannes Baptiſta de Lezana in Apolo- Ioan. Bapt.
get. pro immaculata conceptione cap. 32. qui ne- de Lezana.
gent B. Virginem habuiſſe debitum contrahendi peccatum originale.

§. SECVNDO Promiſit Deus Abrahæ Meſſiam ex
14. eius ſtirpe naſciturum, Geneſ. cap. 22. *Benedicentur* Geneſ. 22.
in ſemine tuo omnes gentes terræ: quæ verba in nouo te-
ſtamento citantur à S. Petro, Actor. cap. 3. concio- Act. 3.
nem habente ad Iudæos de Ieſu Nazareno: vbi Iudæos ita alloquitur: *Vos eſtis filij Prophetarum, & teſtamenti, quod diſpoſuit Deus ad Patres noſtros dicens ad Abraham: & in ſemine tuo benedicentur omnes familiæ terræ. Vobis primum Deus ſuſcitans filium ſuum, miſit eum benedicentem nobis: vt conuertat ſe vnuſquiſque à nequitia*
ſua. S. Paulus etiam ſcribens ad Galath. cap. 3. ci- Galath. 3.
tat eadem verba, & explicat hoc modo. *Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini eius: non dicit è ſeminibus, quaſi in multis, ſed quaſi in vno, & ſemini tuo, quod eſt Chriſtus.*

§. TERTIO Promiſit Deus Moyſi in Deuteronom. Deuter. 18.
15. cap. 18. Prophetam magnũ de populo Iſrael oriundum: in cuius ore poneret verba ſua, vt tanquam Deus, & homo, Legiſlator, & Promulgator legis Diuinas voluntates hominibus annunciaret: *Prophetam*, ait Deus Moyſi, *ſuſcitabo eis de medio fratrum*

ſuorum ſimilem tui, & ponam verba mea in ore eius: & loquetur ad eos omnia, quæ præcepero illi: qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo audire noluerit, ego vltor exiſtam. Quæ verba de Ieſu Nazareno explicant in Actib. Apoſt. S. Petrus cap. 3. & S. Stephanus cap. 7. tanquam de vero Meſſia; ille ad Populum concionando: hic contra Libertinos, Cyrenenſes & Alexandrinos diſputando.

QVARTO promiſit Deus Dauidi Regi maximo Meſſiam ex eius ſemine naſciturum: quod iuramento confirmauit dicens Pſal. 131. *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* in quibus verbis duæ notantur Meſſiæ conditiones: vna quod futurus eſſet aliquis ex filijs Dauid: altera, quod poſſeſſurus eſſet Regiam eius Sedem; vtramque conditionem conuenire Ieſu Nazareno nouum teſtamentum non ſinit dubitare: nam primo dicitur filius Dauid Matth. cap. 1. in Genealogia, & alibi paſſim: deinde ſediſſe ſuper ſedem Dauid patet ex indubitato Angeli teſtimonio Luc. cap. 1. dicentis *Dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid Patris eius, & regnabit* &c. §. 16.

Pſal. 131.

Matth. 1.

Ex quibus quatuor locis colligitur, fructum illum ventris non fuiſſe alium, niſi Ieſum Nazarenum, qui per B. Virginem matrem ſuam ex clara Abrahę proſapia natus, & ex Dauidis ſceptro deſcendens ab æterno Patre miſſus eſt in mundum Humani Generis Aſſertor & Vindex.

PROBATVR TERTIO ex duobus locis Scripturæ, quibus manifeſtum eſt reuera peractam eſſe Incarnationem, ſeu Vnionem naturæ Diuinæ cum humana, iamque Meſſiam aduentaſſe. PRIMVS locus eſt Luc. cap. 2. *Tranſeamus vſque Bethlehem, & videamus Verbum, quod factum eſt, quod fecit Dominus, &* §. 17.

Luc. 2.

oſtendit nobis. Quamuis enim in hoc loco *Verbum* ſignificet aliquam rem magnam, & mirabilem, vt notant interpretes Scripturæ, Maldonat. Thomas Beauxamis, Ianſenius, Hugo Cardinalis, etiam ex Philoſophis Petrus Fonſeca lib. 5. Metaph. cap. 28. quæſt. 2. ſect. 3. tamen S. Ambroſius, & Beda, & S. Bernardus ſerm. 22. in Cantic. explicant illud de Verbo Incarnato, *quod Dominus fecit* per Incarnationem, quam operata eſt tota Trinitas, *& oſtendit nobis* in carne, quod in Deitate videri non poterat. vide quæ dixi ſupra ſect. 4. contr. 1. §. 2. SECVNDVS locus eſt Ioan. cap. 1. *Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis*. At nullus excogitari poteſt, cui hæc duo loca conueniant, præter Ieſum Nazarenum, qui propterea diſertiſſimè aſſeruit ſe eſſe Meſſiam Ioan. cap. 4. *Scio* inquit Samaritana *quia Meſſias venit. Dixit ei Ieſus, ego ſum, qui loquor tecum.* Idemque confeſſus eſt S. Petrus Matth. cap. 16. *Tu es Chriſtus Filius Dei viui.*

Maldon. Beauxam. Ianſen. Hug. Card Fonſeca. S. Ambr. Beda. S. Bernard Ioan. 1. Ioan. 4.

§. 18. Probatur QVARTO ratione, quæ eſt S. Auguſtini in lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 46. S. Aug.

Ille ſolus in quo exactiſſimè completa concurrunt omnia, quæ de Meſſia fuerunt olim in ſacris literis prædicta, & ſcripta, eſt cenſendus, & credendus Meſſias in lege promiſſus:

Sed in Ieſu Nazareno accuratiſſimè completæ concurrunt omnes Prophetiæ, quæ in ſacris literis de Meſſia leguntur:

Ergo ſolus Ieſus Nazarenus eſt cenſendus & credendus Meſſias in lege promiſſus.

§. 19. Major patet: quia illa omnia ſunt ſigna certiſſima, quæ Deus nobis reliquit per Prophetas: vt illis mediantibus, ſine deceptione filium ſuum vnigeni-

tum humana carne veſtitum cognoſceremus, & in eo ſine erroris periculo ſpem noſtram collocaremus: hanc enim ob cauſam olim præcepit Deus Meſſiam, cum veniſſet, audiendum & colendum: quod præſtare non potuiſſemus, niſi per tot, & tot Prophetarum oracula in cognitionem ipſius veniſſemus. Neque timendum eſt vt ait S. Auguſtinus loco citato ne libri veteris teſtamẽti, in quibus continentur huiuſmodi prædictiones ſint ficti à Chriſtianis: quia citantur ab Authoribus antiquis qui Christianos multis ſæculis præceſſerunt; Daniel enim cap. 9. citat libros Moyſis & librum Ieremiæ; Ioſephus lib. 11. Antiq. cap. 1, refert Cyrum Perſarum Regem permiſiſſe Iudæis, vt reædificarent vrbem, & templum, poſtquam legiſſet librum Iſaiæ, in fine capitis 1. lib. 4. Eſdræ numerantur reliqui Prophetæ Oſee, Amos, Ioel, & alij. Præterea libri Moyſis & Prophetarum recepti ſunt à Iudæis, qui ſunt Chriſti, Chriſtianorumque inimici. Denique Moyſes fuit antiquior omnibus Gentilium ſcriptoribus Triſmegiſto, Orpheo, Lino, Homero, Heſiodo. Prophetæ etiam omnes præceſſerunt Sapientes Græciæ, & Socratem, Platonem etiam & Ariſtotelem, qui natus eſt Olympiade 101. annis ante Chriſtum 372.

Daniel 9.
Ioſephe.
Eſdras.

Minor Probatur: quia omnia, quæ de Meſſia à Prophetis prædicta ſunt commodè ad quatuor capita reuocari poſſunt: Primum eſt tempus aduentus: Secundum locus natiuitatis: Tertium totus vitæ decurſus: Quartum genus mortis. quæ quatuor perfectiſſime reperiuntur adimpleta in Ieſu Nazareno. Nam primo tempus aduentus Meſſiæ prædictum fuit Geneſ. cap. 49. *Non auferetur ſceptrum*

§. 20.
Geneſ. 49.

trum de Iuda, neque Dux de fæmore eius, donec veniat, qui mittendus eſt : quod fuit adimpletum Matth. cap. 2. Matth. 2.
vbi dicitur Ieſum Nazarenum fuiſſe natum *in diebus Herodis Regis*, qui erat alienigena, & Regnum Iudæorum à Senatu Romano primùm : deinde à Cæſare Auguſto obtinuerat. Secundo locus natiuitatis etiam prænunciatus fuit à Michęa cap. 5. *Et tu Bethlehem Ephrata paruulus es in millibus Iuda : ex te mihi egredietur, qui ſit Dominator in Iſrael :* fuit etiam hoc adimpletum Luc. cap. 2. vbi Ieſus Nazarenus legitur natus in Bethlehem Ciuitate Dauid, paruula quidem ſecundum ſitum : magna ſecundum Principes, qui ex ea orituri erant. Tertio tota pariter vita Meſſiæ prædicitur ſancta & miraculoſa Iſaiæ cap. 61. *Spiritus Domini ſuper me, eo quod vnxerit Dominus me : ad annunciandum manſuetis miſit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam &c.* & cap. 35. *Deus ipſe veniet, & ſaluabit nos : tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt : tunc ſaliet ſicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Primum impletum fuit Luc. cap. 4. vbi eadem verba Iſaiæ referuntur ab ipſomet Ieſu Nazareno, tanquam de ſe dicta. Secundum etiam de ſe explicat Matth. c. 11. *Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes euangelizantur.* Quarto denique crudeliſſimum mortis genus eiuſdem expreſſit Iſaias cap. 53. *Sicut ouis ad occiſionem ducetur :* quod oraculum adimpletum eſt, quando mitiſſimus Ieſus ductus eſt in Montem Caluariæ, vbi inter duos latrones crucifixus opus Redemptionis humanę ad quod tanquam ad finem ordinabatur Verbi Diuini Incarnatio, conſummauit.

Margin: Michę. 5. — Luc. 2. — §. 21. — Iſa. 61. & 35 — Luc. 4. — Matth. 11. — Iſai. 53.

§. 22. QVÆRES PRIMO An Iudæi potuerint co-

gnoſcere Ieſum Nazarenum eſſe verum Meſſiam, in quo completum fuit Incarnationis myſterium? Suarez. RESPONDEO cum Suarez tom. 2. in 3. part. diſp. 31. ſect. 4. Iudæos, qui ſcripturas legebãt, & Ieſum loquentem audiebant; eiuſque miracula intuebantur potuiſſe cognoſcere eum eſſe Meſſiã, & Deum, tam per fidem infuſam, cuius obiectum ſufficienter proponebatur, quam per fidem acquiſitam, quæ per auditum habetur, quia comparando eius vitam cum doctrina, & doctrinam cum miraculis poterant eum Matth. 16. Ioan. 11. cognoſcere ſicut Petrus Matth. cap. 16. & Martha Ioan. cap. 11. eum cognouerunt: Maximè vero ſi quas habebant dubitationes tanto Doctori reſoluendas voluiſſent proponere, modo ex animo, & ſine vlla diſſimulatione id facerent, infallibiliter ad tanti myſterij cognitionem peruenire potuiſſent.

QVÆRES SECVNDO An Iudæi de facto cognouerint Ieſum Nazarenũ eſſe Meſſiam, & Deum incarnatum RESPONDEO cum S. Thom. in 3. part. quæſt. 47. art. 5. Principes Iudæorum cognouiſſe eum eſſe Meſſiam promiſſum in lege: quia in eo videbant omnia ſigna, quæ Prophetæ dixerunt in Meſſia eſſe futura: ignorauiſſe tamen myſterium Diuinitatis eius: quia ſi cognouiſſent, vt ait Apoſtolus 1. Cor. cap. 2. *Nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*: multitudinem autem, ſeu plebem non plenè cognouiſſe ipſum eſſe Meſſiam, aut filium Dei. Et licet aliqui eorum in eum crediderint: multitudo tamen non credidit, ſed tantùm propter multitudinem ſignorum aliquando dubitauit. §. 23. S. Thom. 1. Cor. 2.

§. 24. QVÆRES TERTIO cur Principes Iudæorum ex tot ſcripturis, & miraculis nõ cognouerint Ieſum Nazarenum eſſe Deum? RESPONDEO triplicem

eſſe cauſam. PRIMA eſt Iuſtini Martyris in Dialogo cum Triphone: quod Sacerdotes ſcripturas ſcrutantes intenti tantùm eſſent inanibus quibuſdam quæſtionibus: has autem de Meſſiæ Diuinitate minùs inueſtigarint. SECVNDA eſt Origenis lib. 4: Periarch. cap. 2. quia omnes promiſſiones, & benedictiones futuras per Meſſiam temporaliter interpretabantur, & conſequenter ad eas implendas putabant ſatis eſſe purum hominem Deo dilectum: & propter hanc cauſam, quod de lætitia, libertate, armis, templi reædificatione ſpiritualiter erat à Prophetis prædictum: ipſi de corporali gaudio, libertate, armis, materialique templo intelligebant. TERTIA eſt S. Thomæ in loco citato: quia videbant quidem euidentia ſigna Diuinitatis ipſius: ſed excæcati, ex inuidia, & odio noluerunt credere verbis eius, quibus ſe filium Dei fatebatur.

Iuſt. Mart.

Origen.

§. 25. QVÆRES QVARTO quare multitudo, ſeu Turbæ Iudæorum non cognouerint Ieſum Nazarenum eſſe Meſſiam, & Deum? RESPONDEO duas dari cauſas à S. Thoma loco citato: VNA eſt, quia Plebs Scripturarum myſteria ignorabat: ideo neque ex Prophetijs, neque ex figuris, quæ in Scriptura multæ ſunt, poterat venire in cognitionem Meſſiæ, eiuſque Diuinitatis. ALTERA eſt quia quando Turbæ propter efficaciam doctrinæ, & propter euidentiam miraculorum, quibus Ieſus Nazarenus ſuam doctrinam confirmabat, incipiebant dubitare de ipſius Diuinitate, neque eum adhuc plenè cognoſcebant, præſto erãt Principes Sacerdotum, à quibus decipiebantur: & quam de Ieſu Nazareno conceperant bonam opinionem depo-

S. Thom.

Actor. 3. nebant: quod indicauit eis S. Petrus Actor. cap. 3. dicens: *Scio, quia per ignorantiam feciſtis*: ideſt à Principibus veſtris ſeducti.

Laus Deo, Deiparæque Virgini S. Mariæ de Monte Carmelo.

Digitized by Google

INDEX
RERVM PRÆCIPVARVM QVÆ IN HOC OPVSCVLO CONTINENTVR.

In quo S. ſignificat Sectionem, C. Controuerſiam, §. numerum marginalem.

A

ACHROSTICVM Carmen Sibyllæ Erythrææ de ſecundo Chriſti aduentu, ſeu de extremo Iudicio totum proponitur Græcè, & explicatur Latinè. S. 3. C. 2. §. 9. & S. 8. C. 5. §. 10. 11. 12. 13.

ADVENTVS Chriſti duplex. s. 3. c. 1. §. 21. & s. 8. c. 5. §. 37.

ALEXANDER SEVERVS Imperator habuit Chriſtum in Larario. s. 3. c. 2. §. 21.

AMELIVS Philoſophus ſecta Platonicus dicere ſolitus erat: initium Euangelij S. Ioannis: *In principio erat Verbum* &c. ſcribendum eſſe literis aureis: & per omnes Eccleſias in locis eminentiſſimis ponendum. s. 3. c. 2. §. 10. Vocauit S. Ioannem barbarum non propter initium ſui Euangelij: ſed quia Hebræus erat, non Græcus ibid. Fuit Diſcipulus Platonis, & Præceptor Porphirij. ibid.

ANGELI corporeo aſpectu apparuerunt hominibus. s. 4. c. 4. §. 1. non ſunt corporei: nec ſpiritus tenues: nec circunſcribuntur loco: nec ſunt compoſiti ex corpore, & anima. s. 4. c. 4. §. 2. & 14. Leguntur apparuiſſe in forma ignis, quãdo aſſumebant corpora ignea, in quibus erant, non vt formæ informantes, ſed aſſiſtentes, aut vt loquuntur Theologi tanquam motores. s. 4. c. 4. §. 15. 16. 17. Omnes etiam, qui manifeſtauerunt Incarnationem, & Natiuitatem Chriſti ſunt ſubſtantiæ omnino ſpirituales, & intellectuales. s. 4. c. 4. §. 5. 6. 7. 8. 9. 10. Manifeſtantes Incarnationem non habebant corpora ſibi vnita, ſed aſſumpta, & ab ipſiſmet fabricata ex aëre, aut ex igne, aut ex alia materia ſublunari, in quibus apparebant ſub ſpecie humana: finitaque legatione diſparebant, corporibus in præjacentem materiam redeuntibus. s. 4. c. 4. §. 12. Angeli manifeſtantes Incarnationem in corporibus aſſumptis non exercebant opera vitæ: non enim Gabriel ingreſſus eſt cubiculum B. Virginis: alij non ambulabant per vias: nec allocuti ſunt Paſtores, aut Magdalenam, aliasve mulieres: nec ſedebant in ſepulchro, niſi metaphoricè; & per quandam ſimilitudinem ibid. §. 12. & 13. Angeli dum hominibus ſe manifeſtant, ſe etiam in varios habitus transformant. s. 4. c. 5. §. 12. Angeli voluntas eſt inflexibilis. s. 6. c. 4. §. 5.

S. ANGELVS Carmelita prædixit B. Franciſco Chriſti ſtigmata in eius corpore imprimenda. s. 7. c. 2. §. 26.

APOSTOLI quomodo redundabant gratia. s. 4. c. 5. §. 11. Vide *Chriſtus.*

ARA Cœli. s. 5. c. 3. §. 5. Ara Primogeniti Dei. §. 10.

AVGVSTVS cum audiſſet ex oraculo natum puerum Hebræum Deorum Deum in Capitolio erexit Aram Dei primogeniti. s. 3. c. 2. §. 19.

B

BARBAROS Græci vocabant Hebræos. s. 3. c. 2. §. 10.

BEATITVDO integra conſiſtit in cognitione Dei, & Chriſti. s. 6. c. 2. §. 2.

BENEDICITVR minor à majori. s. 7. c. 3. §. 62.

BENEFICIA in Iudæos à Meſſia conferenda. s. 3. c. 1. §. 22. 23. 24. 25. & 26.

C

CALVINO dicenti Chriſtum tanquam Deum poſuiſſe animam ſuam pro ouibus ſuis, opponuntur Patres. s. 7. c. 3. §. 31. 32. 33.

CARO aliquando in Scriptura ſignificat totum hominem. s. 1. c. 3. §. 5. Caro vera complectitur animam ibid. §. 6. Carnem ſolam fuiſſe à Verbo aſſumptam dixerunt Apollinariſtæ. s. 1. c. 3. §. 10.

ΧΡΙΣΤΟ͂Σ Græcè, Latinè redditur Vnctus, eſtque nomen Meſſiæ in lege promiſſi. s. 7. c. 1. §. 1. Conuenit Ieſu Nazareno ibid. §. 2. Oleum lætitiæ ſignificat vel gratiam Vnionis Hypoſtaticæ: vel gratiam habitualem: vel dona Spiritus Sancti. ibid. Vngebantur Reges, Sacerdotes, & Prophetæ. §. 8. Nomen Χριςὸς continet tres perſonas Trinitatis. §. 4. Cyrus Rex Perſarum, & Medorum dictus eſt Chriſtus. §. 7. Multi in lege veteri vocati ſunt Chriſti. §. 10. 11. 12. Duplex eſt Vnctio ſcilicet interna, & externa. §. 11. 12.

CHRISTVS definitur. s. 7. c. 1. §. 9. Fuit vir perfectus in vtero matris. s. 1. c. 1. §. 2. Eius egreſſus ex vtero matris extitit miraculoſus. s. 2. c. 1. §. 10. Ortus eſt ex

tribu Iuda ſecundum lineam virilem : ex tribu Leui ſecundum lineam fœmineam. s.7.c.3.§.41. Dictus fuit analogicè ἰχθῦς, ideſt piſcis. s.8.c.5.§.13. Vide *Sibylla Erythræa.* Redundauit gratia. s.4.c.5.§.11. Vide *Apoſtoli.* Habuit gratiam habitualem ſine menſura. s.7. c.1.§.13. Ejecit ex Templo ementes, & vendentes. s.7.c.4.§.23.

CHRISTI Diuinitas, & humanitas explicatur in Sectione octaua tota. Qui Hæretici negent Chriſtum eſſe Deum. s.8.c.2.§.1. Qui negent eſſe hominem. §.2. Quinam affirment eſſe Deum, & hominem. §.3. Chriſtum eſſe Deum probatur. §.4.5. & ſequentib. Eundem eſſe hominem probatur §.9.10. & ſequentib. Eſſe autem ſimul Deum & hominem probatur. §.12.13. & ſequentib. Probatur etiam contra varios hæreticos ex præclara expoſitione octo verſiculorum Symboli S. Athanaſij ſcilicet: *Eſt ergo fides recta, vt credamus, & confiteamur, quia Dominus Ieſus Chriſtus Deus & homo eſt*: & reliquorum ſeptem ſequentium. §.15. Eius Diuinitas non poteſt cognoſci lumine naturali. s.8.c.3.§.4.5. & ſequentib. Exempla eorum qui primò naturaliter non cognoſcebant Diuinitatem Chriſti: poſtea per reuelationem cognouerunt. §.6.7.8.

CIRCVLVS aureus ambijt Solem Auguſto Romam ingrediente. s.5.c.3.§.4.

COMETARVM locus, motus, finis. s.4.c.5.§.21.

CONGRVENTIVS fuit Deo, & vtilius hominibus redimi à Deo per aſſumptionem naturæ humanæ, quam per aſſumptionem naturæ Angelicæ. s.6.c.4.§.2. & 3. Quamuis Angelus, & homo peccauerint: tamen Angelus non indiguit redemptione, ſicut homo. §.5. & 6. Congruentiæ, quibus oſtenditur conuenientius fuiſſe Deo redimere hominem, quam Angelum

gelum. s. 6. c. 5. §. 1. 2. 3. 4. 5. & 6.

Conversio Gentium. s. 8. c. 5. §. 18.

D

Deus in Incarnatione non eſt mutatus. s. 2. c. 1. §. 19. Nec inquinatus ex carne. s. 3. c. 2. §. 23. Deus ſe accommodat naturis rerum; & condeſcendit infirmitati humanæ. s. 4. c. 3. §. 3. Sicque attraxit ad amorem ſui nominis Simeonem iuſtum, & Annam per Prophetiam: Petrum, & Andræam per piſcationem: & Dionyſium Areopagitam per Aſtrologiam. ibid. Eſt etiam aliquando Deus cauſa meteororum. s. 4. c. 5. §. 23.

Dæmones in cognitione naturali ſuperant homines. s. 8. c. 3. §. 11. Confeſſi ſunt Chriſtum eſſe Deum. §. 1. tamen dubitauerunt de Diuinitate Chriſti. §. 11. Non enim cognouerunt Chriſtum eſſe Deum cognitione naturali: ſed cognitione partim naturali, partim reuelata. s. 8. c. 3. §. 13. & c. 4. §. 1. & 2. Quomodo talem cognitionem habuerint Dæmones. §. 3. Incertum eſt an Dæmones impediti fuerint, ne omnia Chriſti myſteria cognouerint, vel eius verba omnia audiuerint, vel omnes Prophetias, quæ de ipſo erant, inter ſe conferre potuerint. §. 4. Veriſimile tamen eſt Dæmones impeditos fuiſſe tempore infantiæ Chriſti, ne eum agnoſcerent. §. 5. Probabile etiam eſt Dæmones, & Iudæos potuiſſe cognoſcere Chriſtum eſſe Deum, quando cepit prædicare, & miracula facere; probabilius tamen eſt non cognouiſſe, nec crediſiſſe. ibid. Vltimo autem vitæ Chriſti tempore, quando cauſa eius mortis agebatur coram Pilato vehementiſſimã habuerunt ſuſpicionem cum ſumma formidine conjunctam de eius

Diuinitate. §. 6. Verum an Dæmones voluerint impedire mortem Christi per vxorem Pilati: Patrum quidam affirmant: quidam negant. ibid. Denique poſt mortem Chriſti Dæmones euidenter cognouerunt Chriſti Diuinitatem, & quam habebant de ea ſuſpicionem, & formidinem depoſuerunt §. 7.

DIABOLI captiuus factus eſt homo per peccatum. s. 6. c. 3. §. 1. & 2. Attamen non eſt omnino captiuus Diaboli. §. 3.

DIALOGVS inter Archangelum Gabrielem, & B. Virginem de conceptione, & natiuitate Chriſti. s. 4. c. 1. §. 1.

DIGNITAS Sacerdotalis, & Regia inter ſe ſunt realiter diſtinctæ: & vna aliquando fuit ſine alia. s. 7. c. 4. §. 37.

S. DIONYSIVS Areopagita agnouit Chriſto patiente Ecclypſim extraordinariam Solis s. 3. c. 1. §. 22.

DOMINIVM triplex eſt, ſcilicet Diuinum, humanum, & inter vtrumque medium. s. 7. c. 4. §. 5. Dominium humanum duplex eſt: ſcilicet Iuriſdictionis, & proprietatis. §. 6. Dominium iuriſdictionis duplex eſt: vnum temporale, ſeu laïcum: alterum ſpirituale, ſeu Eccleſiaſticum. ibid. Dominium medium eſt proprium Chriſti, eſtque ſuperius humano, & inferius Diuino §. 7. Chriſtus habuit dominium temporale, in ordine ad ſpirituale quadruplici titulo §. 8.

DVPLEX Chriſti aduentus. s. 3. c. 1. §. 21. & s. 8. c. 5. §. 37. Duplex Regnum. s. 3. c. 1. §. 21. Duplex pax. §. 23. Duplex captiuitas. §. 15. & s. 8. c. 6. §. 38. Duplex templum. §. 26. & s. 8. c. 5. §. 38.

E

ECCLESIA conſtituitur ex Angelis, & hominibus. s. 6. c. 2. §. 5.

S. ELIAS Propheta præcedet ſecundum Chriſti aduentum. s. 3. c. 1. §. 20. & 21.

ENS duplex eſt naturale, & ſupernaturale: Ens ſupernaturale iterum duplex eſt: vnum ſecundum ſubſtantiam: alterum ſecundum modum: hoc poteſt cognoſci lumine naturali, non illud. s. 8. c. 3. §. 10.

EXCIDIVM Ieroſolymitanum. s. 5. c. 2. §. 7. Vide *Pœnæ, quas Iudæi paſſi ſunt.*

F

FAMES prodigioſa. Vide *Pœnæ, quas Iudæi paſſi ſunt.*

FIGVRÆ Diuinitatis, & Humanitatis Chriſti. s. 3. c. 1. §. 1. Prima eſt in lib. Geneſ. cap. 22. Sacrificium Abrahæ: Iſaac enim naturam Diuinam, & aries hærens cornibus inter vepres naturam humanam ſignificabat. ibid. Secunda eſt in lib. Leuitic. cap. 14. duo ſcilicet paſſeres, quorum vnus occidebatur, alter viuus ligabatur in baculo, vt eo ſanguine alterius occiſi tincto, leproſus aſpergeretur. §. 2. Tertia eſt etiam in lib. Leuitic. cap. 16. quando Sacerdos ſumebat duos hircos, quorum vnus occidebatur in Sacrificium: alter vero peccatis populi onuſtus dimittebatur. §. 3. Quarta eſt in lib. Ruth. cap. 2. 3. 4. Ruth, inquam, vidua, quæ nupſit Booz. §. 4.

FONS olei Romæ ex Taberna meritoria die integro fluxit vſque ad Tiberim. s. 4. c. 2. §. 2. & s. 5. c. 3. §. 7.

G

GABRIEL Archangelus annunciauit B. Virgini Verbi Diuini Incarnationem. s. 4. c. 1. §. 1.

GENERATIO Chriſti inenarrabilis. s. 1. c. 1. §. 2. & 6. Generatio Chriſti duplex eſt: ſcilicet Diuina, & humana. s. 8. c. 2. §. 16. Generatio hominis quatuor modis poteſt fieri. s. 6. c. 1. §. 5.

GRATIÆ datæ fuerunt Chriſto: ſcilicet Gratia vnionis Hypoſtaticæ, & Gratia habitualis. s. 7. c. 1. §. 2. & 14. Gratia etiam capitis, per quam Chriſtus dicitur caput Angelorum, & hominum. s. 6. c. 2. §. 5. Nec non & gratiæ gratis datæ, ſcilicet Gratia Prophetiæ. s. 7. contr. 2. tota. Et Gratia miraculorum. s. 8. c. 3. §. 2. 3. 12. 13. 14. & aliæ. Imo Chriſtus dicitur Gratiæ Author: quia eſt Author Sacramentorum gratiam conferentium. s. 6. c. 2. §. 6. ideo Gratia aſſimilatur aquæ ſalientis de petra. §. 7.

H

HEBDOMADÆ Danielis non fuerunt dierum, ſed annorum: non Lunarium, ſed Solarium. s. 5. c. 2. §. 4. quomodo dicantur abbreuiatæ. ibid. fuerunt completæ circa tempora Herodis, & Auguſti. ibid. fuerunt inchoatæ, non à die reuelationis Angeli, ſed ab exitu ſermonis, vt iterum reædificaretur Ieruſalem. §. 5. Quomodo colligantur. §. 6. Quomodo adimpletæ fuerint. §. 7.

HERODES fuerunt tres, ſcilicet Aſcalonita, Antipas, & Agrippa. s. 5. c. 2. §. 1. 4.

HOMO dicitur Microcoſmos. s. 6. c. 1. §. 6.

I

INCARNATIONIS nomen non eſt reijciendum tanquam barbarum. s. 1. c. 3. §. 7. 8. 9. Incarnationis varia nomina Græca. s. 1. c. 2. §. 1. Varia nomina Latina. §. 2. Incarnationis nomen optimè accommodatum, ad ſignificandum Vnionis Hypoſtaticæ, myſterium. s. 1. c. 3. §. 2. Incarnationis myſterium eſt ineffabile. s. 1. c. 1. §. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Quamuis Incarnatio ſit ineffabilis: eſt tamen à Theologis, explicanda, & de ea diſputandum. s. 1. c. 1. §. 7. Quid ſit Incarnatio. s. 1. c. 4. §. vnico.

INCARNATIONIS poſſibilitas non explicatur à S. Thoma initio Tertiæ partis ſuæ ſummæ: ſicut eam explicauit in principio libri Tertij ſententiar. diſt. 1. quæſt. vnica artic. 1. s. 2. c. 1. §. 8. Incarnationis poſſibilitas nullam inuoluit contradictionem. §. 12. Eadem poſſibilitas explicatur varijs ſimilitudinibus. s. 2. c. 1. §. 15. Incarnatio triplici lumine ſupernaturali fidei, gloriæ, & ſcientiæ infuſæ poteſt demonſtrari poſſibilis. s. 2. c. 2. §. 4. Incarnatio poteſt cognoſci poſſibilis ex vi aliorum, quæ aliquo horum trium luminum cognoſcuntur: quamuis non eſſet in ſe propoſita, aut reuelata. §. 3. Beati videntes Deum poſſunt videre poſſibilitatem Incarnationis. ibid. Incarnatio cognita illo triplici lumine poteſt demonſtrari poſſibilis. §. 4. Quomodo poſſit fieri Demonſtratio à priori de Chriſto. s. 2. c. 2. §. 4. De poſſibilitate Incarnationis nulla poteſt fieri Demonſtratio Ariſtotelica. s. 2. c. 3. §. 5. Incarnatio non poteſt naturaliter cognoſci poſſibilis §. 7. Quomodo poſſibile & impoſſibile non ſint contradicentia in modalibus. s. 2. c. 4. §. 4. Suppoſita fide poteſt na-

turalis ratio conjecturis, & exemplis deuenire in cognitionem poſſibilitatis Incarnationis. s. 2. c. 5. §. 1.

INCARNATIONIS cognoſcibilitas habetur per reuelationem: maximè in Angelis, quibus reuelata fuit dum eſſent adhuc in via. s. 2. c. 1. §. 11. fuit etiam reuelata Adamo, dum eſſet in via. ibid. Philoſophi antiqui multa dixerunt de Deo Patre, Filio, & Spiritu Sancto. s. 2. c. 3. §. 1. Tribus modis Philoſophi antiqui potuerunt cognoſcere myſteria fidei noſtræ, ſcilicet per Prophetiam, per traditionem, & per communicationem. §. 14. & 15. Sibyllæ cognouerunt, & prædixerunt myſterium Incarnationis. s. 2. c. 5. §. 3. & 6. Poetæ ſuis fabulis adumbrarunt myſterium Incarnationis. s. 2. c. 5. §. 3. Alia fidei noſtræ myſteria ad explicandum myſterium Incarnationis apta. s. 2. c. 5. §. 4. In Incarnatione tria reperiuntur ſupernaturalia, quæ nulla vi naturali cognoſci poſſunt. s. 2. c. 3. §. 4. Quomodo Angeli à principio ſuæ creationis cognouerint Incarnationem. s. 2. c. 3. §. 12. & 13.

INCARNATIONIS compoſitio vt intelligatur ſciendum eſt dupliciter aliquid eſſe componibile cum alio. s. 2. c. 1. §. 17. ex natura humana, & perſona Verbi factum eſt vnum per ſe, & quomodo. s. 2. c. 1. §. 20. Nec natura humana, nec Verbum Diuinum dicuntur partes in Vnione Hypoſtatica, quamuis dicantur vnibilia. s. 2. c. 1. §. 18. Naturæ humanæ, & perſonæ Diuinæ proportio qualis ſit in Vnione Hypoſtatica. s. 2. c. 1. §. 18. In Incarnatione nulla facta fuit mutatio in Deo, ſed in ſola humanitate. s. 2. c. 1. §. 19. Deus in compoſitione Incarnationis acquiſiuit tantùm relationem rationis. ibid. Neſtorius poſuit in Chriſto duas perſonas Diuinam & humanam. s. 2. c. 1. §. 5. Neſtorius negauit B. Virginem eſſe matrem Dei, & Chriſtum

eſſe Filium Dei: ita vt B. Virgo non poſſit dici θεοτόκος, nec Chriſtus θεότοκος. ibid. Vnionem autem Dei, & hominis explicauit per inhabitationem: per vnitatem affectuum: per vnionem inſtrumentalem: per vnionem honoris, & dignitatis: & per communicationem nominum. s. 2. c. 1. §. 6. & 7.

INCARNATIONIS exiſtentia, vel hinc maximè intelligitur: quod Iudæi agnouerint Deum in humanitate exiſtentem. s. 3. c. 1. per figuras ibid. §. 1. 2. 3. 4. per Prophetias. §. 5. per pœnas. §. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. per miracula. §. 12. ex toto Pſalmo ſecundo. §. 13. 14. 15. Gentiles viderunt Deum in carne humana exiſtētem: vt Iob proprijs oculis cap. 19. Balaam à longe, numeror. cap. 24. Centurio prope Crucem Marc. cap. 15. s. 3. c. 2. §. 2. Sibyllæ per Prophetiæ donum. §. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 13. 14. Philoſophi Platonici. §. 10. Oracula. §. 17. 18. Pilatus §. 15. & 20. Dionyſius Areopagita §. 22.

INCARNATIONIS manifeſtatio facta fuit Iudæis quater Primo B. Virgini per Archangelū Gabrielem. s. 4. c. 1. §. 1. Secundo Paſtoribus per Angelos. §. 2. Tertio B. Ioſepho per ſomnium. §. 3. Quarto Simeoni iuſto & Annæ Prophetiſſæ per internam inſpirationem. §. 4. Incarnatio etiam manifeſtata eſt Gentilibus: Primò tribus Magis per ſtellam de nouo fabricatam. s. 4. c. 2. §. 1. Secundo alijs Gentilibus per prodigia. §. 2. Conueniens autem fuit Incarnationem manifeſtari Iudæis per Angelos corporeo aſpectu apparentes: Gentilibus vero per ſtellam in oriente radiantem. s. 4. c. 3. §. 1. 2. 3. 4. 5. Angeli manifeſtant Paſtoribus Chriſti natiuitatem. s. 4. c. 1. §. 2. Vide *Angeli*.

INCARNATIONIS tempus fuit ſub Herode Iudæorum Rege, & Auguſto Romanorum Imperatore: facta

enim fuit Incarnatio Anno à Creatione mundi 5199. Olympiade 194. ab Vrbe condita 752. s. 5. c. 1. §. 1. Paulo poſt Triumuiratum. s. 5. c. 3. §. 1. 2. 3. vt patet ex inſigni Sibyllæ Erithrææ prædictione §. 3.

INCARNATIONIS vtilitas commendatur ex Vniuerſi perfectione: fuit enim vtilis ad complementum Vniuerſi. s. 6. c. 1. §. 1. 2. 3. 4. & ſequentib. ad perfectionem naturæ humanæ. s. 6. c. 2. §. 1. 2. 3. & ſequentib. ad redemptionem generis humani. s. 6. c. 3. §. 1. 2. 3. & ſequentib.

INCARNATIONIS Prædeſtinatio fuit valde vtilis naturæ humanæ: quia Deus prædeſtinauit hoc myſterium ad noſtram gloriam: Nam plena, & integra Beatitudo conſiſtit in cognitione Dei, & Chriſti. s. 6. c. 2. §. 1. & 2.

IOANNES Baptiſta negauit ſe eſſe Prophetam, & quomodo. s. 7. c. 2. §. 22. 23. 24.

IVDÆI quadrupliciter errant circa Meſſiam. s. 8. c. 5. §. 5. Primo quando iuxta corticem literæ vſurpant ea, quæ non poſſunt, niſi per allegoriam, quæ ex varijs conſtat metaphoris, explicari. §. 6. Secundo quando ad ſolum ſonum referunt ea, quæ metaphoricè ad varios hominum mores referri debent. §. 7. Tertio quando literaliter explicant, quæ Anagogicè intelliguntur. §. 8. Quarto quando ſenſum multiplicem non diſtinguunt, ſed eum qui deterior eſt amplectuntur, nihil de vero ſenſu cogitantes, qui tamen à Deo intentus eſt. ibid.

K

ΚΥΡΙΟΣ Latine vertitur Dominus ſumiturque Antonomaſticῶs pro Deo Vniuerſi totius ſupremo Domino s. 7. c. 3. §. 27.

Lami

L

LAMINA aurea inuenta in vrna lapidea, aut in corpore hominis mortui, in qua ſcriptum erat, quo tempore Chriſtus ex Virgine naſciturus erat. s. 3. c. 2. §. VI.

LEGIO Fulminatrix obtinuit à Deo pluuiam. s. 3. c. 2. §. 16.

LEGIS onera liberè ſubijt Chriſtus, ſicut & B. Virgo mater eius. s. 7. c. 4. §. 13.

LVMEN eſt duplex, ſcilicet naturale, & ſupernaturale: lumen ſupernaturale triplex eſt, ſcilicet fidei, gloriæ, & ſcientiæ infuſæ. s. 2. c. 2. §. 1.

M

MEDIATOR Dei, & hominum eſt Chriſtus Ieſus. s. 7. c. 3. §. 15. & 16. Mediatoris actiones, quando tribuuntur Deo, quomodo ſint explicandæ. §. 39.

MELCHISEDECH quis fuerit. s. 7. c. 3. §. 64. 65. & ſequentib.

MESSIAS debuit eſſe Deus, & homo. s. 8. c. 1. §. 2. Probatur ex ſeptem oraculis Prophetarum. §. 3. 4. & ſequentib. Ieſus Nazarenus eſt verus Meſſias in lege promiſſus. s. 8. c. 6. §. 10. Iudæi omnes negant Ieſum Nazarenum eſſe Meſſiam: Chriſtiani omnes affirmant. s. 8. c. 6. §. 1. & 2. Meſſias non fuit Theodas. §. 4. Nec Doſitheus §. 5. Nec Herodes. §. 6. Nec Ioannes Baptiſta. §. 7. Nec ille qui docturus erat Iudæos in omni re Sabbatizare. §. 8. Nec Veſpaſianus. §. 9. ſed Meſſias fuit Ieſus Nazarenus §. 10. qui in Scriptura vocatur Meſſias §. 11. Meſſias quater promiſſus fuit à Deo ho-

minibus in veteri teſtamento. Primo Vniuerſo generi humano Geneſ. cap. 3. §. 13. Secundo Abrahæ Patriarchæ Geneſ. cap. 22. §. 14. Tertio Moyſi, Deuteron. cap. 18. §. 15. Quarto Dauidi Regi Pſal. 131. §. 16. Prophetæ prædixerunt Meſſiæ tempus. §. 20. locum Natiuitatis. §. 21. Miracula, ibid. Mortem crudeliſſimam. ibid. Iudæi potuerunt cognoſcere Ieſum Nazarenum eſſe Meſſiam. §. 22. attamen ignorauerunt myſterium Incarnationis. §. 23. Principes Iudæorum non cognouerunt Ieſum Nazarenum eſſe Deum, tribus de cauſis. §. 24. Multitudo, ſeu Turbæ Iudæorum non cognouerunt Ieſum Nazarenum eſſe Deum, duabus de cauſis. §. 25.

MIRACVLA Chriſti in ſe ſpectata non conuincebant Chriſtum eſſe Deum: iuncta tamen cum ſcripturis, & Prophetijs conuincebant. s. 8. c. 3. §. 3. 12. 13. 14. Conuincebant, inquam, euidenter, non euidentia rei, & in ſe: ſed euidentia in Chriſto teſtificante. §. 14. Miracula, quæ Chriſtus faciebat prædicta fuerant ab Iſaia cap. 35. s. 3. c. 1. §. 12.

MORS Chriſti teſtata fuit per voces quaſdam in aëre auditas iuxta inſulas Echinadas. s. 3. c. 2. §. 12.

MOYSES quomodo dicebatur Deus Pharaonis. s. 7. c. 2. §. 20.

MVLIER in adulterio deprehenſa quare non fuerit condemnata à Chriſto. s. 3. c. 1. §. 29.

MVNDVS conſtat ex omnibus rerum gradibus. s. 6. c. 1. §. 4.

N

NATIVITAS Chriſti dicitur terrena, ſecúndum humanitatem: & cœleſtis ſecundum Diuinitatem. s.

4. c. 3. §. 8. Natiuitatis Chriſti tempus. s. 5. c. 1. §. 1. ſub quibus Principibus natus ſit. §. 2.

NATVRA humana eſt magis aſſumptibilis à Verbo Diuino, quam natura Angelica. s. 6. c. 4. §. 4.

O

OLEVM lætitiæ ſignificat, vel gratiam Vnionis Hypoſtaticæ, vel gratiam habitualem, vel dona Spiritus Sancti. s. 7. c. 1. §. 2.

OPERATIONES Chriſti duplices, humanæ, & Diuinæ. s. 8. c. 2. §. 17.

ORACVLA Prophetarum de Meſſia, quæ Iudæi dicunt Ieſu Nazareno non conuenire. s. 8. c. 5. §. 1. 2. 3. 4. Ad illos reſpondetur ibid. ſcilicet §. 34. 35. 36. 37. 38. Quinque Oracula Iſaiæ, quæ ſoli Ieſu Nazareno conueniunt explicãtur ibid. §. 15. 16. vſque ad §. 28. Primum Oraculum eſt in cap. 2. *Erit in nouiſſimis diebus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles* &c. Explicatur §. 15. 16. 17. 18. 19. Secundum oraculum eſt in cap. 7. *Dabit Dominus ipſe vobis ſignum: Ecce Virgo concipiet, & pariet* &c. Explicatur §. 20. 21. 22. Tertium oraculum eſt in cap. 9. *Paruulus natus eſt nobis* &c. Explicatur §. 23. 24. Quartum oraculum eſt in cap. 11. *Eggredietur virga de radice Ieſſe* &c. Explicatur §. 25. 26. Quintum oraculum eſt totum caput 53. quod diuiditur in tres partes, quæ ibidem fusè explicantur. Prima §. 28. Secunda §. 29. 30. 31. Tertia §. 32. 34. 35. Oracula Apollinis Mileſij, & Delphici. s. 3. c. 2. §. 17. & 19. Oracula ceſſarunt naſcente Chriſto. s. 5. c. 3. §. 10.

OSIAS Rex percuſſus fuit lepra dum vſurparet offi-

cium Sacerdotis. s. 7. c. 3. §. 43.

P

PAN MAGNVM Chriſtus. s. 3. c. 2. §. 12.

PARALELLI inter Incarnationem, Euchariſtiam, & Trinitatem. s. 1. c. 1. §. 4. & 5.

S. PAVLVS fuit Propheta, & prophetauit. s. 7. c. 2. §. 28.

PAX vniuerſa in toto terrarum orbe facta fuit Chriſto naſcente. s. 5. c. 3. §. 9. & s. 8. c. 5. §. 19.

PECCATI grauitas attenditur ex perſonæ, quæ offenditur qualitate. s. 6. c. 3. §. 6. Valor autem ſatisfactionis ſpectatur ex perſona, quæ ſatisfacit. ibid.

PERFECTVM aliquid dicitur dupliciter. s. 6. c. 1. §. 1. Mundus tripliciter nõ poteſt fieri perfectior. §. 2. mundus tripliciter poteſt fieri perfectior. §. 3.

PHILIPPVS Argentarius, quis fuerit. s. 7. c. 3. §. 44. Vide catalogum Authorum littera P.

POENÆ quas Iudæi paſſi ſunt ob interfectum Chriſtum Meſſiam in lege promiſſum quinque numerantur. s. 3. c. 1. §. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. Prima eſt Obſidio Ieruſalem facta ab Imperatoribus Romanis Veſpaſiano, & Tito §. 6. Secunda fames prodigioſa, & horribilis §. 7. Tertia internecio tanta, vt vndecies centena millia Iudæorum fame, & gladio perierint §. 8. Quarta vaſtatio Ciuitatis Ieroſolymitanæ §. 9. Quinta excæcatio cum ſurditate, ſeu ſurditas cum excæcatione. §. 10. Has quinque pœnas prænunciauit Chriſtus Iudæis Luc. cap. 19. §. 11. illas etiam pœnas prædixit Moyſes in Deuteron. cap. 18. §. eodem 11.

PONTIVS Pilatus ſcripſit ad Tiberium Imperatorem epiſtolam de Chriſto, quem Iudæi accuſauerunt, & ipſe

eis flagellatum tradiderat vt crucifigeretur. s. 3. c. 2. §. 15.

Primogenitvs quis dicatur. s. 3. c. 1. §. 16. & 18.

Prodigia facta circa Natiuitatem Chriſti. s. 5. c. 3. §. 4. 5. 6. 7. 8. 9.

Prophetiæ multæ de Chriſto Meſſia. s. 3. c. 1. §. 5. Prophetia non finiuit in Ioanne Baptiſta, ſed remanſit in nouo teſtamento, & adhuc perſeuerat in Eccleſia. s. 7. c. 2. §. 1. & 16. Prophetiæ donum continetur ſub dono ſcientiæ ſupernaturalis, quæ in Chriſto duplex fuit, ſcilicet beata, & infuſa. s. 7. c. 2. §. 25. Prophetiæ quomodo dicantur ab Apoſtolo euacuari. §. 1. & 27.

Prophetam eſſe Chriſtum qui negent, qui affirmēt s. 7. c. 2. §. 2. Prophetæ nomen ſumitur quinque modis. Primo pro Poeta. Secundo pro Pſalte, ſeu Cantore. Tertio pro Scriptore libri alicuius ſacri. Quarto pro interprete Scripturæ, ſeu Concionatore. Quinto pro eo, qui prædicit futura §. 3. Chriſtus fuit verè Propheta, ex Scriptura. §. 4. 5. 6. Ex Patribus. §. 7. Rationibus §. 8. 9. 10. & ſequentib. & §. 22. Nominis Prophetæ Etymologia. s. 7. c. 2. §. 8. 9. 10. Propheta videt res futuras, vt Iſaias: res abſentes, vt Eliſeus: & ſecreta cordium, vt Samuel §. 9. 10. 11. Beati non ſunt Prophetæ: quia non ſunt Viatores §. 12. Chriſtus videbat res abſentes futuras, & ſecreta cordium. §. 13. Prophetæ pollicebantur bona, & minabantur mala ſicut & Chriſtus. §. 17. Prophetarum quinque officia. §. 18.

Psalmvs Secundus totus eſt in explicanda Vnione Hypoſtatica Verbi Diuini cum natura humana in myſterio Incarnationis. s. 3. c. 1. §. 13.

Q

QVADRIGÆ igneæ, quibus tranſlatus eſt S. Elias Propheta erant Angeli in igneis corporibus apparentes. s. 4. c. 4. §. 16.

QVADRVPLICITER Iudæi errant circa Meſſiam. s. 8. c. 5. §. 5.

QVOMODO Iob proprijs oculis viderit Deum in carne humana exiſtentem. s. 3. c. 2. §. 2.

R

REGNVM temporale quinque titulis acquiritur s. 7. c. 4. §. 20. Regnum ſpirituale etiam quinque titulis acquiſiuit Chriſtus §. 35. In Regno Chriſti nulla eſt ambitio, nec honoris appetitus. § 17. Regnum Chriſti non eſt de hoc mundo §. 18. & 19. Regnum Iſrael finitum eſt in Iechonia §. 26. Chriſtus non potuit iure hæreditario Regnum Iſrael obtinere etiam ſi deſcendiſſet ex tribu Iuda, & eſſet de domo, & familia Dauid §. 29. 30. Regnum Dauid perſeuerauit vſque ad Chriſtum, non per Reges, ſed per Duces ac Iudices populi Iudaïci. §. 31. Regnum Dauid mutatum fuit in aliud multò melius, & excellentius, nempe ſpirituale, ibid.

REGVLA S. Gregorij ad cognoſcendum quænam Deo ſint poſſibilia. s. 2. c. 1. §. 8. 9. 10.

REX fuit Chriſtus: tamen quidam negarunt eum fuiſſe Regem. s. 7. c. 4. §. 1. Alij affirmarunt eſſe Regem temporalem, ſeu politicum totius mundi §. 2. Alij dixerunt Chriſtum eſſe Regem temporalem Iudæorũ, idque iure hæreditario §. 3. Multi negauerunt Chriſtum fuiſſe Regem temporalem, ſeu politicum: & affir-

mauerunt fuiſſe Regem ſpiritualem totius mundi §. 4. Chriſtus fuit Rex totius mundi, & vniuerſa fuerunt ei ſubiecta §. 9. 10. 11. Chriſtus non fuit Rex temporalis aut politicus totius mundi. §. 17. 18. 19. & ſequentib. Chriſtus non fuit Rex Iudæorum, nec ad eum pertinuit Regnum Iſrael ex eo, quod eſſet de domo, & familia Dauid §. 26. 27. 28. 29. Chriſtus fuit Rex ſpiritualis totius mundi. §. 33. 34. & ſeq. Chriſtus nullo titulo fuit Rex temporalis §. 20. Abſurda, quæ ſecuta fuiſſent, ſi Chriſtus fuiſſet Rex tẽporalis §. 21. Chriſtus nullũ exercuit actum Regis temporalis. §. 22. Ex varijs locis Scripturæ probatur Chriſtum eſſe Regem ſpiritualem totius mũdi. §. 33. 34. Munera Regis ſpiritualis ſunt ſex §. 36. Chriſtus fuit ſũmus Rex, & ſummus Sacerdos. §. 38.

S

SABBATVM quomodo obſeruandum. s. 3. c. 1. §. 18. & s. 8. c. 6. §. 8.

SACERDOTES quales fuerint in qualibet lege. s. 7. c. 3. §. 8. Quinam Hæretici dixerint Chriſtum fuiſſe Sacerdotem ſecundum naturam Diuinam §. 1. 2. 3. 4. Chriſtus fuit propriè, & verè Sacerdos. §. 9. electus à Deo, habuitque poteſtatem ſacrificandi. §. 12. 13. Sacerdos tribus de cauſis eſt mediator inter Deum, & Populum. §. 15. Chriſtus fuit mediator inter Deum, & homines. §. 15. & 16. Chriſtus Sacerdos non fuit cauſa phyſica, ſed moralis ſuæ internecionis. §. 17. Martyres, quamuis ſe offerant morti non ſunt Sacerdotes, quia non ſunt tales electi à Deo. §. 18. Chriſtus non eſt Sacerdos ſecundum naturam Diuinam. §. 21. nec ſecundum vtramque naturam ſcilicet Diuinam, & humanam §. 23. ſed fuit Sacerdos ſecundum naturam humanam

ſolam §. 24. Deus, & Sacerdos remittunt peccata, ſed diuerſo modo §. 35. Chriſtus non fuit Sacerdos templi Ieroſolymitani ex ordine Leuitico §. 40. Chriſtus nunquam exercuit officium Sacerdotis, aut Lectoris in templo Salomonis §. 49. Cuilibet viro docto permittebatur legere in templo Salomonis §. 49. Nullus poterat eligi in Sacerdotem niſi eſſet de tribu Leui ſecundum lineam paternam §. 42. Oſias Rex ortus de tribu Iuda ſecundum lineam paternam, & ex tribu Leui ſecundum lineam maternam vſurpans officium Sacerdotis percuſſus eſt lepra in medio Sacerdotum §. 43. Chriſtus fuit Sacerdos legis nouæ §. 50. & 51. Chriſtus eſt Sacerdos æternus §. 54. 55. 56. Chriſtus eſt Sacerdos æternus cum iuramento factus, & quando §. 57. 58. Chriſtus Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech. & quare 60. 61. 62. 63. Quis fuerit Melchiſedech. §. 64. 65. & ſequentib.

SACERDOTIVM Chriſti fuit eiuſdem ſpeciei cum noſtro. s. 7. c. 3. §. 52. Sacerdotium Chriſti fuit diuerſum à noſtro accidentaliter: idque tripliciter §. 53. Fabula de Sacerdotio Chriſti apud Suidam §. 44. & 45.

SACRIFICIVM Chriſti duplicem habuit effectum. s. 7. c. 3. §. 20. Sacrificium obtulit Chriſtus cruentum in Cruce, incruentum in vltima cœna. s. 6. c. 2. §. 6. & s. 7. c. 3. §. 10.

SCEPTRVM Iuda quando defecerit. s. 5. c. 2. §. 2.

SCRIPTVRA ordinariè vocat res, vt exterius apparent. s. 4. c. 5. §. 22. ſcripturæ ſenſus, quatuor ſunt ſcilicet literalis, moralis, allegoricus, & anagogicus. s. 8. c. 5. §. 5. In ſcriptura reperiuntur frequentes metaphoræ. §. 6.

SIBYLLÆ prædixerunt Matrem Chriſti vocandam nomine Mariam, cui Angelus Gabriel annunciaturus

erat

erat eius Incarnationem. s. 3. c. 2. §. 3. tunc B. Virgo cognouit nihil eſſe impoſſibile apud Deum. ibid. §. 4. deſcribunt ſtellam fulgentem, quæ tempore natiuitatis Chriſti apparuit. §. 4. Deſcribunt etiam locum natiuitatis eius Bethleem, ſtabulum, præſepe, ſtellam, Magos adorantes infantem. §. 5. tanquam penicillo viuis depingunt coloribus Diuinitatem in Humanitate exiſtentem §. 6. Ænigmaticè explicant nomen Ἰησοῦς, eiuſque literarum tam vocalium, quam conſonantium valorem §. 7. Prædixerunt etiam poſt ſolutum Triumuiratum, & imperante Auguſto Chriſtum naſciturum. s. 5. c. 3. §. 3. Sibylla Tyburtina, ſeu quædam alia mulier fatidica ex Tybure eggreſſa oſtendit Auguſto Imperatori circa ſolem in meridie exiſtentem, circulum aureum, in cuius medio erat virgo puerum geſtans in gremio. s. 5. c. 3. §. 5. Enumerarunt præterea Sibyllæ tria munera trium Magorum Chriſtum infantem adorantium. s. 3. c. 2. §. 8. Vaticinatæ ſunt etiam miracula à Chriſto facta. Verbi gratia, multiplicationem quinque panum, & duorum piſcium, quibus Chriſtus ſatiauit quinque millia hominum. ibid. §. 13. Viſum cœcis, auditum ſurdis redditum, mortuorum reſurrectionem, & alia, quæ fuerunt ab Iſaia prædicta, cap. 35. & à Chriſto enuntiata Matth. cap. 11. prædixerunt. ibid. §. 14. Sicut & Chriſti Paſſionem. s. 8. c. 5. §. 10. maximè vero Chriſtum ſpinis coronandum, in cruce extendendum, latus eius lancea vulnerandum, & horribiles tenebras ipſo in crucem eleuato futuras per vniuerſam terram. ibidem. Sibylla Erithræa fecit carmen Achroſticum de ſecundo Chriſti aduentu, ſeu de vltimo Iudicio. s. 3. c. 2. §. 9. & s. 8. c. 5. §. 10. 11. 12. 13.

SIMILIA ad explicandum Incarnationis myſterium apta. s. 2. c. 5. §. 2. Aliæ ſimilitudines ad explicandum

contra Gentiles quomodo Deus non ſit ſordidatus in carne. s. 3. c. 2. § 23.

Soles tres apparuerunt in Hiſpania circa natiuitatem Chriſti. s. 4. c. 2. §. 2. & s. 5. c. 3. §. 8.

Spiritus Sanctus in nouo teſtamento ſub quadruplici ſpecie viſus eſt: ſcilicet columbæ, nubis, flatus, & ignis. s. 4. c. 5. §. 8. Hæ quatuor apparitiones Spiritus Sancti figuratæ fuerunt in veteri teſtamento. §. 9. Spiritus Sanctus non fuit datus viſibiliter niſi poſt Chriſti glorificationem. §. 10. Spiritus Sancti miſſio viſibilis indicat redundantiam gratiæ in eo, ad quem mittitur: ideo Spiritus Sanctus viſibiliter miſſus fuit ad Chriſtum, & ad Apoſtolos §. 11. Vide *Chriſtus*, & *Apoſtoli.*

Stella quatuor in Scriptura habet ſignificationes. s. 4. c. 5. §. 7. Stella, quæ apparuit Magis non fuit Spiritus Sanctus. §. 8. Nec Angelus. §. 12. Nec vna de cœleſtibus ſiue fixis, ſiue erraticis. §. 14. nec ſtella fatalis natiuitatis Chriſti. §. 17. nec cometa. §. 21. ſed fuit meteorum nouum, & inſolitum Diuina virtute ex materia ſublunari, ſcilicet ex exhalatione generatum, & eximiæ lucis ſplendore circunfuſum. §. 22. Stellæ huius lumen non fuit maius lumine Solis. §. 24.

T

Templum Pacis à Romanis credebatur æternum. s. 2. c. 1. §. 1. Templum materiale, & ſpirituale. §. 3. c. 1. §. 26. & s. 8. c. 5. §. 38.

Tria ſunt difficilia, & quartum penitus ignoratur. s. 1. c. 1. §. 2.

Triumviratus in perniciem Reip. Romanæ ab Octauio, Antonio, & Lepido inſtitutus, quo finito ſta-

tim Chriſtum naſciturum prædixerunt Sibyllæ. s. 5. c. 3. §. 1. 2. 3.

THEANDRICÆ operationes Chriſti, quas ita vocat S. Dionyſius, quænam ſint. s. 7. c. 3. §. 38.

TRIBVTVM quare Chriſtus ſoluerit pro ſe & pro B. Petro. s. 7. c. 4. §. 12. Vnde orta ſit illa impoſitio Tributi. §. 12. Simile legitur Tributum impoſitum in lib. numeror. cap. 3. § 12. Chriſtus ſoluit tributum terreno Imperatori non ex obligatione legis, ſed liberè, & ſponte ſua. §. 13. Chriſtus præclaro Syllogiſmo probat ſe eſſe liberum à tributo ſoluendo, §. 15. Apoſtoli etiam erant liberi à Tributo. §. 16.

V

VERBVM in Scriptura duobus modis vſurpatur: Primo pro omni re, omni facto, omni euentu: Secundo pro Chriſto æterni Dei æterno filio. s. 4. c. 1. §. 2.

VNCTIO, vnctus, vngens, oleum vide *Chriſtus*.

VXOR Pilati miſit ad eum, dum eſſet in Prætorio, ne ſe immiſceret cauſæ Chriſti. s. 8. c. 4. §. 6.

X

XENODOCHIVM Romanum, in quo milites emeriti ſenes ſumptibus Reip. alebantur, quid portenderit, quando circa natiuitatem Chriſti, ex eo fons olei per diem integrum fluxit vſque ad Tiberim. s. 4. c. 2. §. 2. & s. 5. c. 3. §. 7.

Y

YIOΣ θεοῦ, ideſt Filius Dei: ita vocatur Chriſtus à Sibylla Erythræa. s. 3. c. 2. §. 9. & s. 8. c. 5. §. 10.

Z

ZElvs S. Eliæ pro Domino Deo exercituum quo meruit audire in ſpelunca Oreb ſibilum auræ tenuis 3. Reg. cap. 19. quo adumbrabatur Spiritus Sanctus in flatu à Chriſto dandus Ioan. cap. 20. s. 4. c. 5. §. 9. & lib. 1. Machab. cap. 2. *Elias dum Zelat zelum legis receptus eſt in cælum.* s. 4. c. 4. §. 16.

CATALOGVS

CHRONOGRAPHICVS AVTHORVM, QVI CITANTVR IN HOC OPVSCVLO.

Iuxta ſupputationem Eccleſiaſticam, quæ eſt Septuaginta duorum Interpretum, ex qua habetur in Martyrologio Romano, die 25. Decembris, natiuitatem Chriſti contigiſſe anno à mundi exordio 5199.

A

1. ABBEN EZRA natione Hiſpanus fuit Rabbinus magnæ authoritatis apud Iudæos: vocabatur Abraham Ben Ezra, ideſt filius Ezræ. Ipſemet in præfatione Decalogi fatetur ſe totum vetus teſtamentum commentarijs illuſtrauiſſe. Et commentans vltimum caput Malachiæ ait ſe ſcripſiſſe expoſitionem Malachiæ, cum eſſet Rhodi Anno mundi 4917. qui iuxta eius ſupputationem erat annus Chriſti 1237. diu floruit. *Genebr. in Chronolog. lib. 4. in Cœleſtino IV. ad annum* 1241.

2. ADO Archiepiſcopus Viennenſis fecit breue Chronicon in ſex ætates diuiſum. Extat etiam Martyrologium, quod Card. Baronius attribuit modo Adoni Treuirenſi, vt in præfatione Martyrologij

Romani cap. 9. modo Adoni Viennenſi, vt in Annalibus tom. 10. ad annum 878. *Card. Bellarm. de Scriptor. Eccl. anno 879*

ÆLIVS LAMPRIDIVS à Card. Baronio ad annum 304. & à Genebrardo in Marcello I. circa annum 307. numeratur inter nobiliſſimos Hiſtoriographos, & ſcripſit de Imperatoribus Romanis vſque ad Conſtantinum. *Volaterran. Antropolog. lib. 16. col. 497.* 3.

ALEXANDER de ALES Anglus Ordinis Minorum fuit Præceptor S. Bonauenturæ: Scripſit Summam Theologicam in quatuor partes diuiſam: & multa alia. Floruit ſub Innocentio IV. mortuus eſt anno 1245. *Petr. Rodulph. Thoſſinian. in Hiſtor. Seraph.* 4.

ALOYSIVS LIPPOMANVS patria Venetus, & Epiſcopus Veronæ, fuit vnus ex Patribus, qui interfuerunt Concilio Tridentino. Scripſit in Geneſim, Exodum, Pſalmos, & Vitas Sanctorum. Eum inter fidei Catholicæ propugnatores enumerat: & miſſum à Summo Pontifice in Poloniam ad Sigiſmundum Regem contra Hæreticos refert *Genebrardus lib. 4. Chronog. in Paulo III. anno 1548. & in Paulo IV. anno 1556.* 5.

ALPHONSVS TOSTATVS Hiſpanus, Epiſcopus Abulenſis vixit quadraginta annos, & tam multa ſcripſit in varios Scripturæ libros, & tam breui tempore, vt de eo dicatur *Hic ſtupor eſt mundi, qui ſcibile diſcutit omne.* Vixit ſub Martino V. anno 1428. inter ſummos 6.

Theologos relatus à Spondano *in Auctuario anno citato.*

7. S. AMBROSIVS Archiepiſcopus Mediolanenſis, & Doctor Eccleſiæ multa ſcripſit, quæ quinque tomis comprehenduntur: vixit ſexaginta quatuor annos, & ſub Siricio Papa mortuus eſt in ipſa vigilia Paſchæ anno 397. *Card. Baron. in Annalib.*

8. AMELIVS Philoſophus fuit ſecta Platonicus, Diſcipulus Plotini, & Præceptor Porphirij: qui dicebat verba S. Ioannis *Verbum caro factum eſt* aureis literis in omnibus templis eſſe exaranda. Viuebat anno 215. tempore S. Zepherini Papæ: *Vignerius in Bibliothec. Hiſtoric.*

9. AMOS prophetauit circa annum mundi 4388. ante Chriſtum 811. prædixit captiuitatem Aſſiriacam, & Babilonicam, Regnumque Dauid reſtaurandum per Chriſtum. Dum objurgat Idolatras plagis afficitur ab Amaſia vitulorum Sacerdote. Tandem ab Oſee eius filio fuſte inter tempora percuſſus occiditur. *Martyrologium Rom. die 31. Martij.*

10. S. ANSELMVS patria Auguſtanus in finibus Burgundiæ Italiam verſus, Monachus S. Benedicti, primum Abbas Beccenſis in Normannia, deinde Archiepiſcopus Cantuarienſis in Anglia conſecratur. Fugiens autem perſecutionem Regis humaniſſimè excipitur ab Vrbano II. Pontifice Maximo: & in Concilio Barenſi Græcorum errores circa proceſſionem Spiritus Sancti ſubtiliſſimè confutauit. Multi ſub eius nomine circunferuntur libri: quorum qui-

dam ipſius ſunt, quidam alijs tribuuntur: vtroſque recenſet Card. Bellarminus in lib. de Script. Eccleſ. 1081. Obijt anno 1109. ſub Paſchale II. *Card. Baron. ad annos Christi 1093. 1095. 1097. 1109.*

S. Antoninvs Ordinis Prædicatorum, & Archiepiſcopus Florentinus ſcripſit Summam Hiſtorialem in tres partes, & Summam Theologicam in quatuor partes diuiſam, vir doctus, & ſanctus. Mortuus eſt 70. ætatis ſuæ anno ſub Pio II. anno 1459. *Trithem. de Script. Eccleſ.* 11.

Antonivs Fernandivs Societatis Ieſu, natione Hiſpanus, patria Conimbricenſis, vir in Diuinis Scripturis doctiſſimus: inter alia fecit commentaria in viſiones veteris teſtamenti: quod opus exiſtente Paulo V. typis mandatum fuit Lugduni anno 1617. *apud Horatium Cardon.* 12.

Apollinaris Hæreticus patria Leodienſis fuit melior Poëta, quam Theologus: docuit Verbum Diuinum aſſumpſiſſe carnem ſine anima: & Diuinitatem fuiſſe loco animæ rationalis in myſterio Incarnationis. Damnatus fuit in Synodo Romana ſub Damaſo Papa anno 373. *Baron. in Annalib.* 13.

Apollo dicitur Delphicus, & Mileſius à Delphis, & Mileto, vbi reddebat oracula, dum viuebat. Inuenit Citharam, Poëſim, Medicinam, Artem Pythonicam: poſt mortem Deus habitus eſt. Anno mundi 3544. ante Chriſtum 1655. *Ambr. Calepin. verb. Apollo.* 14.

Aqvila

15. Aqvila Ponticvs Sinope in Ponto natus primùm fuit Gentilis, deinde Chriſtianus, demum Iudæus: expulſus enim ab Eccleſia, eo quod ab Aſtrologiæ Iudiciariæ vſu ceſſare noluiſſet: talem repulſam indignè ferens ad Iudæos ſe contulit, & circunciſus eſt. Tunc Bibliam Sacram ex Hebræo vertit in Græcum eo fine, vt ſeptuaginta interpretum verſionem pluribus in locis adulterans Prophetarum teſtimonia, quæ de Chriſto ſunt, aliter ederet. *Genebr. in Teleſphoro. ad an. Chriſti* 139. *Card. Bellarm. lib.* 1. *de Verb. Dei cap.* 5. *Card. Baron. ad annum Chriſti* 137.

16. Aristoteles vt refert Diogenes Laertius lib. 5. de vitis Philoſophorum initio, ex Oppido Stagira in finibus Macedoniæ ortus, fuit Princeps Philoſophorum. Anno ætatis ſuæ 18. cepit audire Platonem: poſtea fuit Præceptor Alexandri Magni. Multa ſcripſit, quibus ſubtilitatem ingenij ſui pene diuini demonſtrauit, circa annum mundi 4834. ante Chriſtum 365. *Faſciculus temporum.*

17. Arivs Presbyter Eccleſiæ Alexandrinæ fuit Hæreticus ille qui docuit in Diuinis filium eſſe creaturam: ideoque Patri nec conſubſtantialem, nec coæternum: verum damnatus fuit in Concilio Generali 318. Epiſcoporum Niceæ in Bithinia celebrato ſub Siluestro Papa anno 325. *Card. Baron. in Annalib.*

18. S. Athanasivs cognomento Magnus Alexandriæ Epiſcopus, & flagellum Arianorum: cuius opera quatuor tomis continentur. Scripſit præterea cum eſſet Romæ Symbolum: *Quicumque vult ſaluus*

eſſe, &c. ſub Iulio I. Anno 340. *Card. Baronius in Annalib.*

S. AVGVSTINVS Epiſcopus Hypponenſis, & Doctor Eccleſiæ docuit Rhetoricam primum Romæ: deinde Mediolani: vbi à S. Ambroſio accepit rudimenta fidei. Multa ſcripſit, quibus Manichæos viriliter impugnauit, vſque ad diem ſui obitus, qui contigit ſub Cæleſtino I. Anno 430. *Card. Baronius in Annalib.* 19.

AVGVSTINVS STEVCVS Eugubinus primum Canonicus Regularis S. Saluatoris: deinde Epiſcopus Kiſamus, & Bibliothecarius Apoſtolicus ſub Paulo III. ſcripſit libros de perenni Philoſophia, Coſmopeiam &c. Viuebat iam ſub Iulio II. Anno 1510. *Genebrar. lib.* 4. *Chronog.* 20.

B

BAPTISTA MANTVANVS Ordinis Carmelitarum Prior Generalis natus eſt anno 1448. vocatur à Card. Baronio in Martyrol. die 20. Iulij & & 13. Decembris Poëta doctus: à Cardinale Bellarmino de Script. Eccl. Poëta doctus, & Pius. Eius opera ſunt in quatuor tomos diſtributa: quorum tribus prioribus pluſquam quinquaginta quinque Carminum Heroïcorum millia continentur: quartus autem proſaicus eſt. Obijt Mantuæ in feſto Cœnæ Domini. Anno 1516. *Petr. Lucius in Carmelitana Bibliothec. liter.* B. 21.

BARTHOLOMEVS de MEDINA Ordinis Prædi- 22.

catorum Doctor inſignis ſcripſit in S. Thomam, pręcipuè in primam Secundæ, & in tertiam partem de Incarnatione. Floruit eodem tempore, quo Dominicus Bañes circa annum 1584. ſub Gregorio XIII. Eius libri citantur à Theologis magni nominis *Molina, Vazquez, & alijs multis.*

23. BARVCH poſt mortem Ieremiæ, cuius Scriba fuit, præter ea, quæ Ieremia dictante ſcripſerat, fecit librum in ſex capita diuiſum, cuius ſextum caput continet epiſtolam hortatoriam Ieremiæ ad populum in Babiloniam deportandum, ita Cornelius à Lapide in cap. 36. Ierem. verſ. 3. & 4. Vixit autem Baruch. circa annum mundi 4600. ante Chriſtum 599. *Faſciculus temporum.*

24. S. BASILIVS Magnus ex Ponto oriundus, poſtquam redijt Athenis omni ſcientiarum genere feliciſſimè inſtructus, factus fuit Epiſcopus Cæſareæ in Cappadocia. Quæ ſcripſit præclariſſima ſunt, in quatuor tomos diuiſa. Floruit ſub Damaſo Papa: & obijt Anno 378. *Card. Baron. in Annalib.*

25. BEDA Anglus natione fuit Monachus Ordinis S. Benedicti: vixit centum, & quinque annos: nunquam eggreſſus eſt ex Anglia. Dum adhuc viueret vocatus fuit venerabilis. Multa ſcripſit: eius opera octo tomis comprehenduntur. Obijt ſub Gregorio III. Anno 731. *Card. Baron. in Annalib.*

26. BENEDICTVS PERERIVS Natione Hiſpanus, patria Valentinus è Societate Ieſu ſcripſit doctiſſima commentaria in Scripturam; quatuor tomos in

Geneſim : duos in Exod. vnum in Danielem : in Ioannem : in Epiſtolam ad Romanos : in Apocalypſim. Floruit ſub Clemente VIII. Obijt die 3. Martij Anno 1610. *Catalog. Societ. Ieſu.*

S. BERNARDVS Ordinis Ciſtercienſis, primus, Abbas Clareuallenſis, & Doctor Eccleſiæ mellifluus : multos ſcripſit libros, plures epiſtolas, plurimos ſermones. Claruit tẽpore Eugenij III. Obijt anno 1158 ætatis ſuæ 63. *Ptolom. Lucenſis in Annalib. anno* 1111. 27.

BLASIVS VIEGAS natione Hiſpanus, patria Eborenſis, è Societate Ieſu ſcripſit præclariſſima commentaria in Apocalypſim, in Prophetas minores, in Ezechielem, & in epiſtolam ad Hebræos. Vixit ſub Clemente VIII. Obijt ſub eodem, anno 1599. *Catal. Soc. Ieſu.* 28.

S. BONAVENTVRA Ordinis Minorum natus eſt Balneoregij in Hetruria. Fuit ſocius S. Thomæ Aquinatis in vita, & in morte. Factus à Gregorio X. Epiſcopus Albanenſis, & S. R. E. Cardinalis. Multa ſcripſit, quæ in octo tomos ſunt diſtributa. Fuerat ante ſui Ordinis Generalis : vocatus Doctor Seraphicus. Obijt anno 1274. ætatis ſuæ 53. eodem ſcilicet anno, quo S. Thomas etiam quinquagenarius : ſed hic in Monaſterio Foſſæ Nouæ menſe Martio : ille in Concilio Lugdunenſi menſe Iulio. *Trith. de Scriptorib. Eccleſ.* 29.

BREVIARIVM Carmelitarum ita dicitur : quia eo Fratres Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo à multis ſæculis vtuntur, iuxta ritum Eccleſiæ Ieroſoly- 30.

mitanæ. Quod quia temporis diuturnitate valde immutatum fuerat: ideo decreto Capituli Generalis ad normam Breuiarij Romani emendatum, in priſtinum ſtatum, quantum fieri potuit, reſtitutum eſt, & à Sede Apoſtolica approbatum: vt patet ex Bulla Gregorij Papæ XIII. quæ ipſi Breuiario præfigitur, data Romæ apud S. Marcum ſub annulo Piſcatoris die 4. Auguſti 1584.

C

31. CÆSAR BARONIVS Soræ in Campania natus, ex Presbytero Congregationis Oratorij factus fuit S. R. E. Card. & Bibliothecarius Apoſtolicus. Scripſit Annalium Eccleſiaſticorũ tomos duodecim, ſcilicet ab Aduentu Chriſti, vſque ad ann. 1200. & Annotationes in Martyrologium Romanum. Floruit ſub Clemente VIII. Obijt die 30. Iunij anno 1607. *Spondan. in eius vita præfixa ſuæ Epitome.*

32. C. CÆLIVS SEDVLIVS fuit Presbyter Scotus: ſcripſit proſa explicationem in omnes Pauli Epiſtolas ex Origene, S. Ambroſio, S. Hieronymo, & S. Auguſtino excerptam: metro etiam ſcripſit quinque libros de quinque mirabilibus operibus Dei, & Hymnum *A Solis ortus cardine.* Vixit ſub Cæleſtino I. circa annum 430. *Trith. de Script. Eccleſ.*

33. C. PLINIVS Veronæ in Italia natus ſcripſit magnum volumen in 37. libros diuiſum de Hiſtoria naturali, quod dedicauit Veſpaſiano Imperatori. Mortuus eſt in Montis Veſuuij incendio, dum eius cauſam indagare cupit, ætatis ſuæ anno 55. *Plinius*

Iunior lib. 6. epiſt. 16.

Salomon.

CANTICA CANTICORVM. Vide Prouerbiorum liber. 34.

CERDON fuit Hæreſiarcha, à quo Cerdonitæ: poſuit duos Deos, bonum vnum, malum alterum: negauit reſurrectionem corporis, admiſit reſurrectionem animæ: reijciebat quatuor Euangelia: admittebat tantùm vnam partem Euangelij Lucæ. Vixit tempore Teleſphori Papæ anno 146. *Guid. Carmelit. tit. de hæreſib. ſecundum Aug. & Iſid. cap.* 19. 35.

CHERINTVS fuit Hæreſiarcha: docuit Chriſtum eſſe purum hominem ex Ioſeph, & Maria natum: contra quem S. Ioannes compoſuit ſuum Euangelium. Vixit tempore Apoſtolorum circa annum Chriſti 40. *Guid. Carmelit. loco citat. cap.* 8. 36.

CICERO prænomine M. Tullius Arpinas in Italia, ex Genebrardo lib. 2. Chronol. natus eſt anno ab Vrb. cond. 644. Q. Cæpione, & C. Serrano Coſſ. Vixit autẽ ex Plutarcho 64. annos intra quod tempus libros Rhetoricorum, Orationes, Epiſtolas, & tractatus morales compoſuit: vnde patet Ciceronem mortuum eſſe anno ab Vrb. Cond. 708. ſeu annis 44. ante Chriſtum, cuius natiuitas ex Martyrolog. Romano, die 25. Decembris contigit anno ab Vrb. Cond. 752. *Plutarchus.* 37.

CLEMENS Alexandrinus Athenienſis in Græcia, 38.
Præceptor Origenis, factus fuit Presbyter Eccleſiæ Alexandrinæ. Scripſit libros octo Stromaton, tres

Pedagogiæ, & vnum aduerſus Gentes. Floruit ſub Zepherino Papa 206. *Euſeb. in Chr.*

39. CONIMBRICENSES ſunt Patres Societatis Ieſu, qui Conimbricæ in Hiſpania Philoſophiam profeſſi ex manuſcriptis, quæ in Gymnaſio dictauerant, fecerunt commentarios cum quæſtionibus in Ariſtotelis Logicam, & Phyſicam: vt patet ex facultate typis mandandi huiuſmodi commentarios in libros octo Phyſicorum datam à R. Patre Petro Fonſeca, Olyſiponæ 10. Calend. Decembris anno 1591.

40. CORNELIVS à LAPIDE Societatis Ieſu in Belgio natus ſcripſit in Pentateucum, Prophetas majores, & minores, Acta Apoſtolorum, Epiſtolas Pauli, & Apocalypſim. *Athenæ Belgicæ Sueertij.*

41. CORNELIVS IANSENIVS Epiſcopus Gandauenſis ſcripſit in Pſalmos, Prouerbia, Sapientiam, Eccleſiaſticum maximè verò concordiam Euangelicam. Claruit ſub Pio Papa V. anno 1567. eum inter Epiſcopos doctos numerat. *Genebr. lib. 4. Chro. ad an. 1566.*

42. S. CYPRIANVS ex Affrica oriundus Carthaginenſium Epiſcopus factus fuit tempore Fabiani Papæ: tandem Martyr Dei euaſit. Docuit glorioſè Rhetoricam, fuitque elegantiſſimus Scriptor. Catalogum eius operum habet. *Card. Bellarmin. lib. de Script. Eccl. anno* 250.

43 S. CYRILLVS, ex Monte Carmelo aſſumptus, & Presbyter Eccleſiæ Alexandrinæ ordinatus ſucceſſit Theophilo Auunculo ſuo in Epiſcopatu Ale-

xandrino. Primus omnium Philoſophiam Ariſtotelis permiſcuit Scripturis Sanctis. Scripſit multa opera, quæ duobus tomis comprehenduntur. Claruit ſub Cæleſtino I. cuius Legatus exiſtens præfuit Concilio Epheſino contra Neſtorium. Ita Trithem. in vtroque opere, ſcilicet, de Viris Illuſtrib. Ordin. Carm. & de Script. Eccleſ. Obijt anno 444. die 9. 44.
Iunij, vt habent Græci in ſuo Menologio: eius tamen feſtum tanquam ſui Ordinis alumni celebrant PP. Carmelitæ, die 28. Ianuarij. *Breuiarium Carmelitarum.*

S. CYRILLVS patria Conſtantinopolitanus, & tertius ex Latinis Prior Generalis Ordinis Carmelitarũ ſcripſit Epiſtolas ad diuerſos: & apparitiones ſibi à Deo factas: quas miſit ad Abbatem Ioachim, tan- 45.
quam ad virum doctum. Ita Trithem. De Viris Illuſtrib. Ord. Carmelit. & Genebrard. lib. 4. Chronog. in Innocentio III. ad annum 1216. Moritur in terra ſancta miraculis clarus. Eius feſtum celebratur à PP. Carmelitis die 6. Martij. *Breuiarium Carmelitarum.*

S. CYRILLVS Patriarcha Ieroſolymitanus XLIII. 46.
in adoleſcentia ſua compoſuit Catecheſes: moritur anno octauo Theodoſij Imperatoris, qui fuit Siricij Papæ ſecundus, & Chriſti 386. *S. Hieronym. de Script. Eccleſ. cap.* 122.

D

DANIEL Adoleſcẽs nobilis de Tribu Iuda ductus fuit cum Rege, & Ioachim cognato ſuo in capti-

captiuitatem Babilonicam: vbi plenus ſpiritu prophetiæ, & ſapientiæ gratus fuit Principibus, etiam Idolatris: apud quos multa vaticinatus eſt de Chriſto, de excidio Ieroſolymitano, de Antichriſto, & de extremo iudicio. Clarus fuit, ſanctus, & electus circa annum mundi 4659. ante Chriſtum 540. cuius etiam opera Deus glorioſis miraculis comprobauit. *Faſciculus temporum.*

47. DESIDERIVS ERASMVS Canonicus apud Roterodamum, Græcis, Latiniſque literis valde eruditus: ſcripſit libros, qui prohibiti ſunt, ſcilicet Colloquia, de Chriſtiani matrimonij inſtitutione, de Interdicto eſu carnium, & alios ſcurrilitatis plenos. Adagia vero per Paulum Manutium purgata permittuntur. Obijt ſeptuagenarius anno 1536. *Genebrar. lib. 4. Chronog. in Iulio II. ad annum* 1510.

48. DEVTERONOMIVM. Vide Geneſis liber. Moyſes.

49. DIDACVS STELLA ortus ex Luſitania fuit Religioſus Ordinis Minorum compoſuit volumen magnum in Euangelium S. Lucæ, & quædam alia. Floruit ſub Gregorio XIII. *Card. Bellarm. in Indice Explanatorum Sacr. Script.*

50. S. DIONYSIVS Areopagita ad Chriſti fidem per Apoſtolum Paulum conuerſus venit Romam: & à S. Clemente Papa miſſus in Galliam Pariſienſem rexit Eccleſiam, Gallos ad Chriſti fidem deduxit: notauit Solis ecclypſim, quæ contigit Chriſto patiente. Scripſit de vtraque Hierarchia: de myſtica Theologia: de Diuinis nominibus, & quaſdam epiſtolas.

Anno 110. ætatis ſuæ martyrio coronatus eſt: Chriſti vero anno 109. *Card. Baron. in Annalib.*

DOMINICVS BAÑES Ordinis Prædicatorum, natione Hiſpanus, patria Mondragonenſis per triginta & amplius annos Theologiam docuit in diuerſis Hiſpaniæ Academijs. Tandem factus Primarius Profeſſor in Academia Salmaticenſi prælo tradidit ſua Commentaria in primam partem S. Thomæ, & in Secundam Secundæ eiuſdem. *Ipſemet in præfat. ante Prologum prim. partis S. Thom.* 51.

DOMINICVS SOTO Ordinis Prædicatorum patria Segobienſis in Hiſpania, fuit Caroli V. Imperatoris Confeſſarius, & Profeſſor publicus Theologiæ in Academia Salmaticenſi. Scripſit in Logicam, & Phyſicam Ariſtotelis, & in librum quartum Magiſtri Sententiarum: de Iuſtitia, & iure, & in Epiſtolam ad Roman. Florebat ſub Iulio III. Obijt an. 1560. *Sixtus Senenſ. lib. 4. Bibliotheca.* 52.

DVRANDVS à S. Portiano Ordinis Prædicatorum, natione Gallus fuit Epiſcopus Anicienſis, & ſcripſit in libros quatuor Sententiarum: viuebat ſub Ioanne XXII. anno 1318. *Spondan in Auctuar.* 53.

E

Salomon. ECCLESIASTES. Vide Prouerbiorum libri. 54.

Ieſus Sirach ECCLESIASTICI libri Author eſt Ieſus Sirach: talem enim ſe nominat in fine capitis 50. & in Præfatione ad librum ſuum refert ſe vixiſſe tempo- 55.

re Ptolomei Euergetis Regis Ægypti ſcilicet circa annum mundi 4984. ante Chriſtum 215. *Faſciculus tempor.*

56. Egesippvs fuit Hiſtoriographus vicinus temporibus Apoſtolorum, qui veniens Romam ad Anicetum Papam compoſuit quinque libris hiſtoriam Eccleſiaſticam, quam continuauit vſque ad Eleutherium. Scripſit etiam hiſtoriam de Idolis, quæ vigebant ſuo tempore. Nota libros de excidio Ieroſolymitano fuiſſe alterius Egeſippi, vt probat Card. Bellarminus lib. de Script. Eccl. anno 177. *Genebr. lib. 3. Chronog. in Aniceto ad annum 172.*

57. Emmanvel sa è Societate Ieſu Interamnæ in Luſitania ortus, fecit notationes in totam Scripturã Sacram: & Scholia in quatuor Euangelia: fecit etiam Aphoriſmos Confeſſariorum: breuia quidem hæc omnia, ſed ſucco, & ſanguine pleniſſima: Obijt an. 1596. ſub Clemente VIII. *Catalog. Soc. Ieſu.*

58. S. Epiphanius in Paleſtina ortus, fuit primum Monachus, deinde Epiſcopus Salaminæ in Cypro, compoſuit libros vſque ad extremam ſenectutem: ſcilicet Panarium contra octoginta hæreſes: Ancoratum, ſeu fidelium anchoram: de Ponderibus, de Prophetis: & Epiſtolam ad Ioannem Ieroſolymitanum. Floruit ſub Damaſo anno 374. *S. Hieronym. de Script. Eccleſ.*

59. Esdras fuit Sacerdos. Eſdræ autem libri ſunt quatuor: primum ſcripſit ipſemet Eſdras: ſecundum Nehemias: alij duo ſunt apocryphi. Vixit vterque Nehemias.

ſub Artaxerce Rege Perſarum: anno mundi 4784. ante Chriſtum 415. *Faſciculus temporum.*

Mardochæ. ESTHER librum compoſuit Mardochæus eius 60.
Auunculus: ita Genebrardus lib. 2. Chronog. *in Ezra, & Cyri Sæculo.* Floruit autem Eſther eodem tempore, quo Eſdras, & Nehemias: quia maritus Eſther fuit Aſſuerus Artaxerces Lõgimanus: ſub quo Eſdras venit Ieruſalem, & Nehemias fuit eius Pincerna. Ita *Card. Bellar. lib. 1. de Verb. Dei cap. 7.*

EVSEBIVS Epiſcopus Cæſareæ in Paleſtina cogno- 61.
minatus Pamphili ab amore, quo proſequebatur Pamphilum Præsbiterum Cæſarienſem. Scripſit de Præparatione Euangelica: de Demonſtratione Euangelica: Hiſtoriam Eccleſiaſticam: vitam Conſtantini: Chronicon: & multa alia. Fuit Arianus, & Fautor Arianorum ſub Iulio I. Obijt anno 340. *S. Hieronym. de Script. Eccleſ. cap 91.*

EVSEBIVS Epiſcopus Emiſſenus Rhetor diſertus, 62.
& Philoſophus ſubtilis multa compoſuit, quæ nunc non extant: Nam Homiliæ, quæ ſub eius nomine circunferuntur; dicuntur eſſe S. Eucherij, aliorumque Galliæ Antiſtitum. Fuit ſignifer Arianorum tempore Iulij I. anno 341. *Card. Baron. in Annalib.*

EVTHYMIVS Zigabenus Ordinis S. Baſilij com- 63.
poſuit Panopliam contra hæreſes, Pſalmoſque, & quatuor commentatus eſt Euangelia. Fuit familiaris Alexio I. Comneno Imperatori Orientis, & vixit ſub Gelaſio II. anno 1118. *Card. Baron in Annalib.*

64. EXODVS vide Geneſis liber. Moyſes.

65. EZECHIEL ex Genere Sacerdotali ortus, vt refertur in Faſciculo temporum ad annum mundi 4600. ante Chriſtum 599. cum Ioachim, Anania, Azaria, Miſaël, & alijs ductus fuit in captiuitatem Babilonicam: vbi inter alia prophetauit de Meſſia, de Sacramentis, præcipuè de Baptiſmo: de mutatione Templi in Eccleſiam: ſed valde ænigmaticè. Dum autem Iudæos in Babiloniam deportatos de Idolorum cultu argueret: ruinamque Ieruſalem, inde ſubſecuturam minitaretur ab eis occiſus eſt. *Ex Martyrologio Romano, die* 10. *Aprilis.*

F

66. FLAVIVS IOSEPHVS Filius Matathiæ natione Iudæus, ſecta Phariſæus, officio Sacerdos, in excidio Ieroſolymitano captus à Veſpaſiano, & Tito Romam ductus fuit, quibus ſuos ſeptem libros de Bello Iudaïco dedicauit: ob id ab eis ſtatua aurea donatus fuit. Fecit & alios viginti libros de Antiquitatibus Iudæorum. Obijt anno Chriſti 99. *S. Hieronym. de Script. Eccl. cap.* 29.

67. FRANCISCVS MAVROLYCVS Siculus Abbas Meſſanenſis ſcripſit Martyrologium, & à Chriſtophoro Clauio numeratur inter inſignes Mathematicos in præfat. in Spheram: de eo etiam agit Ioſeph. Blancanus in Chronolog. Mathemat. *Sæculo* 16. *à Chriſto.*

68. FRANCISCVS de Mayronis ortus ex Oppido Mayronenſi Ebrudunenſis Diœceſis in Delphinatu ſcri-

pſit in quatuor libros Magiſtri Sententiarum: Quodlibeta, & alia multa. Introduxit etiam Pariſiis anno 1315. actum Sorbonicum: de quo Genebrardus ſcribit in lib. 4. Chronog. in Clemente V. ad annum 1311.

FRANCISCVS RIBERA Societatis Ieſu, natione Hiſpanus, patria Villacaſtinus in Caſtella. Scripſit vitam S. Thereſiæ Carmelitidis: commentatus eſt minores Prophetas: epiſtolam ad Hebręos, & Apocalipſim, Viuebat tempore Sixti V. Obijt an. 1590. *Catalog. Soc. Ieſu.* 69.

FRANCISCVS STANCHARVS natione Italus, patria Mantuanus, fuit hæreticus Caluiniſta, à quo Hæretici Stancariani dicti ſunt: qui aſſerunt homines à ſola humanitate Chriſti iuſtificari, excludentes Diuinitatem: dicunt etiam Euchariſtiam dari tantùm in pignus corporis Chriſti. Viuebat circa annum 1550. tempore Pauli III. *Gabr. Prateol. verb. Stancariani.* 70.

FRANCISCVS SVAREZ Granatenſis è Societate Ieſu fuit magnum Theologiæ incrementum: cuius operum viginti magna volumina circunferuntur: duo in Metaphyſicam Ariſtotelis: duo in primam partem: quatuor in primam Secundæ: quinque in Secundam Secundæ: quinque in Tertiam partem S. Thomæ: vnum Opuſculorum: vnum Defenſionis fidei: ſunt & alia, ſed nondum typis mandata. Floruit ſub Paulo Papa V. & obijt non ſine opinione Sanctitatis die 25. Septembris anno 1617. *Ex eius vita præmiſſa Tomo de Angelis.* 71.

72. Francisevs Toletvs natione Hiſpanus, patria Cordubenſis è Societate Ieſu, fecit introductionem in Logicam, & Commentarios vnà cum quæſtionibus in Ariſtotelis Logicam: in octo libros Phyſicorum: duos de Generatione, & Corruptione: tres de Anima. Scripſit etiam Commentarios cum Annotationibus in Lucam, in Ioannem, & in epiſtolam ad Romanos: inſuper quindecim Sermones in Pſalmum trigeſimum: & Inſtructionem Sacerdotum de caſibus conſcientiæ. Denique à Clemente VIII. factus S. R. E. Presbyter Cardinalis, triennio poſt ſuam inaugurationem obijt die 14. Septembris anno 1596. *Catalog. Soc. Ieſu.*

73. Francisevs Tvrrianvs Societatis Ieſu, natione Hiſpanus, patria Legionenſis ſcripſit in libros Conſtitutionum Apoſtolicarum, & in Canonem Apoſtolorum S. Clementis Papæ: nec non in epiſtolas Decretales veterum Pontificum: multa etiam contra errores Magdeburgenſium. Claruit ſub Gregorio XIII. Obijt die 21. Decembris anno 1584. *Catalog. Soc. Ieſu.*

74. Francisevs Victoria Ordinis Prædicatorum Hiſpanus, qui tempore Caroli V. Imperatoris publicè profitebatur Theologiam in Collegio Salmaticenſi. Scripſit varias Relectiones valde eruditas: & Summam de Sacramentis: quam eius Diſcipuli ex ſcriptis ipſius collegerunt. Vixit ſub Paulo III. Obijt anno 1546. *ex eius vita præmiſſa operibus.*

G

GABRIEL BIEL Monachus natione Germanus 75.
Theologiæ Profeſſor in Vniuerſitate Tubingenſi. Commentatus eſt quatuor libros magiſtri Sententiarum. Expoſuit etiam Sacrum Canonem Miſſæ. Floruit ſub Innocentio VIII. circa annum 1490. Genebr. eum numerat inter celebres Theologos in *lib* 4. *Chronog. in Innocentio VIII. ad an.*1491.

GABRIEL VAZQVEZ Societatis Ieſu Bellomon- 76.
tanus in Hiſpania, Theologus ingenio ſubtilis, & ſcientia profundus, compoſuit nouem volumina magna: duo in 1. part. duo in Primam Secundæ, vnum in quaſdam quæſtiones Secundæ Secundæ cum Scholijs in quaſdam Epiſtolas Pauli: quatuor in 3. part. S. Thomæ Aquinatis. Floruit ſub Clemente VIII. Obijt die 23. Septembris anno 1604. *Catalog. Soc. Ieſu.*

GELASIVS Papa I. Affer durante perſecutione 77.
Vandalica, relicta Affrica venit Romam: contra Pelagianos, & contra Neſtorium, variaſque ſcripſit epiſtolas etiam Decretales, quæ extant in tomo 2. Conciliorum. Obijt anno 496. *Baron. in Annalib.*

Moyſes. GENESIS liber compoſitus eſt à Moyſe: qui à Deo 78.
miſſus ad Pharaonem eduxit populum Iſraël de Ægypto: eiuſque Dux fuit in deſerto quadraginta annorum ſpatio: quo tempore ſcripſit Pentateucum, ſcilicet Geneſim, Exodum, Leuiticum, Numeros, & Deuteronomium. Vixit 120. annos & mor-

mortuus eſt circa annum mundi 3715 ante Chriſtum 1474. *Faſciculus temporum.*

79. GERARDVS de Bononia Ordinis Carmelitarum vndecimus inter Latinos Prior Generalis, qui à Cardinale Caietano in prim. part. quæſt. 27. art. 1. vocatur Gerardus de Carmelo multa præclara volumina in lucem emiſit: ſcilicet in libros quatuor Magiſtri ſentẽtiarum: multa, & varia Quodlibeta: Quæſtiones diſputatas, & Sermones varios. Floruit ſub Clemente V. Obijt anno ſui Generalatus 21. ſepultus Auenioni an. 1317. *Trith. in lib. de viris illuſtribus Carmelitarum.*

80. GILBERTVS GENEBRARDVS Aruernus Archiepiſcopus Aquenſis, fuit Monachus S. Benedicti, & Profeſſor Regius Diuinarum, Hebraïcarumque literarum in Vniuerſitate Pariſienſi: compoſuit libros: vnum de Chronologia: quatuor de Chronographia, vnum in Pſalmos, vnum de Miſſa gallicè editum. Floruit ſub Clemente VIII. Obijt in ſuo Prioratu Semuræo in Burgundia die 10. Martij anno 1597. *Poſſeuin. in Apparatu.*

81. GLOSSA Sacræ Scripturæ triplex eſt. Vna dicitur interlinearis: quam Anſelmus Laudunenſis ex Sanctis Eccleſię Patribus collegit: ita *Genebrard. in Paſchali II. ad annum Chriſti* 1100. Altera eſt ordinaria, quam Rabanus Strabi Diſcipulus ex operibus ſui Præceptoris conflauit, ita *Genebr. in Eugenio II. ad annum Chriſti* 828. Tertia eſt Nicolai de Lyra: eaque duplex literalis, & moralis. *Paulus Burgenſis in Prologo operum Lyrani.*

S. GREGORIVS Papa I. Romanus ſcripſit moralium libros 35. Curæ Paſtoralis lib. 1. in tres partes diuiſum: Dialogor. libros 4. in Cantica lib. 1. in Ezechielem homilias 22. in Euangelia homilias 40. in ſeptem Pſalmos pœnitentiales lib. 1. in lib. prim. Reg. libros 6. Epiſtolar. lib. 12. tandem decreta quædam & reſponſiones ad Auguſtinum Cantuariæ in Anglia Epiſcopum. Obijt die 12. Martij an. 604. *Card. Baron. in Annalib.* 82.

GREGORIVS Ariminenſis Ordinis S. Auguſtini Prior Generalis, Theologię Doctor, & ſcrutator profundiſſimus, fecit præclara commentaria in Epiſtolas SS. Pauli & Iacobi: Scripſit etiam inſigne opus in duos priores libros Magiſtri Sententiarum. Eum inter viros illuſtres numerat *Genebr. lib. 4. Chronog. in Innocentio VI. anno 1352. & 1363.* 83.

GREGORIVS de VALENTIA è Societate Ieſu Metimnenſis in Hiſpania Theologus magni nominis, ſcripſit volumen vnum Controuerſiarum aduerſus Hæreſes: & quatuor volumina in totam Summam S. Thomæ iuxta quadripertitam diuiſionem eiuſdem Summæ. Obijt ſub Clemente VIII. die 25. Aprilis anno 1603. *Catalog. Soc. Ieſu.* 84.

S. GREGORIVS Nazianzi in Cappadocia natus, cognomento Theologus, Præceptor S. Hieronymi, fuit eiuſdem Vrbis Epiſcopus. Multa ſcripſit, & ſoluta oratione, & verſibus, quæ longum eſſet commemorare. Nonagenarius mortuus eſt ſub Syricio Papa, die 9. Maij anno 389. *Card. Baron. in Annalib.* 85.

86. S. GREGORIVS Nyſſenus Epiſcopus frater S. Baſilij magni plurimos tractatus edidit: in quibus eloquentiam cum doctrina mirificè copulauit. Inter alia ſcripſit in Concilio Conſtantinopolitano Symbolum Miſſæ, quod reliqui omnes Patres comprobarunt. Floruit ſub Damaſo Papa anno 381. *Card. Baron in Annalib.*

87. S. GREGORIVS Turonenſis Epiſcopus fuit ſinchronus S. gregorio Magno Papæ: compoſuit decem libros de Hiſtoria Francorum: librum vnum in vitas Patrum: & vnum de gloria Confeſſorum. Obijt anno 596. *Genebr. lib. 3. Chronog. in Gregorio I. ad annum Chriſti 604.*

88. GVIDO de Perpiniano, vulgo Carmelita cognominatus, noſtri Ordinis fuit Prior Generalis: poſtea Epiſcopus Maioricenſis. Dedicauit Papæ Ioanni XXII. tres libros de perfectione vitæ Catholicæ: Scripſit etiam in quatuor libros Sententiarum, & Quodlibeta; vnum volumen de omnibus hæreſibus: pleraque alia: præcipuè Concordiam Euangelicam, quæ cum eius Summa de omnibus hæreſibus de nouo impreſſa eſt Coloniæ apud Petrum à Brachel anno 1631. Obijt Auenioni: eius ſepulchrum extat adhuc, & eminet in templo Carmelitarum. *Trithem in lib. de Viris Illuſtrib. Carmelitar.* & *Cardin. Bellarmin. de Script. Eccleſ. anno* 1330.

89. GVILLIELMVS OKAM natione Anglus Ordinis Minorum doctè ſcripſit in quatuor libros Sententiarum: librum etiam quodlibetorum, & Centilo-

gium, cum quibuſdam alijs moralibus. Sed eius opus nonaginta dierum: item Dialogi, & Scripta omnia quæ pro Ludouico IV. Bauaro Imperatore edidit contra Ioannem XXII. Pontificem Maximum, prohibita ſunt in Indice Concilij Tridentini. *Spondan. in Auctuar.* 1323.

H

HABACVC ex Tribu Simeon ortus: poſtquam prædixit captiuitatem Iudæorum per Babilonios: & è contra Babiloniorum euerſionem, Iudæorumque liberationem futuram per Cyrum Perſarum Regem: vaticinatus eſt Chriſti Natiuitatem, Paſſionem, Reſurrectionẽ, & extremum Iudicium. Prophetauit autem vt legitur in Faſciculo temporum circa annum mundi 4589. ante Chriſtum 610. Poſt Chriſtum legitur relatus inter Sanctos. *Martyrologium Romanum die* 15. *Ianuarij.* 90.

HENRICVS de SEGVSIO Cardinalis Epiſcopus Hoſtienſis, natione Gallus, per antonomaſiam dictus eſt Hoſtienſis: & à Seguſio ſuæ natiuitatis loco ita cognominatus. Floruit ſub Alexandro IV. cuius hortatu ſcripſit in quinque libros Decretalium: Summamque Iuris Canonici vno volumine complexus eſt. *Genebr. lib.* 4. *Chronog. in Alexandro IV. circa annum* 1254. 91.

S. HIERONYMVS natione Dalmata, patria Stridonenſis, Presbyter fuit Eccleſiæ Antiochenæ, & Doctor eximius: cuius opera in vniuerſam Scripturam Sacram cum epiſtolis, & libris contra hære- 92.

ſes, nouem voluminibus continentur. Floruit ſub Damaſo: & peruenit ad extremam ſenectutem. Tandem corporis viribus ita deſtitutus, vt è lecto ſe erigere non poſſet, niſi apprehenſo fune, qui ex trabe pendebat. Obijt in Bethlehem anno 422. ætatis ſuæ 98. vel 99. *Genebr. lib. 3. Chronog. in Zozimo ad annum Chriſti 423.*

93. S. HILARIVS Pictauorum Epiſcopus ſcripſit contra Arianos duodecim libros de Trinitate 12. contra Conſtantium 1. ad eundem 1. contra Auxentium Arianum. 1. de Synodis contra Arianos 1. De vnitate Patris, & Filij. 11. De eſſentia Patris & Filij. In Matthæum. In aliquot Pſalmos. Epiſtolas aliquot. Claruit ſub Liberio: obijt Pictauis circa annum 356. *S. Hieronym. de Script. Eccleſ. cap.* 110.

94. S. HIPPOLYTVS Epiſcopus Portuenſis fuit Diſcipulus Clementis Alexandrini: Scripta eius enumerantur à S. Hieronymo in lib. de Script. Eccleſ. cap. 71. quæ perierunt. Nunc tantùm extat libellus de Antichriſto, ſeu de Iudicio: & quædam excepta ex Theologia, & Incarnatione. Floruit ſub Vrbano I. & martyrio coronatus eſt anno 229. *Card. Baron. in Annalib.*

95. HVGO Cardinalis Tituli S. Sabinæ primus omnium ex Ordine Prædicatorum aſſumptus eſt ad Cardinalatum: commentatus eſt totam Bibliam, primuſque omnium Indicem, quem vocant Concordantias Bibliæ adhibitis ſocijs collegit, in quo voces omnes Bibliæ annotatis librorum capitibus in ordinem alphabeticum digeſſit: qui poſteriorem

induſtria plurimùm auctus eſt. Obijt Lugduni anno 1262. *Genebr. lib. 4. Chronog. in Innocentio IV. ad annum* 1254.

96. HVGO de S. Victore Theologus Pariſienſis plurima ſcripſit moralia, Theologica, & in totam pene Scripturam. Eius opera tribus tomis continentur. Floruit ſub Innocentio II. circa annum 1130. Eum inter viros doctos numerat. *Genebrard. lib. 4. Chronog. in Honorio II. anno* 1130.

97. HVLDRICVS ZVINGLIVS natione Heluetius, ex Canonico Conſtantienſi, Coryphæus Sacramentariorum effectus, docuit corpus Chriſti non eſſe in Euchariſtia, niſi in ſigno: & imagines tam Chriſti, quam Sanctorum eſſe frangendas: ſed ipſe fractus fuit: Nam die 11. Octobris anno 1531. ætatis ſuæ 48. cecidit in prælio contra Catholicos, & cadauer eius combuſtum fuit. *Genebr. lib. 4. Chronog. in Clemente VII. ad annum* 1527.

I

98. IACOBVS ALMAINVS Doctor Pariſienſis breuiter & ſcholaſticè ſcripſit in duos poſteriores Sententiarum libros, & quædam opuſcula: reliqua eius opera ſunt moralia. Viuebat anno 1500. ſub Alexandro VI. *Card. Bellarm. de Script. Eccleſ.*

99. S. IACOBVS Apoſtolus Alphæi filius per triginta annos rexit Eccleſiam Ieroſolymitanam: & martyrio coronatus eſt die 1. Maij anno Chriſti 63. Reliquit epiſtolam, quæ eſt vna de ſeptem Catholicis:

& Liturgiam, ideſt Miſſam: quæ nunc additis precibus, ritibus etiam immutatis, ita locupletata eſt, vt permanente integra rei natura, ſeu ſubſtantia, videatur ab illa priſtina diſcrepare. *Card. Baron. in Annalib. ad annum 63.*

100. IACOBVS TIRINVS è Societate Ieſu Antuerpienſis in Belgio ſcripſit commentaria breuia quidem, ſed vtiliſſima in totam Bibliam. Eius opera tribus voluminibus comprehenduntur: quæ typis mandata ſunt Antuerpiæ apud Martinum Nucium anno 1632. tempore Vrbani VIII. adhuc ſedentis.

101. IEREMIAS de Tribu Sacerdotali prædixit multa de Chriſto, ruinam etiam Ieruſalem, & demolitionem templi: quibus addidit Threnos, & epiſtolam ad populum in Babiloniam deportandum, quæ legitur in libro Baruch cap. 6. cœpit autem prophetare cum eſſet adhuc iuuenis anno 12. Ioſiæ Regis: & prophetauit in Iudæa 42. annos. Poſtea fugiens Nabuchodonoſorẽ receſſit in Ægyptum; vbi etiam prophetauit. Ita Faſciculus temporum; ad annum mundi 4556. ante Chriſtum 643. Tandem à populo ingrato lapidibus obrutus moritur: ita *Martyrologium Romanum die 1. Maij.*

102. S. IGNATIVS Diſcipulus S. Ioannis Euangeliſtæ: & tertius poſt B. Petrum Antiochię Epiſcopus. Scripſit ſeptem epiſtolas, ita Euſeb. & S. Hieronym. Alij vero numerant duodecim: ſcilicet ad Mariam, Trallianos, Magneſianos, Tarſenſes, Philippenſes, Philadelphios, Smyrnenſes, Policarpum, Antiochenſes, Heronem, Epheſios, & Romanos: Tandem

leonibus objectus ſub Anacleto Martyrium conſummauit anno 110. *Card. Baron. in Annalib.*

INNOCENTIVS III. Pontifex Maximus ſcripſit tribus voluminibus ſermones varios, moralia multa, & præter Decretales, multas Epiſtolas. Celebrauit anno 1215. magnam Synodum Lateranenſem: cui interfuerunt Patriarchæ duo Ieroſolymitanus, & Conſtantinopolitanus. Archiepiſcopi 70. Epiſcopi 400. Abbates 12. Priores Conuentuales 800. Omnes ſimul 1285. *Genebrard. lib. 4. Chronog. in Innocentio III. initio.* 103.

IOANNES BACHO Ordinis Carmelitarum Prouincialis Angliæ Philoſophus, & Theologus inſignis, quem ob doctrinæ ſoliditatem Sorbona Pariſienſis Doctoris Reſoluti cognomine decorauit. Scripſit in totam Bibliam commentaria: & in totam Ariſtotelis Philoſophiam: nec non in quatuor libros Sententiarum: Quodlibetorum etiam libros tres: & multa alia, quæ enumerat Abbas Trithemius. Floruit ſub Cleméte VI. anno 1340. ita Card. Bellarm. An. 1342. ita Onuphrius. Anno 1345. ita Trithem. in lib. de viris Illuſtrib. Ord. Carmelitar. An. 1350. ita idem Trithem. in lib. de Scriptor. Eccleſiaſt. & Sixtus Senenſ. lib. 4. Biblioth. Eum etiam inter viros doctos, qui de Theologicis quæſtionibus ſcripſerunt refert *Genebrard. lib. 4. Chronog. in Innocentio VI. ad annum* Chriſti 1352. 104.

IOANNES BAPTISTA de LEZANA natione Hiſpanus, Ordinis Carmelitarum Prouincialis Saxoniç, vir præclara eruditione ornatus, & Regularis obſeruantiç 105.

ſeruantiæ cultor inſignis. Scripſit Apologeticum pro immaculata conceptione: & librum, qui inſcribitur Reformatio Regularium, ſeu de Diſciplina religioſa: Summam etiam quæſtionum Regularium, in duos tomos diuiſam, quæ apud viros doctos magnam acquiſiuit authoritatem. Antea verò Theologiam glorioſè docuerat Romæ in Collegio Tranſpontinæ: vbi etiam nunc commoratur, & eſt Socius Reuerendiſſimi Patris Generalis eiuſdem Ordinis Carmelitarum: ſcribitque ſub Vrbano Papa VIII. libros ſuo tempore in lucem edendos.

106. IOANNES CALVINVS (vt ait Genebrardus lib 4. Chron. in Marcello II. ad annum 1555.) Spurius, & ex Canonico Hæreſiarcha, inter alias blaſphemias ait in lib. 2. inſtit. cap. 16. §. 10. Chriſtum damnatorum pœnas paſſum: in cap. 26. Matth. in horto turbatum ſine mente orauiſſe: & in cap. 27. Matth. dum clamaret in cruce, verba deſperationis protuliſſe. Sed oppreſſus morbo pediculari, inter maledicta, & execrationes, inuocans Dæmones ſacrilegam animam exhalauit anno 1564. *Hieronym. Bolſecus in eius vita.*

107. IOANNES de CARTHAGENA natione Hiſpanus Ordinis Minorum de Obſeruantia S. Theologiæ Profeſſor emeritus, & Concionator inſignis, plurimas ſcripſit homilias Catholicas; tum in vniuerſa Religionis Chriſtianæ arcana: tum de Sacris Arcanis Deiparæ Mariæ, & Ioſephi: quas in varios tomos, varioſque libros diuiſit: & dedicauit Paulo V. Pontifici Maximo, alijſque Illuſtribus Viris. Dignus ſane, qui inter Theologos eximios numeretur.

IOANNES CASSIANVS natione Scyta: primum 108.
fuit Diaconus in Eccleſia Conſtantinopolitana, ordinatus à S. Ioanne Chryſoſtomo: quo exulante, vice ipſius functus eſt Legatione apud Innocentium Papam I. Deinde in Ægyptum profectus aliquandiu ibi duxit vitam Eremiticam. Denique venit in Galliam, & Eccleſiæ Maſſilienſis Presbyter inſtitutus fuit, vbi etiam obijt. Scripſit de inſtitutis Cœnobiorum · De origine, cauſis, & remedijs vitiorum: De collationibus Patrum in Scytica Eremo commorantium: De Incarnatione, & alia, quæ referunt *Gennadius in Catalog. viror. Illuſtr. & Ado Vienuenſis in Chronic. ætat. 6. paulo ante medium.*

S. IOANNES CHRYSOSTOMVS patria Antiochenus, Patriarcha Conſtantinopolitanus, ſcripſit homilias in Geneſim, in Pſalmos, in Iſaiam, in Euangelia, in Acta Apoſtolorum, in Epiſtolas Pauli, ad populum Antiochenum, Dialogos de Sacerdotio, &c. Claruit ſub Innocentio I. eius opera ſunt diuiſa in quinque tomos. Obijt circa annum 407. ætatis ſuę 52. *Trithem. de Script. Eccleſ.* 109.

S. IOANNES DAMASCENVS Monachus Theologiam per antiquorum Patrum libros ſparſam, in quatuor libros redegit, quos inſcripſit de Fide Orthodoxa: hunc imitatus eſt Magiſter Sententiarum. Scripſit etiam orationes tres contra impugnatores imaginum: propter quas ad inſtantiam Leonis Iſauri Iconoclaſtæ, Rex Sarracenorum præcepit ei amputari dexteram, quam poſtea B. Virgo ei reſtituit. Scripſitque plura ſub Gregorio [illegible] circa annum 110.

740. quorum catalogum habet *Trithem. in lib. de Scriptorib. Eccleſiaſt.*

111. IOANNES DRIEDO BELGA, Louanij S. Theologiæ Profeſſor ſcripſit de Eccleſiaſticis Scripturæ dogmatibus libros quatuor. De libertate Chriſtiana tres. De gratia & libero arbitrio duos, & quoſdam alios tractatus. Floruit ſub Alexandro IV. an. 1500. *Card. Bellarm. ibid. de Script. Eccleſ.*

112. IOANNES DVNS Ordinis Minorum, quamuis vulgo nominetur Scotus: tamen Hybernus fuiſſe perhibetur in Admonitione ad Lectorem præfixa eius operibus impreſſis Antuerpiæ anno 1620. Docuit Theologiam Oxoniæ in Anglia, & Pariſijs in Gallia: vbi à Sorbona cognomine Doctoris ſubtilis decoratus fuit. Scripſit in libros quatuor Magiſtri Sententiarum, & Quodlibeta: in Geneſim, & Epiſtolas Pauli: in Iſagogem Porphirij: in Ariſtotelis Categorias, Analytica, & Metaphyſicam. Obijt Coloniæ Agrippinæ anno 1368. ætatis ſuæ 33. Sepultus fuit nondum mortuus, ſed tantùm Lethargo correptus. *Genebrard. lib. 4. Chronog. in Clemente V. ad annum* 1304.

113. S. IOANNES EVANGELISTA Apoſtolus Chriſti fuit Frater Iacobi Majoris. Scripſit Euangelium: tres Epiſtolas, & Apocalypſim. Calicem Domini bibit dum ſtaret ante crucem, & tempore Domitiani, quando miſſus fuit in dolium olei feruentis: & exulauit in Inſula Pathmos. S. Hieronym. de Scriptorib. Eccleſiaſt. cap. 19.

IOANNES de IANDVNO. Vide Marſilius Pata- 114.
uinus.

IOANNES LORINVS Societatis Ieſu, natione 115.
Gallus, Patria Auenionenſis: Scripſit tria volumina in Pſalmos: vnum in Eccleſiaſtem: vnum in Sapientiam: vnum in Acta Apoſtolorum: vnum in Epiſtolas, Ioannis, & Petri. Paucis abhinc annis vitam cum morte commutauit ſenio venerabilis ſub Vrbano VIII.

IOANNES DE LVGO Societatis Ieſu Hiſpalenſis 116.
in Hiſpania, & S. Theologiæ Profeſſor in Collegio Romano: ſcripſit tria volumina in tertiam partem S. Thomæ: vnum de Incarnatione: alterum de Sacramentis vniuersè, & de Euchariſtia: tertium de Pœnitentia: viuit adhuc Romæ, & ſcribit: Vrbano VIII. exiſtente Summo Pontifice.

IOANNES MALDONATVS Societatis Ieſu natione 117.
Hiſpanus ex Andaluſia oriundus ſcripſit præclariſſima commentaria in quatuor Euangeliſtas. Sedani anno 1572. plurimos Miniſtros Caluiniſtas, tum diſputando, tum declamando proſtrauit. Tandem die Epiphaniæ anno 1583. Romæ, quo venerat recuperandæ ſanitatis cauſa obijt. *Genebrard. in lib. 4. Chronog. in Gregorio XIII. ad annum 1581. & ſub eodem Pontifice ad annum 1585.*

IOANNES MARIA VERRATVS Ferrarienſis in 118.
Italia Ordinis Carmelitarum multa ſcripſit contra Lutheranos: De Eccleſia: De Primatu Petri: De cultu Sanctorum: De iuſtificatione: De gratia, &

libero arbitrio: De Incarnatione: De Euchariſtia: De Pœnitentia: De Matrimonio: De Purgatorio: De Suffragijs. Bonam autem partem ſuorum operum, quæ in ſex tomos diuiſa ſunt, dedicauit Paulo III. Pontifici Maximo. Mortuus eſt Ferrariæ menſe Iulio anni 1563. Petr. Lucius in Bibliothec. Carmelitana litera I.

119. IOANNES PALEONIDORVS Ordinis Carmelitarum, natione Bactauus ex Conuentu Aquenſi, Vir doctus, & in deſcribendis Annalibus optimè verſatus, compoſuit tres libros de origine, & proceſſu Ordinis Carmelitarum nunquam ſatis laudandos: floruiſſe autem ſub Alexandro VI. Epiſtola dedicatoria ipſius operi præfixa, in Conuentu Aquenſi data 5. Cal. Mart. anno 1495. non ſinit dubitare.

120. IOANNES de PINEDA Societatis Ieſu Hiſpalenſis in Hiſpania fecit duo volumina commentariorum in librum Iob: & alia in libros Salomonis. Floruit ſub Clemente VIII. dum libri eius in Iob fuerunt typis mandati Coloniæ Agrippinæ anno 1604. & 1605. apud Antonium Hierat, ſub Monocerote.

121. IOANNES de TVRRE CREMATA Hiſpanus, Ordinis Prædicatorum S. R. E. Cardinalis ab Eugenio IV. creatus. Fecit vnum volumen quæſtionum in Euangelia Dominicalia, & de Sanctis: Summam etiam de Eccleſia in quatuor libros diuiſam: in Pſalmos, & quædam alia. Obijt octogenario major, anno 1468 *Card. Bellarmin. in lib. de Scriptorib. Eccleſiaſt.*

122. IOANNES VVITCLEFF, natione Anglus, Profeſ-

ſione Presbyter, Hæreſiarcha peſſimus, incepit ſuam hæreſim euulgare anno 1380. cuius 45. articuli erronei damnati fuerunt in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 8. & 45. Cuius etiam decreto ſancitum fuit, vt nefandi illius hæretici oſſa ex terra effoſſa extra Eccleſiam proijcerentur. *Tom. 4. Concilior.*

IOANNES ZONARAS Hiſtoriographus Græcus ſcripſit tres libros Annalium ab Orbe condito, vſque ad annum Chriſti 1117. in libro primo Hebræorum: in ſecundo Græcorum: in tertio Latinorum geſta recenſet. *Genebr. lib. 4. Chronog. in Paſchali II. anno* 1102. 123.

Iob, & Moyſes.

IOB libri Authorem quidam faciunt ipſummet Iob: quidam Moyſem: conciliantur à Card. Bellarmino lib. de Scriptorib. Eccleſiaſt. initio. Iob annotauit lingua Arabica res à ſe geſtas: Moyſes eas in linguam Hebræam conuertit, & fecit librum, additis primis, & vltimis verbis eiuſdem libri. Natus eſt Iob circa annum mũdi 3644. ante Chriſtum 1555. *Faſciculus temporum.* 124.

IODOCVS BADIVS ASCENSIVS commentatus eſt Virgilium: & Baptiſtam Mantuanum: quo autem tempore ſcripſerit patet ex epiſtola eius data Pariſijs idib. Octob. anno 1499. quam præfixit Commentarijs ſuis in Parthenicem Marianam eiuſdem Baptiſtæ Mantuani: quando ea dedicauit Reuerendiſſimo Laurentio Burello Ordinis Carmelitarum Confeſſori Regio, & Epiſcopo Siſtaricenſi. Eum inter viros doctos enumerat. *Genebrard. lib. 4. Chronog. in Alexandro VI. ad annum* 1482. 125.

126. Ioel eodem tempore prophetauit, quo Oſee. Prædixit aduentum Chriſti: miſſionem Spiritus Sancti: excidium Ieroſolymitanum: extremum iudicium: numeratur inter Martyres die 13. Iulij in Martyrologio Romano. Vixit autem circa annum mundi 4388. ante Chriſtum 811. *Card. Bellarminus de Script. Eccleſiaſt. anno mundi 3170. iuxta ſuam ſupputationem.*

127. Iosias Simlervs natione Germanus, patria Tigurinus, ſecta Zuinglianus, docuit Tiguri: & ſcripſit de Principijs Aſtronomiæ: & de Chriſto mediatore. Viuebat tempore Gregorij XIII. anno 1573. Scripſit etiam in Stancharum. *Card. Bellarm. lib. 5. de Chriſto cap. 3.*

128. Iosve liber ita inſcribitur: tum quia Ioſue Author eius eſt: tum quia in eo res à Ioſue ſpatio quatuordecim annorum geſtæ narrantur. Nam ſeptem annis in ſubiuganda terra Promiſſionis: & ſeptem alijs annis in eadem filijs Iſraël diſtribuenda occupatus fuit. Vixit circa annum mundi 3725. ante Chriſtum 1474. mortuus vero eſt anno 110. ætatis ſuæ: & quæ adduntur in fine capitis vltimi eius libri de morte, & ſepultura ipſius probabile eſt ſcripta fuiſſe à Samuele, vel Eſdra. *Genebrard. lib. 1. Chronogr. in Moyſis, & legiſlatæ ſæculo circa annum à Diluuio 1071.*

129. S. Irenævs patria Smyrnenſis in Aſia, Diſcipulus S. Polycarpi fuit Lugdunenſis Epiſcopus, qui multa ſcripſit: ſed nunc tantum extant quinque libri aduerſus hæreſes, quos ſolùm latinè ſcripſiſſe

reperitur: cum tamen S. Hieronymus in cap. 36. Ezechielis eum inter Græcos Doctores numeret. Floruit ſub Eleutherio: martyrium vero paſſus eſt die 28. Iunij, anno 205. *S. Hieronym. de Script. Eccleſ. cap. 45.*

ISAIAS totam Chriſti vitam, eiuſque paſſionem, 130.
non tam vt Propheta, quam vt Euangeliſta prænunciauit: ita habetur in Faſciculo temporum ad annum mundi 4414. ante Chriſtum 785. tandem Manaſſe Regis iuſſu, cuius deprauatos mores arguebat, ſerra in duas partes ſectus, Martyr occubuit. ita habetur in *Martyrolog. Roman. die 6. Iulij.*

S. ISIDORVS Epiſcopus Hiſpalenſis in Hiſpania 131.
multa ſcripſit, quæ longum eſſet referre. Eorum catalogum habet Ildephonſus in lib. de Viris Illuſtribus. Floruit ſub Gregorio Magno. Obijt anno 636. *Card. Bellarm. de Scriptoribus Eccleſiaſt. anno 630.*

ISIDORVS Peluſiota ſic dictus à Monte Peluſio, 132.
vbi erat Abbas, Diſcipulus S. Ioannis Chryſoſtomi: multa ſcripſit, præter decem chiliadas epiſtolarum, quibus totam ferè Scripturam Sacram explicauit. Floruit ſub Leone Magno anno 440. *Nicephor. lib. 14. cap. 53.*

S. IVDAS Frater Iacobi, qui etiam dictus eſt Tha- 133.
dæus, Apoſtolus ex duodecim, paruam quidem, quæ de ſeptem Catholicis eſt reliquit epiſtolam, quam Lutherani reijciunt, vt apochripham: ſed vt ait S. Hieronymus authoritatem vetuſtate iam, & vſu meruit, & inter Sanctas Scripturas computatur.

Tandem

Tandem vnà cum fratre ſuo Simone in Perſide martyrio coronatus eſt. *S. Hieronym. de Script. Eccleſ. cap.* 14.

134. IVDICVM liber editus eſt à Samuele Propheta, qui fuit Iudex populi Iſraël, qui etiam ſcripſit librum Ruth, & librum primum Regum. Ita Genebr. lib. 1. Chronog. in Samuelis, & Saülis Sæculo, ad annum mundi 3066. Vixit autem Samuel circa annum mundi 4075. ante Chriſtum 1124. ita *Faſciculus temporum.* Samuel Propheta.

135. IVDITH libri Author eſt Ioachim, qui etiam vocatur Eliachim, Summus Synagogæ Pontifex. Nam Iudith hiſtoria contigit tempore Aui illius: & tunc mos erat, vt res geſtæ publicè, committerentur Summis Sacerdotibus ſcribendæ. Porro liber Iudith compoſitus fuit circa annum mundi 4709. ante Chriſtum 490. *Faſciculus temporum.* Ioachim ſeu Eliachim.

136 IVELLVS natione Anglus Pſeudo Epiſcopus Sariſburienſis, ſcripſit contra Hardingum librum, in quo ait Chriſtum ſecundum naturam Diuinam fuiſſe Sacerdotem, & ſecundum naturam humanam fuiſſe victimam. *Matthæus Kelliſon. in 3. part. quæſt. 22. art. 1. dub.* 1.

137 IVLIVS OBSEQVENS vt refert Gerardus Ioannis Voſſius in lib. 3. de Hiſtoricis Latinis. compoſuit hiſtoriam de Prodigijs, quam perduxit vſque ad annum Vrbis conditæ 742. eandem poſtea continuauit Conradus Lycoſthenes.

IVLIVS SOLINVS Author Polyhiſtoris, orbis ter- 138.
reni regiones, & quæ in qualibet ſunt mirabilia, loca, animalia, plantas, gemmas, & ſimilia compendioſè enarrat: non conſtat inter Authores de eius ætate. Vide Ioſephum Blancanum in Chronologia Mathematicorum. & Voſſium loc. cit. Genebrardus ponit eum ſub Euariſto *lib. 3. Chronog. ad annum* 122.

S. IVSTINVS Neapoli Paleſtinæ ortus, poſt ten- 139.
tatas omnium Philoſophorum ſectas, Religionem Chriſtianam amplexatus eſt. Scripſit Dialogũ cum Tryphone Iudæo Epheſi habitum: duas Apologias: vnam ad Senatum, alteram ad Antonium Pium Imperatorem: orationem Parenæticam: & librum de Monarchia. Martyrium paſſus eſt Romæ ſub Pio I. Papa anno 165. *S. Hieronym. de Script. Eccleſ. cap.* 33.

L

LACTANTIVS FIRMIANVS Affer, Rhetor inſi- 140.
gnis, fuit Diſcipulus Arnobij, & Præceptor Chriſpi Cæſaris filij Conſtantini: ſcripſit libros ſeptem inſtitutionum Diuinarum: vnum de ira Dei: vnum de opificio Dei: feruntur etiam ſub eius nomine quædam carmina, de Phœnice, de Paſſione, & de Reſurrectione Chriſti. Docuit Rhetoricam Nicomediæ: ſed ita pauper fuit, vt etiam neceſſarijs indiguerit. *Genebrard. lib.* 3. *Chronog. in Silueſtro circa annum Chriſti* 320.

LEO I. ob aureum eloquentiæ flumen vocatus 141.
fuit Magnus: ſcripſit diſertiſſimoſ ſermones de pri-

mariјs feſtiuitatibus Chriſti, & Sanctorum: ſcripſit etiam varias epiſtolas, & decreta, quæ extant in tom. 2. Concilior. ſedit in Pontificatu annos 21. & obijt die 11. Aprilis anno 461. *Card. Baron. in Annal.*

142. LEONTIVS Monachus Byzantinus ſcripſit tres libros contra Neſtorianos, & Eutychianos: contra Apollinariſtas, & contra Seuerum. Reperitur etiam eiuſdem liber de Sectis in Bibliotheca SS. Patrum. Dicitur floruiſſe ante Synodum V. Nam apud Card. Baronium ad annum Chriſti 553. Leontius in ſuo libro de ſectis act. 6. mouit Imperatorem Iuſtinianum, vt ex ſententia Vigilij Papæ Synodum illam Conſtantinopolitanam conuocaret. *Card. Bellar. de Script. Eccleſ. anno* 540.

143. LEVITICVS. Vide Geneſis liber. Moyſes.

144. S. LVCAS Patria Antiochenus, Profeſſione Medicus, fuit Chriſti Diſcipulus, & Euangeliſta: qui duos ſacros libros compoſuit, ſcilicet Euangelium, & Acta Apoſtolorum. Obijt in Bithynia 84. annos habens. *S. Hieronym. de Script. Eccleſ. cap.* 17.

145. LVCIVS ANNÆVS SENECA Cordubenſis in Hiſpania Philoſophus, & Poeta egregius, venit Romam tempore Auguſti: vbi inter oratores primas tenuit: fuitque Quæſtor, & Conſul: demum Præceptor Neronis. Scripſit ſeptem libros quæſtionum naturalium: plurima moralia, & varias epiſtolas: nec non & tragœdias. Iuſſu Neronis apertis venis cum ſanguine vitam amiſit. Anno Chriſti 68. *S. Hieronym. lib. de Scriptorib. Eccleſ. cap.* 22.

LVDOVICVS Granatenſis Ordinis Prædicatorum 146.
compoſuit Catechiſmum: octo tomos concionum, multaque opuſcula pia, in quibus tanta rerum maieſtas, tantaque eſt eloquentiæ ſuauitas, vt res cum verbis, & verba cum rebus videantur pro victoria decertare. Floruit ſub Gregorio XIII. vt patet ex eius bulla, quæ præfigitur Catechiſmo data Romæ apud S. Marcum, ſub annulo Piſcatoris, die 21. Iulij anno 1582. *Poſſeuinus in Apparatu.*

LVDOVICVS MOLINA Societatis Ieſu Hiſpanus 147
S. Theologiæ Doctor, & Primarius Profeſſor in Academia Eborenſi, compoſuit quatuor volumina: vnum in I. Part. S. Thomæ: tria vero de Iuſtitia, & Iure. Floruit ſub Clemente VIII. & obijt Madriti, die 12. Octobris anno 1600. *Catalog. Soc. Ieſu.*

M

Incerti Authoris.

MACHABÆORVM libri quatuor numerantur: 148.
Primus & vltimus ſunt apocryphi: duo intermedij ſuntCanonici, & ab Eccleſia approbati. Ignoratur quis fuerit eorum Author. Viuebant Iudas, Ionathas, alijque Machabæi anno mundi 5059. ante Chriſtum 140. *Faſciculus temporum.*

MALACHIAS ideſt Angelus: ita dictus propter 149
optimam vitam & aſpectum decorum: fuit vltimus ex duodecim Prophetis Minoribus, ortus de tribu Zabulon, qui vt habetur in Faſciculo temporum, prophetauit tempore Artaxercis Perſarum Regis circa annum mundi 4759. ante Chriſtum 440. In Martyrologio Romano die 14. Ianuarij numeratur

inter Sanctos. Eius liber continet inſignes locos De Sacrificio Aaronico abolendo per Miſſam in toto terrarum orbe celebrandam : De vtroque Chriſti aduentu, eiuſque vtroque Præcurſore : De conuerſione Iſraelitarum ad priſtinam Patrum fidem. Mortuus eſt iuuenis, & cum Patribus ſuis in proprio agro ſepultus. *Genebr. lib. 2. Chronog. initio circa annum ab Vrb. cond.* 288.

150. S. MARCVS S. Petri Diſcipulus, & Euangeliſta ſcripſit Euangelium Græcè, quod Latinè tranſlatum eſt. Primus omnium Alexandriæ Chriſtum prædicauit, fundauitque Eccleſiam, vbi martyrio coronatus eſt die 25. Aprilis anno Chriſti 64. *S. Hieronym. de Scriptorib. Eccleſ. cap.* 18.

151. MARSILIVS Patauinus, & IOANNES de Ianduno Hæretici damnati ſunt à Ioanne XXII. eo quod docuerint Petrum non fuiſſe caput Eccleſiæ : & Chriſtum ſoluiſſe Cæſari tributum non liberè, ſed legis neceſſitate coactum more aliorum hominum. *Ioannes de Turre cremata in Summa part. 2. cap.* 37.

152. MARTYROLOGIVM Romanum in duodecim anni menſes diuiſum : quolibet menſis die recenſet homines iuſtos, qui in Sanctorum numerum relati ſunt. Cœptum autem fuit legi in primitiua Eccleſia: & ab Euſebio, S. Hieronymo, alijſque pijs viris auctum retinetur adhuc in eadem. Hæc clarè demonſtrantur à Thoma Vvaldenſe *tom. 3. de Sacramentalib. cap.* 37, *n.* 14. *&* 15.

153. MARTINVS Kemnitius Hæreſiarcha ex Germa-

nia oriundus, innumeris hæreſibus, & mendacijs, quos ſcripſit libros repleuit. Scripſit autem examen Concilij Tridentini: De duabus Chriſti naturis: diſputationes De Traditionibus; De ieiunio, & alios libros. Vixit tempore Pij V. anno 1566. Eius errores paſſim in ſuis controuerſijs impugnat Card. Bellarminus, & quædam eius mendacia peculiariter refert *in lib 4. de verb. Dei ſcripto cap. 3.*

MARTINVS LVTHERVS Iſlebij in Saxonia natus anno 1484. die 10. Nouembris, cœpit anno 1517. perturbare Eccleſiam. Aſſeruit Papam eſſe Antichriſtum: ſolam fidem iuſtificare: panem remanere in Euchariſtia: &c. negauit liberum arbitrium: purgatorium: indulgentias: gratiam dari per Sacramenta: &c. damnatus à Concilijs, excommunicatus à Pontificibus: proſcriptus ab Imperatore Carolo V. Quæ perturbatio durauit vſque ad annum 1546. quando Iſlebij, vbi natus fuerat, repentina morte ſublatus eſt. Nam die 17. menſis Februarij, cum veſperi ſanus, ac lætus ſumptuoſam cœnam ſumpſiſſet, ſuiſque facetijs omnes ad riſum prouocaſſet, eadem nocte in lecto mortuus inuentus eſt. *Genebr. lib. 4. Chronog. in Leone X ad annum Chriſti* 1513. *Card. Bellarm. lib. 4. de not. Eccleſ. cap.* 17. *& in Chronog. part. 2. Spondan. in Auctuar.* 1484. 1505. 1546. 154.

MATTHÆVS Apoſtolus, & Euangeliſta primus omnium compoſuit Euangelium, ſed Hebraïcè: quod poſtea in linguam Latinam fuit tranſlatum: verum à quo? ignoratur, vt ait S. Hieronymus in lib. de Scriptorib. Eccleſiaſt. cap. 4. miſſus fuit in Æthyopiam, vbi prædicans affectus eſt martyrio 155.

die 21. Septembris. *Card. Baron. in Annalib. ad annum* Chriſti 44.

156. MATTHÆVS KELLISONVS natione Anglus S. Theologiæ Doctor, ac Profeſſor, Collegijque Duaceni Præſes compoſuit duos tomos in 3. partem S. Thomæ Aquinatis: in quorum priori De myſterio Incarnationis: in poſteriori de Sacramentis diſputat. Floret adhuc ſub Vrbano VIII.

157. MERCVRIVS Ægyptius dictus eſt Triſmegiſtus, quod fuerit magnus Philoſophus, magnus Rex, magnus Sacerdos. Duo extant eius Dialogi, Pimander, & Aſclepius. Scripſit etiam de Sapientia Ægyptiorum, de Medicina, de Aſtrologia, & de Sacerdotio. Multi eum faciunt Sinchronum Moyſi, & eundem cum Deo Mercurio: quos errare probat Genebrardus libro 2. Chronog. in Regibus Ægypti ſub Ptolomeo I. circa annum mundi 3830. ideoque iuxta ſuam ſupputationem ponit Mercurium circa annum mundi iam dictum: Moyſem vero lib. 1. in Quarta Ætate. ponit circa annum mundi 2670.

158. MICHAEL de BONONIA Italus cognomine AYGVANVS Ordinis Carmelitarum Prior Generalis: multa ſcripſit opera, quorum Catalogum texuit Abbas Trithemius in libro de Viris illuſtribus Ordinis Carmelitarum. Duo tantum attingo: ſcilicet in libros quatuor Magiſtri Sententiarum: & Commentaria in Pſalmos. Obijt anno 1416. die 1. Decembris: Bononiæ ſepultus in Eccleſia Carmelitarum, ante magnum altare. Eum inter Theologicos Scriptores enumerat *Genebr. lib. 4. Chronog. in Bonifa-*

cio IX. ad annum Christi 1389.

MICHAEL SYNGELLVS Presbyter Ieroſolimitanus interpretatus eſt S. Dionyſium Areopagitam: eiuſque res geſtas, tum ex majorum ſcriptis, tum ex traditione proſecutus eſt: extatque eius oratio Panegyrica de laudibus S. Dionyſij Græcè ſcripta, quæ nunc iuncta eſt Scholijs S. Maximi. *Suid. verb. Dionyſius. Card. Baron. ad annum Chriſti* 109. Floruit ſub Pelagio II. *Genebrar. lib.* 3. *Chronog. ad annum Chriſti* 580. 159.

MICHÆAS non ex Ephraim, ſed ex Iuda ortus prædixit aduentum Chriſti, & locum Natiuitatis eius: nec non conuerſionem Gentium ad Eccleſiam. Necatus gladio ponitur inter Martyres die 15. Ianuarij. Prophetauit circa annũ mundi 4440. Ante Chriſtum 759. *Faſciculus temporum.* 160.

N

NICEPHORVS CALLISTVS hiſtoriam ſuam per octodecim libros deduxit à Natiuitate Chriſti vſque ad annum 625. eiuſdem: quam dedicauit Andronico ſeniori Imperatori Conſtantinopolitano. *Genebrar. lib.* 4. *Chronog. in Bonifacio VIII. ad annum* 1297. 161.

NICOLAVS de Lyra, ita cognominatus eſt à Lyra oppido Normanniæ in Gallia: fecit Commentaria breuia in totam Bibliam: & multa alia, quæ enumerat Trithem. Abbas de Scriptor. Eccleſ. anno 1320. Primum fuit Iudæus: deinde ad fidem Chriſti conuerſus 162.

uerſus intrauit Ordinem Minorum. Obijt Pariſijs ſepultus in Capitulo ConuentusFratrum Minorum. *Geneb.lib. 4.Chron. in Caleſt. IV. Ad an. Chriſti* 1243.

163. NVMERORVM. Vide Geneſis liber.

O

164. OECVMENIVS Græcus ſcripſit cathenam in acta Apoſtolorum : & in Epiſtolas Pauli. Non eſt certum quo tempore floruerit : quidam enim anno 800.quidam anno 900.Alij poſt annum 1000. eum vixiſſe dicunt. *Card. Bellarm. de Script. Eccleſ.* non notat annum,ſed eum reponit inter Authores qui floruerunt anno 1077.

165. ORIGENES Alexandrinus Clementis Alexandrini Diſcipulus intra duodecim annos interpretatus eſt totam pene Scripturam Sacram: compoſuit ſena millia librorum, quibus immiſcuit quoſdam Platonis errores deceptus. Multa ex eius ſcriptis perierunt. Quæ autem ſuperſunt diuiſa ſunt in duos tomos. Obijt 70. ætatis ſuæ anno floruit ſub Lucio I. *Genebrar. lib. 3. Chronog. ibid. anno* 254.

16[illegible] OSEE ortus de Tribu Iſachar iuſſu Dei accepit vxorem fornicariam : prophetauit ante omnes alios tam majores , quam minores Prophetas: prædixit Synagogæ deſtructionem, & Gentium vocationem ad Eccleſiam : clamans contra Idolatriam pœnitentibus promittebat veniam. Mortuus tandem Sanctorum numero adſcribitur die 4. Iulij,in Martyrologio Romano. Floruit anno mundi 4388. ante

Chriſtum 811. *Faſciculus temporum.*

P

PARALIPOMENON duo libri ſunt, olim vnus erat, quaſi ſupplementum eorum, quæ deſunt in libris Regum. Ignoratur quis fuerit eorum Author. Sixtus Senenſis lib. 1. Biblioth. & Nicol. de Lyra. initio cap. 1. qui citat Rabbi Salomonem putant eorum Authorem fuiſſe Eſdram. Card. Bellarminus in lib. de Script. Eccl. anno 3000. credibile ait eſſe ſcriptos à Sacerdotibus, & Prophetis, qui viuebant illis temporibus. Fuit autem tempus illud circa annum mundi 4784. ante Chriſtum 415. Si Eſdras ſit eorum author, tunc enim viuebat Eſdras ſub Artaxerce Longimano. *Faſciculus temporum.* 167

S. PAVLVS Apoſtolus, & Doctor Gentium ſcripſit quatuordecim epiſtolas canonicas, & approbatas ab Eccleſia: pro cuius propagatione, cum noctu, & diu, in mari, & in terra plurimùm laboraſſet: tandem eodem anno, eodemque die, quo S. Petrus ſcilicet anno Chriſti 69. & die 29. Iunij martyrio coronatus obdormiuit. *S. Hieronym. in lib. de Script. Eccl. cap.* 15. 168.

PAVLVS BVRGENSIS antea Iudæus in Baptiſmo vocatus fuit Paulus à S. Maria: poſtea factus Epiſcopus Burgi in Hiſpania, à ſuo Epiſcopatu cognominatus fuit Burgenſis: Scripſit additiones ad Poſtillam Nicolai de Lyra, cui immediatè in Biblia poſtponuntur: quas abſoluit anno 1429. *Genebrar. lib.* 4. *Chronog. in Martino V. ad annum* 1417. 169.

170. PAVLVS OROSIVS Sacerdos Hiſpanus S. Auguſtini hortatu ſcripſit ſeptem libros hiſtoriæ: quam perduxit ab orbe condito, vſque ad Valliam Gothorum in Hiſpania Regem III. ſeu ad Annum Chriſti 421. quam edidit contra Paganos, qui Chriſtianis temporibus attribuebant omnes clades, quæ Imperio Romano tunc contingebant. *Genebr. lib. 3. Chronog. in Bonifacio I. anno* 426.

171. PETRVS de ALLIACO Epiſcopus Cameracenſis, & S. R. E. Cardinalis ſcripſit in libros quatuor Magiſtri Sententiarum: fecit paraphraſes in Pſalmos: quæſtiones in Spheram Ioannis de Sacro Boſco: de Sacramentis: & quædam alia opuſcula. Claruit ſub Ioanne XXIII. Obijt ſub Martino V. Anno 1426. *Card. Bellarm. de Script. Eccleſ. anno* 1410.

172. PETRVS APOSTOLVS Bethſaïdæ in Galilæa natus, fuit primus Papa, qui rexit Eccleſiam ſpatio 36. annorum, ſex menſium, & duodecim dierum. Nam ſedit Ieroſolymis annos 5. Antiochiæ annos 7. Romæ annos 24. menſes 6. dies 12. vbi duas ſcripſit Epiſtolas: & ibidem in crucem affixus capite ad terram verſo martyrium conſummauit eodem die, & anno, quo Paulus eius Coapoſtolus. *S. Hieronym. de Script. Eccleſ. cap.* 1.

173. PETRVS CANISIVS Belga Societatis Ieſu duo compoſuit volumina: vnum inſcribitur, opus Catechiſticum, cui præponitur Chronologia Eccleſiaſtica: alterum de corruptelis Verbi Dei: quod diuiditur in duos tomos: primus eſt de Præcurſore Chriſti Ioanne Baptiſta: ſecundus de Maria Deipara Vir-

gine. Claruit ſub Sixto V. Obijt ſub Clemente VIII. Friburgi ſepultus an. 1597. *Suuertius in Athen. Belgic.*

PETRVS COMESTOR Eccleſiæ Trecenſis in Campania Galliæ Presbyter, ita dictus, quod nimio ſtudio videretur libros comedere: dictus etiam Magiſter hiſtoriæ Scholaſticæ: quia ex omnibus libris hiſtoricis Sacræ Scripturæ, qui ſunt Geneſis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Ioſue, Iudicum, Ruth, Tobias, Ezechiel, Daniel, Iudith, Eſther, Machabæorum, Euangelia, & Acta Apoſtolorum, vnam hiſtoriam compilauit: quam vocauit Hiſtoriam Scholaſticam. Claruit ſub Lucio III. Anno 1182. *Matth. Palmerius in Chron. anno* 1182. 174.

PETRVS FONSECA Luſitanus in Hiſpania è Societate Ieſu plurimùm laborauit in excudendis Conimbricenſium commentarijs, & quæſtionibus in Philoſophiam Ariſtotelis: eademque methodo edidit commentaria & quæſtiones in eiuſdem Metaphyſicam: quam tribus tomis explicauit vſque ad librum decimum. Fecit etiam octo libros Inſtitutionum Dialecticarum. Floruit ſub Clemente VIII. Anno 1599. 175.

PETRVS GALATINVS Ordinis Minorum primum excoluit in Italia literas Hebraïcas: nam hæ inter Chriſtianos tunc incipiebant propagari: deinde ſcripſit De arcanis Catholicæ veritatis contra Iudæos: De arte Cabaliſtica: De Ioanne Reuchilno Capnione &c. Floruit ſub Iulio II. *Genebr. in lib. 4. Chronog. ibidem ad annum* 1510. 176.

177. PETRVS LOMBARDVS Epiſcopus Pariſienſis Theologiam per Antiquorum Patrum libros ſparſam, ſparſimque tractatam primus apud Latinos in certam artem methodumque redegit: ſub an. 1160 quam diuiſit in quatuor libros, quos vocauit libros ſententiarum, eo quod eos ex Patrum & Sacrorum Theologorum ſententijs compoſuiſſet: vnde ipſe Author meruit vocari Magiſter ſententiarum. *Genebr. lib. 3. Chron. in Gregorio III. ad annum* 730.

178. PETRVS LVCIVS Belga Ordinis Carmelitarum Conuentus Bruxellenſis S. Theologię Profeſſor doctus, & clarus eloquio. Scripſit primo librum qui inſcribitur Carmelitana Bibliotheca: in quo ea, qua pollebat eloquentia laudat Viros Illuſtres Carmelitarum, & eorum operum Catalogum texuit: deinde ſcripſit Commentarium Carmeliticum. Floruit Florentiæ ſub Clemente VIII. Anno 1593. *Eum citat. Poſſeuinus in Apparatu tom. 2. fol. 205. & Carthagena tom. 4. de Arcan. Deipar. Mar. lib. 17. hom. 2.*

179. PETRVS MARTYR Florentiæ in Hetruria natus: ex Canonico factus eſt Caluiniſta, ſibi attribuens nomen Martyris: cum tamen cognominaretur Vermillius: commentatus eſt aliquos Scripturæ libros. Cum autem Caluiniſtæ in Synodo Poſſina definirēt corpus Chriſti non eſſe quidem realiter, ſed recipi realiter in Euchariſtia: Petrus Martyr pro ſua parte negauit vtrumque, & dum parat Brentio reſpondere moritur die 12. Nouembris Anno 1562. non ſine magna ſuſpicione veneni à Caluiniſtis propinati. *Genebr. lib. 4. Chronog. in Pio IV. ad annum* 1560.

PETRVS de NATALIBVS ſcripſit aliquas Sancto- 180.
rum vitas: & inter doctos eum recenſet Spondanus in Auctuario, anno 1471.

PHILIPPVS ARGENTARIVS fuit vnus ex Aulicis, 181.
& intimis familiaribus Imperatoris Theodoſij, qui Rabbinum quemdam Iudæorum rationibus eo deduxit, vt confiteretur Ieſum Nazarenum fuiſſe Meſſiam. *Vazquez in 3. part. diſp. 86. cap. 1. num. 1.*

PLATO Diuinus Philoſophus fuit Diſcipulus So- 182.
cratis, & Præceptor Ariſtotelis. Scripſit Dialogos, Timæum, Axiochum, Phædonem, Parmenidem: libros de Legibus, & multa Politica. S. Auguſtinus lib. 8. de Ciuit. cap. 11. eum laudat à caſtitate: duxit enim vitam cælibem circa annum mundi 4809. ante Chriſtum 390. *Faſciculus temporum.*

PLVTARCHVS Chæroneæ in Bœotia natus ma- 183.
gnus Philoſophus, & eloquens Hiſtoriographus fuit. Scripſit quatuor tomos: in duobus prioribus Virorum Illuſtrium præclarè geſta commemorat: in duobus poſterioribus de rebus moralibus varios tractatus edidit. Floruit ſub Traiano Imperatore circa annum Chriſti 100. *Ambroſ. Calep. verb. Plutar.*

POLEMIVS fuit Antiquus Hæreſiarcha, qui apud 184.
S. Theodoretum lib. 4. hæreticar. fabularum: & Epiphanium; hæreſ. 77. & 78. docuit in Chriſto eſſe vnam naturam ex Diuina, & humana corruptis, atque confuſis: à quo orti ſunt Hæretici dicti Polemiani ſub Damaſo anno 373. *Card. Baronius in Annalib.*

185. PONTIVS Pilatus à Romanis inſtitutus fuit Præſes in Iudæa: eam ob rem cognouit de cauſa Chriſti, quem ad crucem contra Romanorum leges condemnauit. Scripſit epiſtolam de eo ad Tyberium Imperatorẽ: à cuius Succeſſore miſſus anno Chriſti 38. Viennam Galliæ in exilium: poſt biennium propria manu ſeipſum interemit. *Card. Bar. in Annal.*

186. PORPHIRIVS nomine Malchus, natione Phœnix, patria Tyrius, ſecta Platonicus Plotini Diſcipulus, Præceptor Chriſaorij ad quem ſcripſit Iſagogem in Categorias Ariſtotelis. Præter hunc librum ſcripſit & alios quindecim contra Chriſtianos: fecit & aliũ, quo palinodiam cecinit: fuerat enim primo Chriſtianus: ſed defecerat à fide. *Genebr. lib. 3. Chronolog. in Stephano I. Anno* 257.

187. PRISCILIANVS Hæreſiarcha in Hiſpania docuit animas eſſe eiuſdem eſſentiæ cum Deo: duo eſſe principia rerum: vnum bonum: alterum malum: mundum factum fuiſſe à Principe maligno; & multa alia abſurda, magicas etiam artes ab adoleſcentia nouerat. Tandem Treuiris gladio punitus eſt. *Genebrar. lib. 3. Chronog. in Siricio ad annum* 388.

188. PROVERBIORVM libri Author eſt Salomon Rex, Dauidis Regis filius: qui etiam ſine controuerſia dicitur edidiſſe Cantica Canticorum, & Eccleſiaſtem. Dubitatur autem de libro Sapientiæ: eo quod nunc non reperiatur in codicibus Hæbræis, ſicut olim: ſed tantum in codicibus Græcis, & Latinis. Verum de hoc infra in littera S. Floruit autem Salomon anno mundi 4165. ante Chriſtum 1034. *Faſciculus temporum.* Salomon.

Dauid. PSALMORVM librum compoſuit Dauid Rex Ieruſalem Propheta magnus, & Poëta ſuauis: quem in hiſtoria Sacra, rerumque Diuinarum, & humanarum cognitione verſatum fuiſſe Scripta eius non ſinunt dubitare. Viuebat anno mundi 4125. ante Chriſtum 1074. *Faſciculus temporum.* 189.

R

RABANVS Maurus natione Germanus, patria Fuldenſis, dedit operam Alcuino: fuitque Abbas Fuldenſis poſtea ſub Leone IV. Archiepiſcopus Moguntinus. Fecit commẽtaria in vetus, & nouum teſtamentum. Obijt Anno 865. *Card. Baron. in Ann.* 190

RABBI MOYSES Luſitanus Ben Maimon: vnde contractis literis alio modo vocatur Ramban, tanto in honore apud Iudæos habitus eſt, vt eum nomine Doctoris iuſtitiæ decorauerint. Scripſit commentaria in vetus teſtamentum: in Talmud: & vnam epiſtolam de Aſtrologia. Vixit circa annum Chriſti 1150. *Genebr. lib. 4. Chron. in Eugenio III. ad an.* 1150. 191.

RABBI SALOMON Genere Gallus ex Prouincia Aquitaniæ tanto in honore apud Hebræos habitus eſt, vt inter magnos Talmudicos Doctores annumerauerint. Is primus omnium Gloſſas Hebraïcas ſuper totum vetus teſtamentum ordinauit: Hebdomadas autem ſeptuaginta Danielis ita clarè expoſuit, vt impoſſibile ſit ab eis aberrare. *Genebrar. lib. 4. Chronog. in Lucio III. ad annum* 1185. *& in Cæleſtino I. ad annum* 1200. 192.

193. REGVM libri quatuor ſunt. Primus attribuitur Samuëli Secundus, & Tertius Nathan, & Gad Prophetis: ita habetur in fine lib. 1. Paralipomenon: Quarti ergo Author ignoratur: Floruerunt autem Nathan, & Gad circa annum mundi. 4165. ante Chriſtum 1034. *Faſciculus temporum.* Samuel Nathan. Gad.

194. RICHARDVS de MEDIA VILLA Scotus Ordinis Minorum ſcripſit in quatuor libros Sentẽtiarum: fecit etiam Poſtillam in Euangelia. Floruit ſub Nicolao IV. Anno 1292. *Trithem. de Script. Eccl.*

195. RICHARDVS de S. Victore natione Scotus, Canonicus Regularis S. Auguſtini in Eccleſia S. Victoris Pariſienſi, varios edidit libros, de varijs materijs: Eius opera duobus voluminibus continentur: horum catalogum texuit Card. Bellarminus. Floruit ſub Anacleto II. Anno 1130. *Bellarm. de Script. Eccleſ.*

196. RICHARDVS RADVLPHVS Archiepiſcopus Armachanus, & Primas Hyberniæ, vir altæ peritiæ, & magnus Eccleſiæ Præſul, ſcripſit nouendecim libros contra errores Armenorum, & aliquot Sermones: ex quibus vnum, cuius initium eſt *Aue Maria* prædicauit anno 1342. in feſto Conceptionis coram Clemente VI. & conclaui Cardinalium Auenione, in Eccleſia Carmelitarum. *Carthagena in Marial. lib. 17. hom. 2. Thomas Vuald. tom. 3 cap. 89. n. 3. & Ioan. Paleonidor. lib. 1. cap. 1.*

197. ROBERTVS BELLARMINVS Societatis Ieſu natione Italus, patria Politianus, S. R. E. Cardinalis, ſcripſit tria volumina Controuerſiarum contra Hæreti-

cos noſtri temporis: in Pſalmos: Chronologiam, & librum de Scriptoribus Eccleſiaſticis. Floruit ſub Paulo V. Obijt anno 1621. *Catalog. Soc. Ieſu.*

RVPERTVS Abbas Tuitienſis in Germania prope Coloniam fuit fama celebris, multoſque compoſuit libros, de Diuinis officijs: De Trinitate: in Iob: in Apocalypſim: in Cantica &c. Claruit ſub Paſchali II. Anno 1111. vt refert Card. Baron. in Annalib. & de eo agit. *Tritbem. de Script. Eccleſ. anno* 1124. 198.

Samuel. RVTH. Vide Iudicum liber. 199.

S

Salomon. SAPIENTIÆ librum Sancti Eccleſiæ Patres Salomoni tribuunt: & ita definierunt Concilia Carthaginenſe III. Florentinum, & nouiſſimè Tridentinum. Adde quod Author illius libri in capite 9. ſic Deum alloquitur: *Tu me elegiſti Regem in populo tuo: & dixiſti me ædificare templum in monte ſancto tuo.* Quæ verba Regi Salomoni optimè conueniunt. Vide Prouerbiorum libri, *Euſeb. lib. 4. hiſtor. cap.* 22. 200.

SEBASTIANVS BARRADAS è Societate Ieſu, natione Luſitanus, patria Olyſiponenſis: vir in Scriptura Sancta optimè verſatus: fecit quatuor tomos Commentariorum in Concordiam, & Hiſtoriam Euangelicam. Floruit ſub Paulo V. circa annum 1512. *Catal. Soc. Ieſu.* 201

SIBYLLÆ à Varrone, Lactantio, Clemente Alexandrino, decem numerantur. Prima Perſica. Se- 202

cunda Libyca. Tertia Delphica. Quarta Cumæa. Quinta Erythræa. Sexta Samia. Septima Cumana. Octaua Helleſpontiaca. Nona Phrygia. Decima Tyburtina. Quæ Virgines erant ex Gentilibus ortę: futura prædicebant, non tantùm de rebus Romanis: ſed etiam de Chriſto, cuius totam ferè vitam ſcripſerunt. Earum libri ſeruabantur Romæ in Capitolio: ſed Stilicon quidam eos combuſſit, & ex eorum fragmentis conflatum eſt vnum opus in octo libros diſtinctum, quod inſcribitur, Oracula Sibyllina, & reperitur in Bibliothecâ Patrum tom. 2. *Lactant. lib. 1. de falſa Religione cap. 6.*

203 STANISLAVS SARNICIVS Caluiniſta Polonus: docuit Chriſtum ſecundum naturam Diuinã fuiſſe Sacerdotem, & ſecundum naturam humanam fuiſſe victimam. *Bellarm. lib. 5. de Chriſt. cap. 3.*

204 SVETONIVS TRANQVILLVS Romanus filius Suetonij Lenis, quę duo cognomina voce, non ſignificatione differunt. Fuit Secretarius Hadriani Imperatoris, & texuit hiſtoriam duodecim Cæſarum, ſub Euariſto. *Genebr. lib. 3. Chronog. ad annum 122.*

205 SVIDAS Hiſtoriographus Chriſtianus: qui præter hiſtoriam ſcripſit Lexicon Græcum: & quædam alia opera: Incertum quidam putant, quo tempore vixerit: tamen Genebrardus lib. 4. Chronog. in Benedicto VII. ad annum 1017. dixit eum adhuc illo tempore vixiſſe.

T

TARGVM eſt Tranſlatio Chaldaïca: cuius tres ſunt Authores: ſcilicet Rabbi Aquila Onkelus in Pentateuco: Rabbi Ionathas Vzielis filius, & Rabbi Ioſeph cœcus in reliquis libris veteris teſtamenti: ita Card. Bellarminus lib. 2. de Verb. Dei cap. 3. qui etiam ait cap. 15. eam majori ex parte factam fuiſſe poſt aduentum Chriſti. Eſt autem autentica, & magnam vim habet apud Hebræos. *Nic. de Lyra in cap. 3. Ierem. liter. B.* 206

TERTVLLIANVS natione Affer, patria Carthaginenſis initio fuit Catholicus ardentiſſimi zeli: poſtea tamen cecidit in hæreſim Montani, & multa ſcripſit contra Eccleſiam. Illius operum texuit catalogum Card. Bellarminus in lib. de Scriptor. Eccleſiaſticis anno 203. Floruit ſub Zepherino anno 209. *Card. Baron. in Annalib.* 207

THEODORETVS Antiochiæ in Syria natus, ad modum iuuenis factus fuit Epiſcopus Cyri. Scripſit in totam ferè Bibliam. Item Hiſtoriam Eccleſiaſticam: Dialogos: libros de Hæreticis fabulis &c. Fauit Neſtorio contra S. Cyrillum: ſed poſtea reſipuit. Floruit ſub Leone magno Papa anno 450. *Sixt. Senenſ. lib. 4. Bibliothecæ.* 208

THEODORVS Mopſueſtenus primum exercuit vitam Monaſticam cum S. Ioanne Chryſoſtomo: deinde factus fuit Epiſcopus Mopſueſtiæ: denique euaſit Hæreſiarcha, Neſtorijque Magiſter: attamen reuo- 209

catus fuit à lapſu per eundem S. Ioannem Chryſoſtomum: ſed iterum lapſus eſt: fuitque vir libidinoſiſſimus. Eius libri damnati ſunt in Synodo V. *Card. Baron. in Annalib. Anno* 382. 394. 427. 435.

210. Theophilactvs Accridienſis in Bulgaria Archiepiſcopus commentatus eſt Prophetas minores: quatuor Euangelia: & omnes epiſtolas S. Pauli. Quamuis autem nonnulli dicant eum floruiſſe circa annum 900. tamen Card. Baronius ex eius epiſtolis probat eum floruiſſe ſub Alexandro II. Anno 1071. *Baron. in Annalib.*

211. S. Thomas Aquinas Ordinis Prædicatorum: à Sorbona Pariſienſi cognominatus eſt Doctor Angelicus: Scripſit Commentaria in libros Ariſtotelis de Interpretatione, Priorum, Poſteriorũ, Phyſicorum, de Cœlo, de Generatione, de Anima, Meteor. Metaphyſicor. Ethicor. Politicor. Bis ſcripſit in quatuor libros Magiſtri Sententiarum: fecit quæſtiones diſputatas; quodlibeta: commentatus eſt priores quinquaginta Pſalmos: Iſaiam: Ieremiã: quatuor Euangelia: & omnes epiſtolas Pauli Apoſtoli: Summam etiam contra gentes: & opuſcula. Fecit denique Summam Theologicam, quam diuiſit in tres partes: quarum Secunda ſubdiuiſa eſt in alias duas, ſcilicet in Primam Secundæ, & in Secundã Secundæ: Obijt relicta Tertia parte imperfecta: cuius defectũ Diſcipuli eius ex eius ſcriptis ſuppleuerũt. Quãdo obierit dixi ſupra in S. Bonauentura. *Trithem. de Script. Eccleſ.*

212. Thomas Beavx-amis Ordinis Carmelitarum natione Gallus, patria Meldunenſis, S. Theologiæ Doc-

tor Pariſienſis, & Cōcionator Regius, multos ſcripſit libros, qui non tantùm doctrina, ſed etiam eloquentia, linguarumque varietate probantur ab omnibus literatis hominibus. Edidit enim primò tres tomos controuerſiarum fidei Catholicæ contra Hæreticos ſui temporis: vnum De interceſſione, inuocatione, meritis, feſtiuitatibus, reliquijs, & miraculis Sanctorum. Alterum De fide, & Symbolo diuiſum in quatuor libros. Tertium de Sacroſancto Euchariſtiæ Sacramento, qui inſcribitur Acies Sathanica, & in quo impugnat omnes Hæreticorum ſectas qui impugnauerunt Euchariſtiæ Sacramentum à tempore Chriſti eam promittentis in Capharnaum, vſque ad noſtrum tempus. Quem tomum Gallicè edidit, & dedicauit Carolo IX. Francorum Regi Chriſtianiſſimo. Deinde edidit alios tres tomos homiliarum: vnum in omnia Euangelia Quadrageſimæ: Secundum De vltima cœna, & de Paſſione Chriſti: Tertium in Prophetam Habacuc continentem 28. homilias Latinè editas, quas Pariſijs in Regia Gallicè declamauit. Denique compoſuit Harmoniam Euāgelicam quatuor magnis voluminibus contentam: quam dedicauit Gregorio XIII. Pontifici Maximo: ſed morte præuentus reliquit quartum volumen imperfectum. Obijt autem die prima Maij, An. 1589.
Petrus Lucius in Bibliothec. Carmelitana. litera T.

THOMAS de VIO patria Caietanus ex Priore 213.
Generali Ordinis Prædicatorum à Leone Papa X. factus fuit Epiſcopus Caietæ, & S. R. E. Cardinalis: à quo etiam anno 1518. Miſſus fuit Legatus in Germaniam, ad Maximilianum Imperatorem cōtra Lutherum hæreſim ſuam inchoantem. Multa èdidit

opuſcula in tres tomos diuiſa: fecit etiam breuem Summam caſuum conſcientiæ, commentatus eſt totam Bibliam, exceptis Canticis, Prophetis, & Apocalypſi: totam etiam S. Thomæ Summam Theologicam. Mortuus eſt ſub Clemente VII. Anno 1534. ætatis ſuæ 66. *Card. Bell. lib. de Scrip. Eccl. anno* 1500.

214. THOMAS VVALDENSIS Ordinis Carmelitarum, Prouincialis Angliæ, & Cōfeſſarius Henrici V. Angliæ Regis, hortatu Martini Papæ V. edidit opus inſigne contra Vvicleffiſtas, quod inſcribitur Doctrinale antiquæ fidei; diuiſum in tria volumina. In Primo de capite Eccleſiæ Chriſto Ieſu: In Secundo de Sacramentis: In Tertio de Sacramentalibus diſputat. Quod opus dedicauit eidem Martino Papæ V. Alia verò eius Opera in quatuor libros Magiſtri ſententiarum: in Ariſtotelem, & Scripturam Sacram recenſet Trithem. in lib. de Scriptoribus Eccleſiaſt. Obijt Rothomagi die 8. Nouembris anno 1430. *Card. Bellarm. de Script. Eccleſ. anno* 1430.

215. TOBIÆ librum mira eruditione pleniſſimum ſcripſit vterque Tobias, Pater & Filius iuxta præceptum illis datum ab Angelo in fine capitis 13. *Narrate omnia &c.* Textus enim Hebraïcus, & Græcus habet: *Scribite in libro hæc omnia quæ facta ſunt.* Vltima autem verba capitis vltimi, quæ ſunt de morte, & ſepultura Iunioris Tobiæ ignoratur à quo fuerint ſuppleta Porro liber hic editus eſt idiomate Chaldaïco paulo poſt mortem Sennacherib, circa annū mundi 4501. ante Chriſtum 698. vt legitur in Faſciculo temporū, ſed Latinè redditus eſt à S. Hieronymo vt ipſemet fatetur in Prologo illius. *Tom. 3. operum ſuorum, ad Chromatium, & Eliodorum.*

V

P. VIrgilius Maro natus eſt in Pago, qui dicitur 216.
Andes prope Mantuam ex Marone, & Maia die 8. Octobris. Anno ab Vrbe condita 680. Cn. Pompeio Magno, & M. Licinio Craſſo Coſſ. Fecit Ecclogas; Georgica: Æneidem: & quædam alia carmina: charus fuit Auguſto Cæſari. Obijt Brundusij in Calabria. Anno ætatis ſuæ 51. ab Vrbe cõdita 731. ante Christum 21. C. Sentio, & Q. Lucretio Coſſ. Eius oſſa iuſſu Auguſti tranſlata fuerunt Parthenopem, quæ nunc vocatur Neapolis, & ſepulta via Puteolana, cum hoc Epitaphio.

Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc
Parthenope: cecini paſcua, rura, duces.

Aelius Donatus in eius vita. & Genebrar. lib. 2. Chronog. Annis ſupra citatis.

Z

ZACHARIAS filius Barachiæ de Tribu Leui fuit 217.
Propheta & Sacerdos. Cœpit prophetare anno ſecũdo Darij Perſarum Regis: ſeu vt clarè habetur in Faſciculo temporum, circa annum mundi 4684. ante Chriſtũ 515. De Chriſto multa prædixit: eiuſque paſſionem tanquam Euangeliſta narrauit. Tandem mortuus in ſenectute veneranda, ſepultus fuit in territorio Eleutheropolis Paleſtinæ: eius corpus, ipſomet reuelante fuit inuentum integrum anno 415. Ipſe autem in Sanctorum numerum relatus legitur in Martyrologio Romano die 6. Septembris. *Card. Baronius in Annalib.*

INDEX

INDEX
CATALOGI AVTHORVM QVI CITANTVR IN HOC OPVSCVLO.

In quo eorum cognomina, quia nominibus vſitatiora ſunt, alphabetico ordine continentur.

A

ABben Ezra. 1.
Ado. 2.
Alenſis. 4.
Alliacenſis. 171.
Almainus. 98.
S. Ambroſius. 7.
Amelius. 8.
Amos. 9.
S. Anſelmus. 10.
S. Antoninus. 11.
Apollinaris. 13.
Apollo. 14.
Aquila. 15.
Ariminenſis. 83.
Ariſtoteles. 16.
Arius. 17.
Armachanus. 196.
Aſcenſius. 125.
S. Athanaſius. 18.
S. Auguſtinus. 19.

B

BAcho. 104.
Bañes. 51.
Baronius. 31.
Barradas. 201.
Baruch. 23.
S. Baſilius. 24.
Beaux-amis. 212

Beda. 25.
Bellarminus. 197.
S. Bernardus. 27.
S. Bonauentura. 29.
de Bononia. 79.
de Bononia. 158.
Breuiarium Carmel. 30.
Burgenſis. 169.

C

CAietanus. 213.
Caluinus. 106.
Caniſius. 173.
Cantica. 34.
Carthagena. 107.
Caſſianus. 108.
Cerdon. 35.
Cherintus. 36.
S. Chryſoſtomus. 109.
Cicero. 37.
Clem. Alexandrin. 38.
Comeſtor. 174.
Conimbricenſes. 39.
S. Cyprianus. 42.
S. Cyrill. Alexand. 43.
S. Cyrill. Conſtantin. 44
S. Cyril. Ieroſolym. 45.

D

S. DAmaſcenus. 110
Daniel. 46.
Deuteronomium. 48.
S. Dionyſius. 50
Driedo. 111.
Durandus. 53.

E

ECcleſiaſtes. 54.
Eccleſiaſticus. 55.
Egeſippus. 56.
Emmanuel Sa. 57.
S. Epiphanius. 58.
Eraſmus. 47.
Eſdras. 59.
Eſther. 60.
Eugubinus. 20.
Euſebius Cæſarienſis. 61
Euſeb. Emiſſenus. 62.
Euthymius. 63.
Exodus. 64.
Ezechiel. 65.

F

FErnandius. 12.
Fonſeca. 175.

G

GAbriel Biel. 75.
Galatinus. 176.
Gelaſius Papa. 77.
Genebrardus. 80.
Geneſis. 78.

Gloſſa. 81.
Granatenſis. 146.
S. Greg. Nazianzen. 85.
S. Gregor. Nyſſenus. 86.
S. Gregorius Papa. 82.
S. Gregor. Turon. 87.
Guido Carmelita. 88.

H

HAbacuch. 90.
S. Hieronymus. 92.
S. Hilarius. 93.
Hoſtienſis. 91.
Hugo Cardinalis. 95.
Hugo de S. Victore. 96.
S. Hippolytus. 94.

I

S. IAcobus Apoſt. 99.
De Ianduno. 114.
Ianſenius. 41.
Ieremias. 101.
S. Ignatius. 102.
Innocentius III. 103.
S. Ioannes Euang. 113.
Iob. 124.
Ioel. 126.
Ioſephus. 66.
Ioſue. 128.
S. Irenæus. 129.
Iſaias. 130.
S. Iſidorus. 131.
Iſidorus Peluſiota. 132.
S. Iudas Apoſt. 133.
Iudicum liber. 134.
Iudith. 135.
Iuellus. 136.
S. Iuſtinus. 139.

K

KEllifonus. 156.
Kemnitius. 153.

L

LActantius. 140.
Lampridius. 3.
à Lapide. 40.
S. Leo. 141.
Leontius. 142.
Leuiticus. 143.
de Lezana. 105.
Lippomanus. 5.
Lorinus. 115.
S. Lucas. 144.
Lucius. 178.
de Lugo. 116.
Lutherus. 154.
Lyranus. 162.

M

MAchabæor. lib. 148
Magiſter Sent. 177

Malachias. 149.
Maldonatus. 117.
Mantuanus. 21.
S. Marcus Euang. 150.
Marſilius Patauinus. 151
Martyrologiũ Rom. 152
S. Matthæus Apoſt. 155.
Maurolycus. 67.
de Mayronis. 68.
de Medina. 22.
Mercurius. 157.
Michæas. 160.
Molina. 147.

N

Nicephorus. 161.
Numeror. lib. 163.

O

OBſequens. 137.
Oecumenius. 164.
Okam. 89.
Origenes. 165.
Oroſius. 170.
Oſee. 166.

P

PAleonidorus. 119.
Paralipomenon. 167.
S. Paulus Apoſt. 168.
Pererius. 26.
S. Petrus Apoſt. 172.
Petrus Martyr. 179.
Petrus de Natalib. 180.
Philip. Argentar. 181.
Pilatus. 185.
de Pineda. 120.
Plato. 182.
Plinius. 33.
Plutarchus. 183.
Polemius. 184.
Porphirius. 186.
Priſcilianus. 187.
Prouerbior. liber. 188.
Pſalmor. liber. 189.

R

RAbanus. 190.
Rabbi Moyſes. 191.
Rabbi Salomon. 192.
Regum libri. 193.
Ribera. 69.
Rich. de Media Vil. 194.
Richar. de S. Vict. 195.
Rupertus. 198.
Ruth. 199.

S

SApientiæ liber. 200.
Sarnicius. 203.
Scotus. 112.

Sedulius. 32.
Seneca. 145.
Sibyllæ. 202.
Simlerus. 127.
Solinus. 138.
Soto. 52.
Stancarus. 70.
Stella. 49.
Suarez. 71.
Suetonius. 204.
Suidas. 205.
Syngellus. 159.

T

Targum. 206.
Tertullianus. 207.
S. Theodoretus. 208.
Theodor. Moſpueſt. 209
Theophilactus. 210.
S. Thomas Aquinas. 211.
Tirinus. 100.
Tobias. 215.
Toletus. 72.
Toſtatus. 6.
de Turre cremata. 121.
Turrianus. 73.

V

de Valentia. 84.
Vazquez. 76.
Verratus. 118.
Victoria. 74.
Viegas. 28.
Virgilius. 216.
Vualdenſis. 214.
Vuitcleff. 122.

Z

Zacharias. 217.
Zonaras. 123.
Zuinglius. 97.

FINIS.

ERRATA SIC CORRIGENDA,

Numerus prior paginam, poſterior lineam indicat.

IN OPVSCVLO.

4. 3. Cyrillus
7. 18. Σάρκωσις.
ibid. 21. Σακωποιήσις
11. 15. Lentulitatem
ibid. 24. Θεοτόκος.
15. 32. Θεοτόκος.
ibid. 33. Θεότοκος.
28. 18. *Deos.*
39. 3. Prophetiam.
45. 27. quam reliqua.
61. 14. *faciet.*
71. 6. ἀκροστιχὶς
85. 21. peritiſſimo.
87. 26. manifeſtari.
ibid. 33. Natiuitas.
88. 23. corporibus.
ibid. 24. exercebant
92. 16. eſt.
103. 5. datam
104. 7. ſiue.
108. 29. Aſtromantiæ.
111. 9. intenſiſſimum.
112. 20. Patris.
113. 28. Innocentes.
114. 16. ante quem.
117. 14. ciuitatem.
ibid. 22. factam.
118. 19. Oraculum.
120. 18. *temperat.*
125. 24. Categorijs.
130. 6. *excæcauit.*
143. 20. decuit.
156. 24. alacritate.
167. 29. fuit.
184. 4. poſterioritas.
ibid. 29. Probatur.
186. 13. circa.
228. 8. *facienti.*
262. 1. ERYTHRÆÆ.
265. 5. colles.
270. 26. circa.
281. 12. Patres.

IN CATALOGO AVTHORVM.

19. 16. Canones.
25. 12. Filij. 1.
ibid. 13. Filij. 1.
ibid. 20. excerpta.
32. 7. abhinc.
45. 5. catena.

5-3-2